Bibliothèque numérique
medic@


Hippocrate / Maximinus, Andreas (éd.). **In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis commentaria**

Romae : Benedictum Francesium, 1776.
Cote : 6259

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?06259

©BIU Santé



HIPPOCRATES COUS
MEDICORUM PRINCEPS

©BIU Santé

IN HIPPOCRATIS COI
MEDICORUM OMNIUM
LONGE PRINCIPIS
LIBRUM
DE FRACTURIS
COMMENTARIA

ANDREÆ MAXIMINI ROMANI
IN NOSOCOMIO B. M. CONSOLATIONIS
CHIRURGI PRIMARII DESIGNATI.



ROMÆ MDCCLXXVI.

APUD BENEDICTUM FRANCESIUM
PRÆSIDUM FACULTATE.



©BIU Santé

In libro autem, quo de Fracturis præcipit Hippocrates, quis adeo est stupidus, ut doctrinam ejus omnem, ceu lucidam, planeque absolutissimam non suspiciat? Quod si quis etiam, unus videlicet, alterve dicat parum se id opus mirari, his opportunissime respondeatur illud poetæ: Hos unum, atque alterum permitte tabescere. Galenus lib. 6. de Methodo Medendi.

©BIU Santé

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRÆSULI

D. D.

NATALI SALICETO

INTIMO CUBICULARIO, ET ARCHIATRO

PONTIFICIO

ANDREAS MAXIMINUS F. P.

Nemini ſane aptius, quam Tibi, Vir Ampliſſime, hujus Operis offerri poterat nuncupatio. Summa, qua polles, doctrina, reique Medicæ ſcientia effecerunt, ut tanti apud Te ſit Hippocrates, quanti apud omnium gentium præclariora in-

genia

©BIU Santé

genia habitus ſemper fuit : quod tum publice docendo , tum morbos curando , tota jam plaudente Urbe , oſtendiſti . Id mihi animo repetenti ſtimulos addidit , ut librum hunc Tibi darem , ſpe fretus , ea Te vultus hilaritate , atque urbanitate , munuſculum hoc excepturum , qua eſſe ſoles , quæque adeo eſt in Te inſita , & naturalis . Quid nam , obſecro , magis conſentaneum inveniri poteſt , quam ut Commentaria in unum ex famigeratiſſimis libris , qui ab Artis Medicæ Principe ad nos derivarunt , in lucem prodeant , auſpice inſigni Medico noſtræ ætatis ? Accedit etiam , quod liber hic de Fracturis (qui Erotiani , Galeni , aliorumque graviſſimorum Auctorum judicio , unus cenſetur ex præſtantioribus , & genuinis , atque a Hieronymo Mercuriali in prima Claſſe librorum Hippocratis collocatur) præceptis non modo , ſententiiſque utiliſſimis refertus eſt , ut meliorem hoc de argumento

©BIU Santé

to nullum exhibeat Chirurgia, verum etiam quanta fuerit Hippocratis in Anatome, præsertim ossium, sagacitas, dexteritasque, extra omnem dubitationis aleam probat. Hoc tantummodo, ut eum Tibi inscriberem, me omnino impulisset: nam qui in Romano Gymnasio ex eodem ipso suggestu, in quo Columbus, Eustachius, Baglivus, atque Lancisius floruerunt, multos annos humani corporis fabricam summa cum laude docuit, haud dubitandum, quin suo librum excipere patrocinio velit, luculentissimum de venerandæ antiquitatis solertia in humanis dissecandis corporibus specimen exhibentem. Sed etsi non eo mentem intendam, ut tuas in virtutes excurram, silentio tamen præterire non possum, Te ad supremum dignitatis fastigium ascendisse, ex quo PIUS VI. P. O. M., *cui res Romana, Religioque innituntur, suam Tibi concredidit valetudinem: quo sane splendido munere,*

©BIU Santé

nere , tamquam teſte locupletiſſimo Tuæ cum doctrinæ , tum morum integritatis , id conſecutus videris , quod ſibimet Hippocrates ominatus eſt in celeberrimo Jurejurando , quum ait : Mihi integre ſervanti , & non confundenti contingat & vita , & arte feliciter frui , & apud omnes homines in perpetuum gloriam meam celebrari. *Auctorem graviſſimum , qui ſublimiora torſit ingenia interpretandum , non mediocri exantlato labore , ſuſcepi . At quamvis votorum apicem non attigerim ; voluntati tamen utiliora tentanti benignus fave , & ſatis pulchrum judica , atque magnificum , voluiſſe. Ita DEUS ad Eccleſiæ , populorumque felicitatem Principem Optimum ſoſpitet , Teque ſimul ad commiſſi muneris gravitatem , & amplitudinem foveat , atque ſuſtineat .*

AP-

©BIU Santé

APPROBATIO.

EGregium Opus, inſcriptum : *In Hippocratis Coi Librum de Fracturis Commentaria Andreæ Maximini*, ex mandato Reverendiſſimi P. F. Thomæ Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri a me libenter, ſtudioſeque lectum eſt : in eo enim non ſolum nihil eſt, quod Catholicæ Religioni, boniſve moribus adverſetur, verum doctiſſimi Auctoris & recta, & gravis in Arte Chirurgica ſapientia, & eruditio non vulgaris eluceſcunt ; ideoque non minus Tyronibus proficuum, quam Veteranis utile, iiſque, qui in Arte Magiſtri ſunt, gratum fore exiſtimo, ſi Typis mandetur. Datum Romæ Idibus Auguſti 1775.

Fulvius Philippanius ex Collegio Archiatrorum Urbis, & in Archioſpitalibus Lateranenſibus, & Conſolationis de Urbe Medicus Primarius.

I M.

©BIU Santé

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marcucci Epiſc. Montiſalti Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Praedicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

©BIU Santé

PRÆFATIO.

EACTURUM me operæ pretium putavi, ſi Hippocratis librum de Fracturis, in artis chirurgicæ Candidatorum gratiam, quantum ingenii mei poſſet tenuitas, auctariis, atque adnotationibus illuſtrare contenderem. Quamvis enim quamplurimi ſint rei chirurgicæ Scriptores, & fere omnes de fracturis, & luxationibus diſſeruerint: minime tamen Hippocratis diligentiam, perſpicuitatem, judicium, doctrinæ ubertatem, cautionum, proviſionumque copiam eorum ſcriptis aſſequuti videntur: unde, niſi amor ſuſcepti negotii me fallit, nullus ad hanc uſque diem, nec major Hippocrate, nec ornatior, nec præceptis ditior in hac Chirurgiæ parte reperitur. Quidquid enim de fracturis, & luxationibus, cum apud Veteres, tum apud Recentiores optime ſcriptum legimus, id omne ex Hippocratis libris depromptum apparet: Hippocratis tamen libri longe pluribus, magnique momenti præceptis referti ſunt, quæ in aliis omnibus Auctoribus deſiderantur. Quum igitur ex Hippocrate omnis de luxationibus, & fracturis doctrina in alios Scriptores manarit, cur eam non ab ubere ipſo fonte potius hauriemus, quam tenues rivulos conſectabimur? Non dubito tamen, quin inutile opus me ſuſcepiſſe nonnulli judicent; quum ægrotationes hujuſmodi notiſſimæ ſint, neque magni vul-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 10 sur 355

©BIU Santé

go fieri plerunque ſoleant, & a quolibet Chirurgo, mediocriter etiam in arte verſato, curari poſſe cenſeantur, nihilque præterea in Hippocrate inveniri autumabunt, quod in Recentiorum ſcriptis non reperiatur; quin immo ob incrementum artium, omniumque ſcientiarum, quo noſtris hiſce temporibus tam profeciſse gloriamur, & ſpeciatim Anatomiæ, multo accommodatius a Recentioribus, quam ab hoc remotiſſimi ævi homine, hanc Chirurgiæ partem excultam eſſe putabunt Sed hi erunt fere, qui parum in arte ſunt verſati, & veterum Scriptorum, Hippocratis præcipue, libros aut nunquam evolverunt, aut quantum ſapientiæ in iis contineatur, aſſequi nequiverunt. Quotquot enim cujuſque ætatis principes Medici extitere, tantum omnino ſapientiæ, ſolidæque doctrinæ ex Hippocratis libris hauſerunt, ut uno ore omnes divini eum nomine ſalutaverint: neque utilius quidquam in artem medicam fieri poſſe putaverint, quam commentariis, adnotationibus, ſcholiis, atque auctariis Hippocratem illuſtrare. Enimvero, quum in Hippocratis textu eximia ſapientia cum obſcura quadam gravitate conjuncta reperiatur; proinde, qui eum explanarunt, jure, digneque inter doctiſſimos Scriptores, optimeque de re Medica meritos recenſentur. Profecto Græcarum litterarum expertibus vix credibile erit, quod tanta artis peritia, ac dignitate ad ultimum perfectionis faſtigium hæc Chirurgiæ pars jamdiu a Græcis fuerit evecta: hoc tamen fateri ſemper cogetur quiſquis Hippocratis opera ſerio perpenderit, & cum reliquis Auctoribus comparaverit. Quod autem diligentiſſime reliquas omnes artes, atque ſcientias veteres Græci excoluerint, eoſque ſibi in exemplum omnes Nationes ſemper propoſuerint, apud eruditos ſatis compertum eſt. Herodotus Halicarnaſſeus, quem Hiſtoriæ patrem Cicero appellat, & qui, Doctorum judicio, ſuavitate incomparabili ſuam ſcripſit Hiſtotiam, Hippocratis coævus fuit. Thucidides quoque, qui tanta ſtyli excellentia, tamque ſententioſe ſcripſit, ut ejus libros pluries ſua manu Demoſthenes ſcri-

©BIU Santé

ſcripſerit, totoſque fere edidicerit, circa Hippocratis ætatem floruit. Sophocles, atque Euripides tragici poetæ; Democritus, & Socrates philoſophi, viri nobiles, celebreſque, Hippocratis tempore claruerunt. Apelles eximius pictor, quem artificio omnes prius genitos, poſteroſque ſuperaſſe ferunt, in eadem patria Hippocratis Coo natus fuit. Quid de Homero, Platone, Euclide, aliiſque quamplurimis Græciæ luminibus commemorem? ab his quidem Poeſis, Philoſophia, Geometria, omnes denique cultiores artes, ſcientiæque promanarunt; adeo ut mirum minime fuerit, ſi illis feliciſſimis temporibus, apud gentes tanta ingenii perſpicuitate, prudentia, laboriſque patientia præditas, ars etiam Medica perfecta, abſolutaque extiterit; & potiſſimum in chirurgicis, ſiquidem, ut ait Galenus *lib. de Artic. comment.* 1. *text.* 24. *Tempore, quo floruit Hippocrates, qui medicam artem exercebant, legitime eam addiſcebant, præſertim partem eam, quæ in his manuum operationibus verſatur*. Prælia inſuper, gladiatorum ludi, palæſtra, lucta, pancratium, ceteræque gymnaſticæ exercitationes, quibus Veteres maxime uti conſueverunt, plurimas Medicis fracturarum, & luxationum curandarum occaſiones præbuere; unde hanc Chirurgiæ provinciam infinitis exemplis excolere potuerunt, & adeo multis, tamque optime excogitatis auxiliis ornare, ut omnem poſteris addendi, aut inveniendi facultatem præripuerint. Hippocratis igitur textu eximiam, ac præ aliis abſolutam de fracturis, & luxationibus doctrinam artis Chirurgicæ tyronibus proponere volui. Ne autem illi ob nimis conciſam, aut obſcuram locutionem alicubi hærerent, his eam commentariis illuſtrare contendi. Clariorum inſuper cujuſcunque ætatis Scriptorum teſtimonia, auctoritateſque retuli, ut quantum Hippocrates præſtiterit, quantique ejus doctrinam ii omnes ſemper fecerint, appareret. Loca vero, ubi ab Hippocrate aliqui Auctores diſſenſerunt, oſtendi, atque adnotavi: inde rationibus, atque experientia ſingulas eorum opiniones perpendi, & cum Hippocratis methodo

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 12 sur 355

©BIU Santé

comparavi, ut ſic collata, uno veluti intuitu, non modo optimam, rectamque Hippocratis curandi rationem, verum etiam varias aliorum præſtantiſſimorum virorum ſententias dignoſcere, verum a falſo ſecernere, mediocre ab optimo diſtinguere valerent. Non ſane de parvi momenti re in his libris agitur: a fracturis enim, & luxationibus moleſtiſſima liberæ, ac naturalis membrorum actionis impedimenta, deformitates, quin & ipſa etiam ægrotantium mors, non raro ſolent obvenire. Hujuſmodi infortunia frequentiſſime accidunt; & nullus eſt mortalium, qui eis non ſit continue obnoxius: ex quibus omnibus, quanti hanc adeo utilem, neceſſariamque Chirurgiæ partem optime, ſeduloque excolere interſit, apparet.

Verum nimis forſan audacter bene merendi ſtudium me traxit, neque ſatis meis viribus conſului, quum me medium interpoſuerim Hippocratis Commentatoribus, qui neque ingenio, neque eruditione, neque artis peritia ſim cum iis comparandus. Utcunque erit, juvabit tamen rei Chirurgicæ pro virili parte & me ipſum conſuluiſſe: & quamvis in tanta doctiſſimorum Scriptorum turba in obſcuro meum nomen futurum ſit; nobilitate tamen eorum, qui nomini officient meo me conſoler: vituperationem certe mereri non credam, quod in pulcherrima palæſtra cum optimis quibuſcunque, ac ſapientiſſimis viris, tam illuſtri propoſito fine, qualis eſt ſalus hominum, decertare propoſuerim.

Ut autem tyronum animus ad Hippocratis lectionem, ſtudiumque incitaretur, merita, quibus Hippocrates ſuper alios eminet Medicinæ Scriptores, in hac præfatione recenſere, atque eximias utilitates, quæ ex ejuſdem libris elici poſſunt, ſedulo enumerare decreveram: ſed, tum quia ad rem tantam amplectendam me penitus imparem eſſe ſenſeram; tum quia hoc argumentum ab inclyto illo Medicinæ genio Hermanno Boerhaavio graviter, atque ornatiſſime tractatum fuerat, a propoſito deſtiti. Unus quidem Boerhaavius ſua ſumma eruditione, ac eloquen-

©BIU Santé

quentia Hippocratis laudes digne proſequi poterat. Quam igitur habuit Boerhaavius orationem, *De Studio Hippocratico commendando* inſcriptam, his commentariis præpoſui, ut, quid de Hippocrate ſentiendum, ab aptiſſimo æſtimatore, ac judice cognoſcatur.

Præterea ne nimium liber excreſceret, neve lector redundantia verba faſtidiret, omnes theoreticas, atque phyſiologicas enarrationes, quas plerique Commentatores exponere ſolent, vitavi. Nam multorum clariſſimorum Virorum ſcripta, & ſpeciatim Gerardi Van-ſvvieteni commentaria, hujuſmodi explicationibus cum ſint cumulatiſſime referta, eadem hic iterum repetere ſupervacaneum duxi: id enim tantummodo in his meis commentariis attingere, quod ad praxim pertineret, propoſueram. Sic etiam in anatomica ſingularum earum partium, quarum fracturas, & luxationes curare docuit Hippocrates, deſcriptione, tantum, quantum ad ſummam Hippocratis in rebus anatomicis peritiam, accuratiſſimamque diligentiam perſpiciendam, textuſque ſenſum explicandum, neceſſarium putaveram, delibavi: reliquum enim ſi quis noſcere cuperet, rei anatomicæ Scriptores poterit conſulere; apud quos omnes humanæ fabricæ partes graphice deſcriptas reperiet. Profecto quam ſedulus egregiuſque Anatomicus Hippocrates fuerit, nullibi, præ reliquis, nitide magis, magiſque perſpicue eluceſcit, quam in his libris; ut proinde Riolanus, qui Hippocratem peritiſſimum Anatomicum nominat, in ſuis commentariis de Oſſibus, ſcripſerit: *Porro in oſſibus explicandis, & cognoſcendis Hippocratem plurimum inſudaſſe, & excelluiſſe, manifeſte probant libri de Fracturis, & Luxationibus oſſium, arte mirabili elaborati, quos nunquam edere, ne quidem imaginari potuiſſet, ſine perfecta oſſium cognitione.*

Quamquam vero Jani Cornarii interpretationem pro meorum commentariorum textu ſelegerim; attamen Anutii Foeſii, Fabii Calvi, aliorumque Hippocratis interpretum, nec non Vidii Vidii, Bernardi Feliciani, Victoris Trincavelli, qui hos Hippocratis

©BIU Santé

cratis libros ex operibus Galeni in Latinum verterunt, traductiones consulere non destiti, ut quidquid aut diverso sensu, aut clarius ab aliis expositum fuerat, adnotarem, quodque ad Hippocratis doctrinam magis videretur consentaneum, appositumque, amplecterer. Pro majori etiam legentium commoditate, textum in capita, Ludovicum Duretum in commentariis ad *Coacas Prænotiones* imitatus, divisi, atque singulis capitibus argumenta Joannis Culmani præfixi. Curavi præterea, ut emendatissimum textum traderem; proinde, quamvis luculenta illa, politissimaque Frobenii editione, quæ anno 1558. prodiit, usus fuerim, eam tamen cum Juntarum, & Valgrisiorum variis editionibus comparavi; ut, si quis vel levis error typographicus in Frobenianam irrepsisset, detegerem, atque corrigerem.

Quum autem omnem adhibere industriam, atque diligentiam veteres Græci non prætermiserint, ut recte, & secundum rationem quasvis vel difficillimas luxationes, & fracturas in suam sedem restituerent: varia hinc machinamentorum genera invenerunt, quibus, absque ullius partis noxa, vel detrimento, membra affecta validissime distendi, divulsaque ossa in suam sedem cito, & tuto recondi possent. Horum machinamentorum præstantiora retulit in hoc libro Hippocrates, quorum usus, quamvis hodie fere penitus obsoleverit, nihilo tamen minus eorum artificium, vires, & præstantiam serio consideranti, & commodissima, & utilissima dignoscuntur. Splendidissimus enim horum quodlibet machinamentorum Archetypus est, atque exemplar, quo tum justas membrorum figurationes, tum extensionis, tum antistasis, sive oppositæ extensionis modos, tum rectas reliqui corporis sustentationes docemur; quamobrem iis carere utique poterimus, sine eorum vero inspectione, & cognitione ossium repositiones optime efficere non valebimus: quoties enim vel solis manibus, vel aliorum instrumentorum ope illiusmodi operationes moliri aggredimur, eadem omnino omnia, quæ Hippocratis machinamentum præstaret, exequi debemus; proinde tyroni-

©BIU Santé

ronibus ad discendam veram rationem, & modum, quibus operationes instituí debent, optimum quidem specimen horum machinamentorum cognitio esse poterit. Verum licet accurate, satisque luculenter eorum constructiones, atque utendi rationem Hippocrates exposuerit, attamen, quum melius semper, atque acrius oculis subjecta fidelibus, quam enarrationibus comprehensa animum irritent, tabulas ex Galeno, & Oribasio desumptas adjeci, machinamenta ab Hippocrate in hoc libro proposita repræsentantes, quas asteriſco indicavi, ut cuilibet per eas commodius, unoque veluti intuitu, horum liceat artificiorum figuram, atque compaginem cognoscere.

Equidem, ne linguæ Græcæ peritis mancum, aut mutilum opus hoc videretur, si gentilitia Asclepiadeorum vox defeciſſet, textum quoque Græcum adnectere constitueram, eumque exscribere selegeram, quem ad hanc eandem Latinam Cornarii interpretationem adhibuit Hieronymus Mercurialis in sua splendidiſſima editione anni 1588., in qua, præmiſſa eruditiſſima censura, novo ordine in quatuor classes omnia Hippocratis opera latine, & græce digeſſit. Quantum enim in græcis literis fuerit versatus Mercurialis, ejus opera ostendunt, iique potiſſimum libri, qui *Variarum Lectionum* inscribuntur. Verum postea melius rem perpendens, animadverti, quod græcarum literarum expertibus libri pondus inutiliter augeretut; peritis vero, qui Hippocratis autographum præ manibus habere consueſcunt, esset supervacaneum; neque ad scopum, quem mihi in his commentariis proposueram, ullam utilitatem Græcus Codex afferret; ideo susceptum consilium deposui, & plurimorum Hippocratis Commentatorum exemplo, latinam textus versionem satis esse putavi.

Monendum insuper mihi est, quod inter auctoritates, quas ex aliis Hippocratis libris ad confirmandas sententias excerpsi, eas, quas in Mochlico scriptas esse citavi, non ex Cornarii, sed ex Calvi, & Foesii interpretationibus desumpsi. Cornarium enim

©BIU Santé

enim nullum græcum exemplar vidiſſe apparet, quod integrum Mochlicon, ſive Vectiarium contineret; aliter enim, non librum de Oſſium Natura cum Mochlico confudiſſet. Hæc quidem unica, ſed non parvi momenti, res eſt, quæ in elegantiſſima cetero-quin, Cornarii interpretatione deſideratur; quare Foeſius in adnotationibus ad genuinum Mochlicon, ita ſcripſit: *Quo certe magis miror Cornarium veteratorem hoc in ludo aſſiduum, libellum* περὶ ὀστέων φύσιος *iſtius Mochlici indicatura inſigniviſſe, juſtique Vectiarii nomine populo venditaſſe, cum ne ulla quidem in eo ad impellenda oſſa molitio, aut machina adhibeatur, ibique oſſium, quæ exceſſerunt, recondendorum altum omnino ſit ſilentium, niſi & iſte illi ad tantam inſcriptionis exiſtimationem retinendam, velut ſuccenturiatus, adjungatur.*

Num vero horum librorum de fracturis, & luxationibus auctor Hippocrates magnus fuerit, an priſcus ille, ac primus Hippocrates Gnoſſidici filius, veteres Medici, qui ante Galenum extitere, valde dubitarunt. De ratione etiam, qua hi libri ſcripti fuerint, variæ fuerunt ſententiæ: nam non in duos diviſos, ſed conjunctim, & tamquam unum opus editos fuiſſe nonnulli contendunt, quod inſcriptum fuerit *Medica Officina*: poſtea vero ob magnitudinem id aliquem disjunxiſſe putarunt. Quidquid autem id ſit, noſtrum non eſt, neque multæ utilitatis adeo obſcuras quæſtiones evolvere: ſatis quidem erit ſciviſſe, quod ex ſapientiſſima ſchola Coa tam egregium opus prodierit, atque ad nos per Hippocratem Magnum pervenerit: quare hi libri inter genuinos Hippocratis ab Erotiano Græco auctore vetuſtiſſimo, magnæque auctoritatis, recenſentur: *Immo vero*, ait Mercurialis in Cenſura, *eos forſan omnium germaniſſimos eſſe aliquis poſſet aſſerere, quod Hippocratem in ea parte Medicinæ, quæ chirurgica vocata eſt, quæque tunc ſumma in exiſtimatione habebatur, maxime omnium excelluiſſe conſtat.*

De ordine quoque alii diſputarunt, inquirentes, cur Hippocrates in hoc libro fracturis dicato, quarundam luxationum me-

©BIU Santé

meminerit: ad librum vero de luxationibus peculiares curationes plurium fracturarum rejecerit. Sed hunc ſcribendi modum tam apud Hippocratem, quam apud alios Veteres, qui dicendi facultate maxime præſtiterunt, ſæpiſſime reperiri, utpote, cum magis in ordinis congruentiam, quam in dicendarum rerum ſeriem incubuerint, Galenus adnotat; eam inſuper luxationum doctrinam, quam in hoc libro Hippocrates expoſuit, maximam cum fracturis habere affinitatem; & eas fracturas, quarum ipſe in libro de Articulis meminit, cum ipſis luxationibus congruere, idem Galenus oſtendit.

Hæc omnia, aliaque nonnulla ad hiſtoriam Medicinæ, atque ad varias priſcorum Medicorum curandi rationes pertinentia in his noſtris commentariis adnotavimus: quæ lucubrationes quanticunque habendæ ſint; ſemper tamen conſulam, hortabor, & quantum in me eſt, ad horum librorum ſtudium Chirurgiam addiſcentes impellam; certus enim ſum, quod optime ſibi me conſuluiſſe, fateri cogentur, quum ſedulo, attenteque Hippocratem perlegerint.

©BIU Santé

HERMANNI BOERHAAVE

ORATIO

DE COMMENDANDO STUDIO HIPPOCRATICO

HABITA

Cum Publicum Inſtitutiones Medicas prælegendi Munus in Academia Lugduno-Batava inchoaret.

EXIGIT hujus Loci auctoritas, atque ipſa hæc, quam ago, perſona, ut de rebus Medicis verba faciam. Illarum vero, quum magna ſit copia ad dicendum, eam eligendam putavi, cujus enarratio Medicinæ Cultoribus utilis inprimis eſſet, atque tempeſtiva. His quippe omnis hicce apparatus. His omnis hæc dicata eſt feſtivitas. Quid autem res ipſa monet? Quid tempus poſtulat? Niſi de eo agendum, quo, licet in arte medica palmarium ſit, haud aliud tamen negligitur turpius, vel magis perfunctorie tractatur. Ea ſc. hoc ſeculo in ſchola Medicorum oſcitatio dominatur, an ſuperbia, ut ſpreta Hippocratis monumenta nullo in uſu, vix ullius habeantur pretii! Hæc tamen ſcrutanda, hæc nocturna verſanda atque diurna manu, prius quam bonæ frugis quidpiam ab Medico in ægros redundare queat, perſuadere conabor. Quæ dum in animum induco, late-patentem orationi campum nactus, exſpatiarer pro rei copia; ſed reprimit impetum, verbaque

©BIU Santé

baque mea in brevis horæ curriculum cogit, Veſtræ, P. C. Præſentiæ Majeſtas, Veſtri temporis Patriæ ſacrati juſta æſtimatio. Illis minime abuti, ſed ea, qua par eſt, cum veneratione frui animus dictat, dum contemplatur Veſtra in capeſſunda feliciter Rep. Merita, atque Virtutes, quæ claro ſanctiſſimæ veritati præconio æterna, gratæ Poſteritati laudis materiem, virtutum exempla, dabunt. Attica ergo lege, nulla exordii pompa gravis, pauca in medium proferam, quibus juveniles animos excitem, ut inflammato ſtudio rapiantur ad puriſſimos ſalutis fontes, quorum ſalubri latice ſua conſcripſit Pater ille atque Princeps Medicorum. Hoc agenti attentionem parat, benevolentiamque conciliat rei opportunæ dignitas: timorem vero tollit, additque animum propria Vobis & ſpectata in audiendo ſemper lenitas.

Ut itaque propoſitum abſolvam, ante pauca de Officio Medici explananda habeo, quam de ipſo Hippocrate dicam. Medicum eſſe atque haberi eum, qui corporis humani ſanitatem tueri, atque infeſtos ei morbos propulſare novit, omnibus in ore eſt. Divina quiſquis hac arte pollet, primum ſibi in conſeſſu Apollineo locum vindicare, eumque digne exornare poterit. Neque vero aliis habet opus, quo ægrorum votis, ſuoque animo ſatisfaciat. Pauca quidem hæc atque pulchra, quæ medicinam conſummant, etiam ignaris apparent, ſed rerum peritis ardua comperta ſunt. Enimvero, ſanitatis natura & morborum in obſcuro latet; illorum cauſæ ſunt imperſcrutabiles; remedia haud ſatis habentur explorata. Hæc tamen perſpecta tenenda illi, qui ad artis adſpirat perfectionem, res ipſa clamat, conſentiunt omnes. Sed magnum ſemper inter Auctores, Scriptoreſque rerum medicarum, certamen fuit, vi ne rationis, an experientiæ uſu medicina magis procederet. Neque defuerunt unquam præclaro ingenio Viri, qui utrumque horum per ſe indigens, alterum alterius auxilio perficere, cum laude laboraverunt. Ægri enim, ante nata medicinæ primordia, morborum cruciatibus impulſi ad certos dolores incerta tentaverunt remedia; quorum ubi nonnulla fortuna magis, quam arte, ſalutaria comperiſſent, eorum annotatione prima jecerunt artis fundamenta. Poſtea vero ægrotos in forum & compita exponentes, unumquemque prætereuntium ſimilia forte paſſum lege lata compulere, ut laboranti eſſet ſolatio, ut manifeſtaret remedium, cujus auxilio ipſe ejuſdem mali pericula effugerat. Cernitis A. alterum Medicinæ ſtatum, quem ſapientiæ humanæ antiquiſſimi auctores Babylonii, & Chaldæi inchoaverunt; a quibus, ut artium reliquæ, derivatus in Ægyptum, pro ſubtilitate, atque induſtria Gentis, ſenſim magis magiſque fuit promotus. Quid enim? morborum ſpecies, & auxilia votivis inſculpta tabulis ad delubra deorum ſuſpendendo, atque unicuique ma-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 20 sur 355

©BIU Santé

malorum ſingulos præficiundo Medicos, indigeſtam experimentorum molem bene, & compoſite digeſſerunt in formam artis, uſui accommodatam. Poſtremo, progreſſo cum tempore uſu, ſola remedia non ſufficere experti mortales, judicium rationis implorabant, cujus ſibi luce inprimis opus eſſe, ad dignoſcenda, & curanda mala, in plurimis & ſolius ratiocinii lumine diſtinguendis circumſtantiis, dudum obſervaverant. Tumque ſtatim, ut in talibus fieri notum eſt, ſubtilitati ingenii magis, quam experiundi tædio, dediti, ea, quæ ſapienter, & ex rei neceſſitate, a Majoribus conjuncta acceperant, ſeparaverunt. Tum, ne conſulta quidem experientia, excogitatam ſpeculatione rationis diſciplinam nobis obtulerunt. Verum, licet ad eloquentiam compoſita, & philoſophantibus accepta brevi adoleſceret, ægris tamen pernicioſa comperta fuit & fatalis. Neque mirum id videbitur ei, qui in rem ipſam introſpicere proprius non dedignatur. Eſt nempe tam ſanitas, quam morborum quilibet, definitus omnino effectus, oriundus ab determinato & ſingulari concurſu omnium illorum, quæ juncta, in illo effectu producendo, cauſæ officio funguntur. Hanc ergo ut lege rationis inveſtigatam cauſam evidentia demonſtres mathemathica, oportebit prius exactiſſime cognitas habere ſingulas ejus proprietates & vires ſeorſim ſpectatas, atque deinde ex iis ad ſe mutuo comparationis ope relatis, novas, quæ hinc deteguntur, invenire. Quum vero mentis noſtræ intellectum non illuſtrent illæ proprietates, niſi per effecta ſua, quæ ſenſibus ſe cognoſcenda præbent; palam eſt, omnia illa, quæ cauſæ, accidentium, vel effectorum ratione in ſano, vel morboſo ſtatu adſunt, indaganda & deſcribenda eſſe, antequam de proſpera vel adverſa valetudine, atque utriuſque mediis, ſtatui quidquam poſſit. Agitur hic enim de rebus ipſis prout ab ſuis cauſis in rerum natura conſtituuntur: quæ ſemper ſingulariſſimæ, & a peculiaribus circumſtantiis undique dependentes ſunt; in quas proinde vis demonſtrationis abſtractæ, univerſalis, & indefinitæ non eam lucem infundit, quæ rebus gerendis requiritur. Si autem tanta ægritudinum varietas, ſi in unaquaque illarum tam multa obſervanda, ut ratiocinii tantummodo colligantur fundamenta; quis erit, qui vitæ fluxam fragilitatem non deploret? ſtupiditatem attentionis quis non doleat? inprimis, quum tot impedimenta nulla arte evitanda, occupatum in his animum quavis hora avocent, atque in averſa abripiant. Tanta hæc, tamque difficilia ſunt, ut nulli mortalium ætas, opportunitas, corporis, vel animi vires ſufficiant, ut ab ſe uno hæc abſolvenda ſperet. Quorſum igitur hæc diſputo? Ut intelligatis quam neceſſarium ſit, ut ex aliorum laboribus eligamus, nobis quod ex uſu ſit; Ut videatis, conſulendos eſſe a nobis mortuos, ſi vivos imperitiæ primo diſcentium, ſi eos pri-

©BIU Santé

primorum experimentorum periculis, eripere ſtudemus. Ita ſe res habet: vel de integro ſemper eſt ineunda ratio, adeoque unius ubique induſtria ſtabit: vel cadet medicorum ſcientia; quod quam abſurdum ſit, patet: vel inevitabilis incumbit neceſſitas legendi ſcripta eorum, qui ante nos de hac arte commentati ſunt.

De hoc quum liquido conſtet; quod ſupereſt, inter illos præter omnes noſtra attentione digniſſimum eſſe Coorum Principem, haud equidem difficulter demonſtrabo. Quodcunque in adverſaria medica referri meretur, ut ſcribendæ hiſtoriæ & dirigendo ratiocinio inſerviat, tam evidens ſit oportet, ut de eo ſanæ mentis dubitet nemo, vel cum ratione diſputet. Neque minus neceſſe eſt eadem illud narrari ſimplicitate, qua ſenſibus ab ipſa natura revelatur; Huic omnis nocet factorum immutatio, obeſt additamentum aut detrimentum rei vel minimæ. Talia quæ ſunt, clara, vera, atque æterna erunt, & relata ad cauſas indagandas eam habebunt rationem, quam in Geometricis data habent ad quæſita. Quiſnam vero aptus erit, in factorum hiſtoria, ſolam naturam ducem ſequi? Quis non divagabitur? Quis dubitandi occaſionem evitabit? Solus ille, mea quidem ſententia, qui omni partium ſtudio liber, nulli opinioni ſerviens, omni denique præjudiciorum amore vacuus, ea diſcit, ea recipit, ea narrat, quæ videt. Hic autem provocare juvat ad unumquemque Veſtrum, cui veterum placita, vel recentiorum ſuper hac re ſcripta excuſſiſſe, volupe fuit. Recolatur memoria; atque inter tot Scriptorum millia, unus modo nominetur, qui & ſua tractet, & ad liberæ veritatis ſanctitatem caſtigatus ſit. Solus ille noſtræ ſcientiæ Conditor, mira hic puritate nitet, ſolus liber eſt. Nuſquam præcario quatuor elementorum figmento, vel editis inde ſuppoſita nativitate quatuor primariis qualitatibus morborum fata obſcurat, vel nativos ſanitatis inquinat colores. Nunquam inanis de prima temperie ſimplicium vitæ ſtaminum diſceptatio ejus animo offecit, quo minus in veros rerum eventus penetraret. Fruſtra in prudentiſſimo Viro acria illa de calido innato, de radicali humido certamina quæſiveris. Non ullibi tot ſubtiles, atque adauctis evanidas diſtinctionibus morborum atque cauſarum differentias apud magnum medicinæ Parentem invenire eſt. At joco quidem ille, refutatione dignus ſeria, qui ludicra opera abutens, Chemicis deceptum fabellis Præclarum Senem, orbi imponit: quaſi ſcilicet ſuavia illa de acido, & ſale ex cineribus reſuſcitato ſomnia, tantum optimæ menti veternum incuſſiſſent, ut in deſcribendis natura & remediis malorum haud deliraviſſet aliud. Non ita eſt. Meruit hanc laudem & meruit fere ſolus, quod non viſa nullibi effinxerit, quod videnda nunquam neglexerit, quod opera naturæ narraverit, non autem detorſerit, vel mutaverit,

©BIU Santé

verit, quo labili aliter Hypotheſi honos permaneret & perennitas? Qui, quum talem ſe geſſerit omni vita, digniſſimus certe fuit, qui duraturam per tot ſecula obſervatorum delineationem poſteris conſecraret: atque vel hoc nomine omnem bonorum diligentiam, omnia ſtudia ad ſe trahere meretur. Illi tamen jure adjungas paucos quidem, ſed ejuſdem caſtitatis obſervatores religioſos, ex ejus doctrina ſapientes Aretæum ex Cappadocia, atque Rufum Epheſium, vel alios, ſed paucos admodum ante Galeni tempora, Græcos. Componantur vero Coorum oraculis cæterorum, qui de medicina ſcripſerunt, inventa. Vah quot commenta opinionum! Quibus decepti, pars rerum apparentias eo narrant ordine, quem ſuaſit, cui ſerviunt, Philoſophorum ſecta; alii rerum faciem ementitis coloribus deturpant; reliqui vero parum ſolliciti de factis, indagini cauſæ phyſicæ, omne applicant ingenium.

Alterum, quod in hiſtoria medica requirit ratio, eſt dictionis ſimplicitas, res ipſas brevi & perſpicuo ſermone explanans. Quo ſales? quo joci? quo fabulæ? ubi res agitur maxime ſeria, atque præ aliis graviſſima? Abſit ſtudio conquiſita vocum obſoletarum obſcuritas! Abſint Rhetorum flores, & verborum lenocinia! abſit vana & in hoc negotio intempeſtiva Hiſtoriæ antiquæ oſtentatio! Neque ſubacti Vir judicii pompoſam variarum de quæſita veritate ſententiarum enumerationem deſiderat, neque ſubtilem & præmaturam cauſæ ultimæ inquiſitionem. Literatorum epulis ſuaviſſima hæc condimenta ſtomachum movent illi, qui id unum ſedulo operam dat, ut certa & clara ſigna atque remedia utriuſque valetudinis addiſcat; qui id ſibi inprimis credit negotii datum, ægris ut placeat, non eloquentia, ſed ſanatione. Nos, quibus nihil penſi eſt ſcire quid mellita lingua, quid acre ingenium de medicina dictet, Hippocratica folia, Sibyllinis veriora, revolvamus; in quibus gravia naturæ oracula ſonant. Illis intento, non obtunditur judicii acies verborum obſcuritate; ambagibus reſolvendis, conciliandis adverſis bonum non conteretur otium; ſed ſenſu turgens Laconum brevitas, Attica perſpicuitate facilis, graviſſima rerum pondera legentibus revelabit. Si ab uno diſceſſeris Hippocrate, quis illi par? Si uſquam, hic vero locum habet vetus illud, rari boni. Qui enim animi inſtruendi ergo ad reliquos adit Auctores, vel recocta reficietur crambe, aut meram offendet barbariem, aut poſtremo affectatam, ſed inopportunam oſtentationem linguarum, Antiquitatum, Hieroglyphicorum & fabularum. Adeo pauci ſplendorem referunt artium præclariſſimæ debitum. Dum enim inter Arabas, atque barbaros Galeni interpretes ſpurcitiem ſermonis deteſtamini, apud eruditos, qui in Hippocratica commentantur, plura invenietis, quibus diſer-

©BIU Santé

diſertum oratorem, quam quibus utilem ægris perficiatis medicum.

Sed ego hæc omitto; reſtant enim alia, & majori pondere argumenta, quorum vi, omnibus aliis præferendus demonſtratur Hippocrates. Verum ad quid me convertam? Quid dicam prius? Larga eſt & dubia rerum memorabilium copia. Quid itaque memorabo? An vividam illam, atque nullo fractam labore attentionem animi, qua ad omnia circumſpexit? An admirabilem, neque unquam torpentem diligentiam, qua quidquid ad rem facit, indagavit? An incomparabilem & pluſquam Humanam, qua ſuo parta labore orbi communicavit, benevolentiam atque fidem? Quodcunque horum ſpeculatur animus, agnoſcit, ubique ſupra invidiam clarum, ubique ſupra humanam ſortem felicem, ubique verum, Appollinis æmulum, Coorum Æſculapium! Quæ ſint, quæ fuerint, quæ ventura examuſſim omnia in qualibet ægritudine referre, ſoli datum fuit oculatiſſimo illi naturæ contemplatori. Si quis advertit animum ad miram illam, qua Prudentia diſtinguit natos per Medicum, Miniſtros, Medicamenta, atque ægrum, in morbis errores, ab iis malis, quæ ipſa morbi indoles produxit, Lynceum ſibi, Phoſphorum aliis fuiſſe pronunciabit. Ego equidem, quod res cogit, ita ſentio A., omnes, quorum memoria extat, omnium ſæculorum viros medicos, tot in morbis phœnomena, ne junctis quidem operis deſcripſiſſe, quot nobis relinquenda curavit, ſolus ille arcanorum vitæ ſcrutator. Quis anniverſarias cœli tempeſtates, ut ſolemnium morborum cauſas, evulgavit? Hippocrates. Quis peculiares aeris viciſſitudines, æſtus, frigora, imbres, ſqualores, ventorum furores, horumve ſilentia, hos illoſve morbos generare, aperuit? Hippocrates. Quis ex regionum ſitu, natura ſoli, aquarum copia, motu, vel ſtagnis, quis ex telluris exhalationibus, ex montium poſitura, cauſas popularis necis detexit, quis integras hac ſapientia gentes ſervavit? Hippocrates. O ſalutarem generi humano, neque unquam ſatis laudandum Virum! Nam quid Ego de induſtria illius dicam? Qua vitam, victum, potum, labores, atque mores Gentium examinans, in ortum verniaculi ipſis mali penetravit. Quid memorem relatas ab ipſo eas rerum minutias, quarum adſpectum refugerent ignari, quas tamen illius monitis prudentes ſatis graves experiuntur? Vos, quibus in adyta veritatis penetrare, amor eſt, intrate firmo pectore in penetralia Salutis, quorum atria tabulis Hippocraticis ſuperbiunt, quibus ille naturæ oracula de Aere, locis, atque aquis inſcripſit.

Verum ſi major menti veſtræ cupido, neque veſtibuli ornamento contentis ipſum muſæum ingredi lubet; ite audaces, ut contemplemini Venerandum Senem deſcribendis epidemicis occupatiſſimum: neque mora erit, quin audituri ſitis gravem Sapientis vocem, qua dictat ſuis; non obſer-

©BIU Santé

obſervanda tantum ſexus, ætatis, atque indolis diſcrimina; non modo notanda exercitia, mores, victum ægrorum; neque aeris ſufficere deſcriptionem, quoties deſignandi ſunt illi, qui hac illave populari peſte præter cæteros egregie infeſtati fuerunt. Sed videbitis præterea eum depingentem oculorum, capillorum atque cutis nativos colores; cernetis exarantem an lingua volubilis, an balbutiens, an vox gracilis, an vero gravis fuerit; atque infinita quidem talia, non hic memoranda; ideo omnia vos docet, ut ſingulare cognoſcatis temperamentum eorum, qui graſſanti malo magis obnoxii erant, quam reliqui, qui illis notis deſtituebantur. Eo hæc vobis inculcat, ut ducem habeatis, cujus ad exemplum voſmet in obſervandis ægris geratis. Eo hæc adfero, ut conſtet, ſigna dignoſcendi morbos neminem exactius, propria illis mala neminem accuratius, artem de illorum fatis vaticinandi neminem verius tradidiſſe. Sive illorum primordia, incrementa, exitus, ſive & miras illas, atque raro deſcriptas permutationes addiſcere juvat, ſolus ille honeſto ſatisfaciet deſiderio. Et dubitamus adhuc in noſtrum commodum uti tantorum laborum fructubus! Aut ex eo colligere facta ſine periculo, quæ novo aliter diſcrimine diſcenda erunt?

Sed deficeret dies, ſi cuncta attingerem, Et Vos A. qui perſpicientiam Viri in detegendis morbis admiramini, ut de felicitate, qua eoſdem profligaverit, pauca dicam, expectatis. Ita enim in artis exercitatione ſe geſſit, ut ſuo docuerit exemplo, poſt nitidam morborum delineationem, haud aliud Medico incumbere, quam ut probe compertam, atque ſucceſſuum proſperitate confirmatam eoſdem tollendi viam inveniat. In his inveſtigandis, fuerit ne altiori uſus ſapientia, an in communicandis candore animi, haud facile dixerim. Priori certe ſe, altera virtute nos, ab erroris periculo liberavit. Hanc gratos agnoſcere, mirari illam, imitari utramque decet. Nulla Viro in applicando remedio temeritas, Nulla illi in obſervando effectu feſtinatio, Nulla in ſiniſtris eventibus occultatio, Nulla in extollendis proſperis jactantia. Obtemperans morbo, ei imperat: ſuis illum artibus vincit. Dumque deficientis vitæ vires erigit, vel furentis in ſua damna impetus temperat, pauca, ſed certa, vilia, ſed apta, remedia invenit. Non in comparanda Horum varietate, quod vanum, ſed in cognoſcenda vera, & tempeſtiva illorum neceſſitate, quod in hac re ſummum, ſollicitus, quibus opus eſſet, & quali eorum exhibitione, cogitavit. Non ad abditas, ſed evidentes, reſpiciendo cauſas, certa & explorata dubiis præferebat. Quis veſtrum non ſuſpiciat? Quis Medicorum non imitetur? Quis ægrorum non optet ſuis malis medicum, fulgentiſſimum illud Græciæ dicam, an Orbis Lumen? Ille morborum itinera atque velocitates ſpeculatus, atros Horum alboſve

dies

©BIU Santé

dies obſervans, materiæ morboſæ motibus vel moderans vel obſecundans, ejus cruditates digerens, matura per vias ab ipſo morbo indicatas comitans, eorum ſeceſſus dirigens, expellenda promovens, imitator denique & auxiliator potius, quam temerario auſu perturbator, omnibus ſalutis, nulli necis artifex celebrandus eſt. Nocentia, quæ ſors, juvantia, quæ ars vel caſus, obtulit, rimatus, remedia reperit; tempus, modumque quo hoſtem viſceribus excutit ſibi permiſſa natura, contemplatus, utendi medicamentis regulas ſtabilivit. Ea poſtquam annoſa, & quotidie exculta munivit experientia, poſtquam mille eventuum felicitate comprobata dedit; tum demum ſatis idonee inſtructum ſe exiſtimavit, qui Herbarum, foſſilium, atque animalium virtutes traderet. Neque nudas enarraviſſe illas contentus, cautelas addidit, & monita, quibus artis imperitos ab ejus exercitio arceret. Si vera audire juvat, ſi vera eloqui ſine invidia licet, hæc vera eſt, hæc ſola ægrotis ſuccurrendi via. Non eſt, non invenietur alia, niſi qua in perniciem humani generis, non in ſalutem, itur. Unica hæc admirabilis, Utilis, imo prope divina eſt, quam calcavit, quam nobis & opere & verbis præmonſtravit artis Auctor.

Vos, o præclari Juvenes, Sacrata Phœbo pectora, quibus re quam oratione convinci gratius, ipſam accedite ſcaturiginem in vitæ ſolatia ſalientem; cujus ſalutari lympha diffluunt, quæ de Morbis, de Affectionibus, de Internis, atque de prædicendi Arte vobis volumina dedicavit; Heu! quantum deſcivit ſequutis dein ſæculis a priſca gloria Medicina! Quam turpiter ab efficaciſſimo artis Magiſtro, Uſu, ad figmenta ludentis ingenii defecit! Damnoſa quid non imminuit inertia! dum ab laborioſa obſervatione, ad Philoſophorum placita, ab dictatis naturæ, ad garrulitatem, ab Hippocratis effatis, ad lubidinem fingendi devolutam dolemus! Quis æquo ferat animo jactari palam & ubique ſanationes malorum, quæ, ſi jactata medela pellere tentes, irritata & aucta, non ſublata, neque ſopita indignamur? Cuinam ea lenitas, ut non commoveatur tot circulatorum Panacæis? Apage anili vix dignas lucubratione Perſonatorum Chemicorum fabellas! Apage vana promiſſa, in artis Hermeticæ dedecus nata! Apage Cyclopas, qui Phœbi ſacra Vulcano dicant, qui artium utiliſſimæ Chemiæ uſum in cyclicorum technas convertunt! Quantæ tamen auctoritatis hæ nugæ pluribus habentur, neque naris tamen obeſæ viris! Quaſi ſatis non fuiſſet ſimplicium numero, compoſitorum confuſione, methodorum mole obrui, niſi in malorum complementum impudentis ignorantiæ portenta acceſſiſſent! Sin vero ad alios te converteris, minus formidoloſa quidem, ſolida tamen in hac re vix reperire dabitur. Qui enim rerum uſu occupati, raro ſcri-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 26 sur 355

©BIU Santé

pſere ; cæteri inventa rationis diſputatione , vel tradita ab aliis deſcripſerunt remedia , & medendi formam . Reſtat ergo , nam plura urgere vetor , in omnes optimus Hippocrates .

Sed alia aliis mens eſt , durum his , atque alienum a veritate videtur , quod perſuaſum volumus ; quos quia , neque rationis ſpecie carent , audire fas eſt . Nonne , rogant , obſervationis uſu conſtat Medicina ? Ajo . Nunquid ergo temporis filia , ab eodem incrementa capit ? annuo . Ergo ſub primæ artis Conditore infans imbellis humi ſerpſit ? neque id negaverim . Itaque ſub primo inventore Hippocrate rudis , tot dein ſeculorum cultu polita , hoc tempore maſculo vigore ſplendet . Id vero affirmantem multa neſcire neceſſe eſt : Errat qui ſuis modo ſapuiſſe Virum credit , & rem ignorat . Teſtor Hiſtoriarum monumenta , quæ docent ab Apolline , primo inter Grajos Medico , oriundum Hippocratem , primævæ in Græcia medicinæ arcana hæreditario jure poſſediſſe . Phœbi proles Æſculapius tradita ab eo ſecreta perfecit , ſuiſque inventis aucta poſteris reliquit : ab hoc dein deſcenderunt , quæ admiratur antiquitas , medicinæ lumina . Celebrat enim Chriſamidem , Cleomuttadem , Theodorum , Soſtratem , Nebrum , Cnoſidicum , Hippocratem majorem , atque noſtri Genitorem Heraclidem , omnes Medicos , omnes arte claros . Adeo ut in Hippocratem de traduce in traducem propagata ſint artis myſteria , quem recta ſerie ab ſtirpe nonum decimum in ſua familia fuiſſe medicum accepimus . His ubi curas , diligentiam , longævam ætatem , peregrinatione artis ergo per Babylonios , Ægyptios , Seras & Indos ſuſceptas , addideris , liberatus hoc errore , rudem medicinæ admotum non arbitraberis . At ille , quamvis tam amplis ſuæ gentis inſtructus eſſet præceptis , non acquievit , intelligenda aliorum dogmata putans , quæ jam tum evulgata erant expendit . Erat ea tempeſtate fama notiſſimum in Cnido fanum , cujus parietes undique obvelati tabulis , in quibus continebantur Hiſtoriæ pulcherrimarum in facienda medicina obſervationum ; Hoc ille Juvenis admodum inviſit , ſibique exarata deſcripſit , factus Cnidiorum arcanorum Symmyſta . Neque adeo infantem tum medicinam fuiſſe credet , cui , vel eo tempore in ſectas eam diviſam , ſcriptis evulgatam , atque adfinium diſciplinarum auxilio promotam fuiſſe , ex hiſtoria notum eſt .

Plura adferre ſuper hac re ſuperſedeo ; inſpiciat , cui lubet , libros de priſca medicina , de victu ſalubri , de cibo acutorum , & de iis , quibus manus medetur , omnes Hippocratis conſcriptos ſtylo . Unum addam ex innumeris , quibus acceptam a Parentibus vel Extraneis medicinam ipſe provexit . Atque tale quidem id fuit , ut ipſi uni proprium , ipſi ſingulare fuiſſe , rerum omnis memoria teſtetur . Theſſalum majorem

©BIU Santé

rem natu filium in Theſſaliam, Draconem, qui alter ab illo annis erat, in Helleſpontum, Polybium generum ſuum in aliam Græciæ regionem, tum ingentem Diſcipulorum numerum dimiſit per reliquam Hellada, omnes imbutos artis regulis, omnes inſtructos remediis, ut per totam Græciam ægris mederentur. Hi expoſitos in trivia ſanare, morborum eventus, remediorum effectus annotare, ad Hippocratem cuncta referre. En vobis adverſariorum Theſaurum! En modum adquirendæ ſapientiæ medicæ verum! Hæc felicia artis fata! Hæc fortunata tempora! Quum unus, atque idem ſapientiſſimus tot Artificum peritorum opera uteretur! Quum omnium Coryphæus tot labores, tot experimenta aliorum ſuis perficiens in corpus redigeret ordinatum! Eant jam, qui ignorantia adflati vel invidia tanto Viro obtrectant. Comparetur illi quem volunt; quam diſpar erit ratio. Alii, quid unus, hic, quid plurium induſtria valeat, exhibet: Alii, ſuis modo vident oculis, hic multorum uſus eſt acie: Cæteri per ſingulos ægros, hic per eorum agmina experimenta fecit: Pauci, quid intra arcta unius Urbis pomeria morbi ſit, tradiderunt, Ille, quæ in tot vicos, urbes, regiones, & regna lues graſſaretur, obſervabat. Hanc Ego Cauſam, quo minus alios huic pares ſtatuamus, inprimis magnam puto. Profecto, Sapientia artis major longe in illo fuit, qui tantis ad medicinam auxiliis uſus eſt, quam in reliquis, qui, quamvis cætera æquales, his deſtituti fuerunt. Atque inde natam arbitror, eorum, quæ ſcripſit, æternitatem; Hinc ortam puto, illorum qua viginti ſæculorum examen ſuſtinuerunt, integritatem. Evolvatur illorum ordo, mutata Hippocraticæ veritatis facies nullibi apparebit. Excutite Grajos, cognoſcite Romanos, verſate Arabas, repetitam atque confirmatam ubique invenietis doctrinam Hippocratis. Ex his enim, quorum ad nos memoria pervenit, Diocles Caryſtius, Aretæus Cappadox, Ruſus Epheſius, Soranus, Galenus, Ægineta, Trallianus, Aetius, Oribaſius, & alii, quidquid habent eximii, illi debent. Romani, quos inter Celſus excellit & Plinius, Hippocratem Numinis loco habent, ad ejus effata, ut ad oracula, confugiunt. Arabum optimi purum putum deſcribunt Galenum, qui ubi verus ibi totus Hippocraticus eſt. Inter recentiores de medicinæ uſu ſcriptores, paucos, ſi ulli ſunt, Veterum perfectionem attigiſſe dolendum, quum reliquas artis medicæ partes cum gloria eos exornaſſe, atque priſcorum inventa, longe ſuperaſſe exſultemus. Unum eximium habeo Thomam Sydenham, Angliæ lumen, Artis Phœbum; Cujus ego nomen ſine honorifica præfatione memorare erubeſcerem: quem quoties contemplatur, occurrit animo vera Hippocratis Viri ſpecies, de cujus erga Rempublicam Medicam meritis nunquam ita magnifice dicam, quin ejus id ſit ſuperatura dignitas.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 28 sur 355

©BIU Santé

Sed reverſo, unde me deduxerat Optimi Viri contemplatio, objicitur: An ergo ſolius Hippocratis intellectum Medico ſufficere, aliorum labores illi nec decoros, nec utiles, neque neceſſarios exiſtimem? Minime. Ingentes Viri defectus, quos habuit, quos agnovit, ſciens, minimis tamen urgeri demonſtrans, optimum prædico. Inter ignariſſimos autem habear, ſi Veſalii, Aſellii, Harvæi, Pecqueti, Uberii, Whartoni, Drelincurtii, atque Bartholinorum, quibus corporis humani fabricam explicarunt, inventa ignorem; ingratiſſimus audiam, niſi venerabundus illorum dignitati aſſurgam. Uni Malpigio liquorum ſemitas, Spirituum rivos, Uni Malpigio Dædaleam viſcerum ſtructuram, Uni Malpigio quidquid ad totam corporis compagem ſpectat, patuiſſe, quis ignorat? Summos in re Herbaria profectus & novi utcumque & laudo: Caſtigatam ſeculi induſtria Chemiam amo, atque colo. Mechanicorum, Aquilegum, atque Phyſicorum radiis illuſtratam eam ſcientiæ partem, quæ naturales corporis actiones applicat, atque hoc nomine Boylæi, Borelli, Bellini, Malpigii, Pitcarnii atque aliorum utiliſſimos eſſe conatus, omnis clamabit poſteritas.

Quapropter, ut quæ ſententiam libere, ſed compendio dicam, non inepte equidem, opinor, is, qui Geometrica atque Arithmetica primo inſtillanda, ſuadebit, animis eorum, qui Phœbo devoti ſunt. Hujus conſilio ipſa ratio, ipſe ſuffragabitur Hippocrates; imo ejus ipſe filio ſuo, in datis ad eum litteris auctor eſt, addito illo argumentorum pondere, quo vel inutiliſſimo aſſenſum exprimat. His imbuto, præclara hujus ævi inventa addiſcenda per omnes medicinæ partes. Poſtremo autem, ubi, quod primarium eſt, artis exercitio ſe accingere ſtudent, ubi morborum fata, ubi Sanandi Regulas addiſcere cupiunt, tum vero ante omnes alios conſulenda Hippocratica, arbitror. Unum reſtat hominum genus hnic adverſum ſententiæ: quibus placet ex Univerſalibus rerum principiis, materia, motu atque figura corpuſculorum, a priori, ut vocant, demonſtrare ſanitatis, morborum, & medicamentorum naturas. Poſtulatorum illi copia, datorum inopia, haud quaquam deterriti, indeterminatam effingunt Hypoteſin, ex cujus aſſertione ſi via analytica & plauſibilis ratiocinii ſpecie unum alterumve ſatis generale deduxerint, rebus id applicant; atque inda ſanandi regulas ex ſuo ingenio excogitare non verentur. Verum, quanta ſpe decidant, tum demum conſtat, ubi hæc ſubtilitatis figmenta rebus gerundis adhibere, cum ſummo ægrorum damno experiuntur. Atque utinam hi, quibus Mathematicorum viam laudare ſolenne eſt, re illos, non verbis modo, ſequerentur. Diligentius data, prudentius demonſtrationes, tardius concluſionem, formarent. In ſolvendo pro-

©BIU Santé

problemate non ad unam forte obviam, ſed ad omnes, quæ propoſitionem determinant, conditiones attenderent. Figuras adeoque incognitas, velocitates incompertas, meatuum obſcuritates, Elementorum generalia, pro claris atque diſtinctis demonſtrationum fundamentis non admiſiſſent. Quid enim jubent Geometrarum leges, in demonſtrationibus rerum naturalium, quæ ſemper ſingulares, definitæ, atque ab aliis omnibus per minima diverſæ ſunt, colligenda eſſe quæcunque ullo nomine ad eas ſpectare obſervantur, ſive has præcedant, comitentur, vel ſequantur: illa dein collecta monent cognoſcenda eſſe ſingula quam clariſſime, denique ad hæc omnia ſingulatim probe cognita attendendum quam accuratiſſime, atque ita demum concludendum, prout hæc omnia ſimul exigunt, ſeveritate ſumma. Ita res ratiocinia, non hæc illas, determinarent. Ita concluſiones non vagæ eſſent cuilibet aptandæ quæſito atque abſtractæ, ſed definitæ, exactæ, atque rem hanc ſingularem, prout eſt, deſcribentes. Tantum ergo abeſt, detrahi obſervationum dignitati per Mathematicos, ut contra nulli clarius earum pretium demonſtrent. Sequantur itaque, id enim unice ſperamus, optimos veritatis Cultores Geometras! Quam arctos fines ſuis habebunt fictionibus! Quæ horum ſeveritas præcipiti illorum ratiocinio moderabitur! Quam dura ipſis incumbet neceſſitas imitandi Hippocratem, antequam ratiocinia valere in hac arte poſſint. Atque his hæc ſufficiant! Rationi enim quiſquis dicto audiens, haud difficulter ab errore reſipiſcit. Alios autem non moramur, qui neſcio quibus inſulſis ſalibus, aut tectis inviſibilium machinulis ſuperbi, vix ſibi viſum vilipendunt Naturæ Genium. Illis equidem, ſi quidquam fuiſſet penſi, non tam inepta de ſummo Viro judicia evulgaviſſent.

Ad Vos, quorum pectora Salutis humanæ amor inflammat, Ad Vos egregia Juvenum manus, mea ſe tandem convertit Oratio. Utile inprimis eſt, atque decorum conſilium, quo illi ætatem devovetis ſapientiæ, cujus uſus miſeris mortalibus cœleſtis habetur. Omnem laudis meretur memoriam ſpectata ſatis ſollicitudo, atque induſtria, qua perfecte prius diſcere, quam exercere ſtudetis eam artem, cujus abuſus humanæ genti peſtiferus atque exitialis eſt. Audiviſtis ea, quibus inſtructos eſſe decet Medicinæ candidatos; Audiviſtis, ubinam illorum vobis liberalis detur copia. Quis enim veſtrum ignorat, quos ſuis Hippocratica Pandora Theſauros diſtribuat? Horum & cupidi & potiri eſtis capaces. Eſt enim in medio poſita palma, volens faciliſque ſequitur, Vos inprimis, quibus innatæ dotes arte cultiores omnia felicia, omnia pulchra promittunt. Divitiæ, decus, gloria vos expectant, quique hæc longe exuperat, animus pulcherrime actorum conſcientia lætus. Si ergo

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 30 sur 355

©BIU Santé

ad Sapientiæ, cujus hæc præmia ſunt, Principatum adſpiratis, Illum ſectemini, qui eam condidit: facile iis artibus hanc ſcientiam augere eſt, quibus initio parta fuit. Non eſt, quod ignorantiæ pericula, dubitationis ſcrupulos, temeritatis errores horreat, qui conſulit effata Maximi Medici: luculenta eſt, pura, omnique errorum fœce purgata doctrina, quæ tot ætatum, hominum, artium atque experimentorum opera caliginem diſcuſſit, qua involvebatur tecta veritas. Qui medicæ laudis gloria ducitur, haud felicius eam conſequatur, quam ſi audiverit Hippocratem: Hippocratem, qui peritiæ fama perruptis Hellados clauſtris, in Perſiæ regiam atque hinc per totum tranſvolavit orbem: Hippocratem, qui æterna artis gloria decoratus temporis edacitatem incolumis ſuſtinuit: Hippocratem, qui omnes Humanos, quid Humanos memoro? Qui divinos honores vivus accepit, mortuus ſibi confirmavit. Eumne ſequi dedecori cuiquam fiet? Eum? Quem & Theſſali, & Coi, & Argivi, & Macedones, & Athenienſes, quem & Phocenſes, & Dorienſes ob ſervatam arte Patriam cæleſti honore decoraverunt? Quam laudabile, quam glorioſum eſt eum imitari, ad quem colendum omnes bonos habemus auctores! Quam turpe, eum contemnere, quem Illyrii, quem Pæones, quem Barbari Reges publicis legationibus, ut genium tutelarem imploravere! At, ſi quem honeſta magis rerum, quibus vita commode fertur, quam gloriæ cupido tenet, talem ſe gerat, ut Illi reddatur ſimilis; cui Perſarum Rex, auri quantum vellet, obtulit, cui tot Gentes tanta munera, virtutis præmia, miſerunt. Quot nobis Hiſtoria Viros memorat, quos ſola Hippocratica Doctrina Regibus charos, opibus affluentes, fama celebres effecit? Vos vero, qui altiora ſpiratis, qui virtutem ſibi ſolam habetis præmium, qui ſapientiam ambitis, cujus exercitatio ægris ſalutaris, Patriæ utilis, Parentibus glorioſa, Vobis honeſta ſit; in hujus Viri laboribus vos exercete. An de peritia ejus dubitetis? quam ſcripta Viri, quam ſecula, quam omnes Boni uno ore prædicant. An vero de fide? Sed hanc res ipſa, hanc omnes celebrant Hiſtoriæ. An de pretio ſcriptorum? Verum artium inventrix atque earundem æſtimatrix optima Urbs Minervæ, eorum Auctori ob evulgata eadem ſacros honores decrevit. At enim, quis dixerit genuinos ad nos codices perveniſſe? Stylus, res, omnes veteres ordine eum ſequuti, atque inter illos Princeps cum Erotiano Galenus. Quid ergo! Quum tuta & expedita, quum decora atque utilia omnia cernatis, hunc amplexemini, qui horum Vobis Auctor. Si placet, en paratum me adhortatorem, en ſocium; qualem vultis, habetote! Vobis operam meam, Vobis, ſi quid in me laudabilis poſuit natura, ſi quid effecit exercitatio,

©BIU Santé

tio, id omne dico! Veſtris prodeſſe ſtudiis, ea demum votorum mihi ſumma! His dum invigilo, erit hic mihi labor, hæc mei inſtituti ratio; ut ſcilicet in deſcribenda primo loco corporis humani fabrica noſtri ſeculi locupletiſſima inventa promovendæ medicinæ applicentur. Illuſtratum ſpeculatione noſtræ compagis animum exhilarabit deinde contemplatio tot, tamque diverſæ indolis liquorum, qui per Mæandros dædaleæ machinæ circumacti, variis locis varii oberrantes, vitæ motuſque nobis officia præſtant. In hac vero materie exaſcianda, Helmontii, Boylæi, Tachenii atque Travagini opera utentes, laudem Chemiæ Juſtam agnoſcetis. Hac in parte fulgebunt illa de transfuſis atque injectis in vivorum venas liquoribus experimenta. Hæc ubi experientia atque ratio illuſtraverit, dabo operam ut fide Hiſtorica enarrentur ea, quæ ægro vel ſano actiones eveniunt ſpontaneæ vel arbitrariæ: Ubi opus erit, conſulere Veterum atque Recentiorum obſervationes, quibus præfulget Hippocrates. Ex his dein ſummo collectis ſtudio, tanquam ex datis problemata naſcentur, in quibus ſolvendis Mechanicorum, Aquilegum, atque Chemicorum imploranda auxilia, & Geometrarum methodus, ea tamen lege, ut facta ſemper factis potius explicentur, quam figmentorum licentia. Recreatam hac ſpeculatione & firmatam mentem res ipſa methodo medendi adjunget; in hac vero ſtabilienda Hippocrates, Sydenhamus atque pauci præter hos veri Medici conſultores nobis, & auctores erunt. Denique horum præcepto firmis, obſervandi arte, dignoſcendi judicio, providendi ſagacitate, atque agendi prudentia inſtructis, quid aliud incumbet, quam remedia horumque indicare fontes? Veterum hic ſimplicitate non contempta, quæ Chemicorum labor bona dedit, adjungam, horum præparationes ipſo vos opere docebo. His finibus coercebo mea; hæc decurſui meo meta erit. In his quicunque meum conſilium, vel adjumentum ſibi aliquid efficere poſſe judicat, ſuo me jure utatur! Altiora quidem illa quæ Medicum conſummant, Clariſſima hujus Academiæ Lumina, Artis Salutaris Profeſſores, vobis demonſtrabunt. Cæterum Ego Illos ætate, ſapientia, & loco Priores, conſilii, factorumque meorum Auctores Venerabor. Ut ita una mente, uno animo ornandæ Salutis Ædi invigilemus! Utinam his pro voto inchoandis, atque omnis vitæ curriculo perficiundis vires dederit aptas ſalutis Auctor & conſummator Deus! Tum demum confiderem aliquam me poſſe gratiam referre vobis, Viri Illuſtriſſimi, Minervæ Batavæ Curatores, Patriæ Patres. Neque enim me fallit, quantum cum maximo Veſtro favore negotium ſuſtineam. Veſtræ Munificentiæ, Ampliſſimi Viri, me ſupra reliquos mortales devinctiſſimum ſemper profitebor. Tantis beneficiis, Veſtriſque de me conceptis votis,

©BIU Santé

tis, ut pro ea, qua ſum tenuitate, utcumque reſpondeam, ſummis animi & corporis viribus acerrime annitar! Hanc a Vobis inire gratiam, quæ vigilando, agendo, bene conando conciliatur, ſumma ope affectabo. Dixi.



INDEX

©BIU Santé

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Luxationum, & fracturarum extensiones, quam directissime faciendæ; Manum fractam tractare non multi esse studii. Pag. 1

CAPUT II.

Contra imperitos Medicos, qui ex figuris in manus deligatione sapientes sibi videntur. Artes aliæ robore, aliæ artificiis operantur. Manuum figuræ ad omnes artes naturales. 8

CAPUT III.

Manus supinæ extensæ deligatio incommoda. 16

CAPUT IV.

Manus fractæ recta extensio, & deligatio. Sedendi modus in deligatione manus. Os cubiti majus fractum, cur minore curatu facilius. Os cubiti utrunque fractum. 21

CAPUT V.

Extensione facta, quomodo deligandum. 28

CAPUT VI.

Ferulam qualem esse in fracturæ partibus conveniat. 48

CAPUT VII.

Victus eorum, quibus ulcera ab initio non fiunt. Manum fractam quomodo in fascia gestare conveniat. 61

CAPUT VIII;

Brachii fracti justa extensio, & compositio. 65

CAPUT IX.

Brachii os fractum quadraginta diebus corroboratur. Victus eorum ratio. Brachii ossis incurvatio, quomodo præcavenda. 71

CAPUT X.

Pes hominis ex multis, & parvis ossibus constat. Pedis ossium loco motorum compositio eadem, quæ manuum. Pedis ossium fractorum curatio. Quot diebus sanentur. 75

CA-

©BIU Santé

CAPUT XI.

Pedum fracturæ propter neglectum decubitum, perfecte curari nequeunt. Tibiæ ossa, cur diuturniorem cæteris pedis ossibus curationem requirant. Aquæ calidæ in articulorum læsionibus usus. Pag. 83

CAPUT XII.

Calcanei ex saltu vehementi læsi curatio. 87

CAPUT XIII.

Signa recrudescentis calcanei vulneris. Quot diebus sanetur. 103

CAPUT XIV.

Tibiæ ossa duo. Luxatio eorum, & curatio. 108

CAPUT XV.

Ossium tibiæ extensio. 113

CAPUT XVI.

Extensionum multi modi. 119

CAPUT XVII.

Corporis attenuatio in tibiarum ossibus fractis. Quot diebus curentur. Coxæ, femoris, & tibiæ extenuatio. 123

CAPUT XVIII.

Tibiæ os utrumque fractum. 128

CAPUT XIX.

Lintea circa cruris deligationem qualia esse debeant. Canales cruribus impositi. 132

CAPUT XX.

Cruris fracti decubitus. 141

CAPUT XXI.

Ferularum locationes, in quibus vitandæ. Tibiæ ossa quadraginta diebus corroborantur. Osse directione egente, quid faciendum. Tibiæ os alterum fractum. Tibiæ os internum majorem in curando molestiam exhibet. 143

CAPUT XXII.

Tibiæ os externum fractum. 150

CAPUT XXIII.

Femoris brevius effecti dedecus. Quot diebus corroboretur. 153

CAPUT XXIV.

Femur magis gibbosum ad partem externam. 156

CAPUT XXV.

Tumores juxta poplitem, aut circa pedem, aut aliam quampiam partem ex compressione elevati, quomodo curentur. 168

CA-

©BIU Santé

CAPUT XXVI.

Genuflexio deligationibus in femore, ac tibia, turbationem inducit. Calcanei ſummi in tibiæ, & femoris fracturis cura habenda. Pag. 172

CAPUT XXVII.

De oſſibus ſimplici modo fractis. Ulcerum curatio ſimplex. Splenia vino imbuta in ulcerum deligatione. 176

CAPUT XXVIII.

Ulcera perfrigeratione ſanantes, male agunt. 180

CAPUT XXIX.

Ulcerum horum eadem, quæ eorum quibus os fractum eſt, curatio. Victus horum ratio. 188

CAPUT XXX.

Ulcerum curatio quibus oſſa quidem fracta fuerunt, ſed ulcus ab initio non fuit curatum. Fracturæ hæ quomodo cognoſcantur. 195

CAPUT XXXI.

Oſſium valde tenuium diſceſſus. 204

CAPUT XXXII.

Qui deligatione curari nequeunt. Extenſio juſta per machinamenta. 211

CAPUT XXXIII.

Fracturarum cum, & ſine ulceribus aliæ curationes. Vulnera ante tertium, aut quartum diem non movenda. 217

CAPUT XXXIV.

Lanarum in ulceribus uſus ad ſeptimum diem. Ligatio ab initio cum linteis fiens, omnium præſtantiſſima. Oſſa fracta, & extra eminentia, quæ in ſua ſede collocari non poſſunt. 221

CAPUT XXXV.

Inſtrumentorum omnium quæ fortiſſima. Quando vectis inſtrumento utendum. 225

CAPUT XXXVI.

Oſſium diſceſſurorum cognitio. Oſſa quæ citiſſime diſcedant. 235

CAPUT XXXVII.

Os extra eminens cur præſecandum. Oſſium frigidis madefactorum primo tempore pericula. 241

CAPUT XXXVIII.

Os femoris, aut brachii extra eminens. Oſſis inferna pars eminens, minus ſuperna periculoſa. 247

CA-

©BIU Santé

CAPUT XXXIX.

Venarum in interna brachii parte multæ, & periculosæ extensiones. Ossium discessus diuturnus est. 252

CAPUT XL.

Luxationes ossium circa genua mitiores sunt iis, quæ circa cubiti flexuram. 260

CAPUT XLI.

Ossium circa genu luxatio frequens, sed repositio facilis. Ossium cubiti repositio molestior. 264

CAPUT XLII.

Articulus supra cubiti trangressus. 270

CAPUT XLIII.

Brachium in anteriorem partem rarissime luxatur. 274

CAPUT XLIV.

Brachium in posteriorem partem luxatum. 279

CAPUT XLV.

Os cubiti brachio subjectum fractum. Ossium fracturæ, venarum, aut nervorum in iis contusione, minus noxiæ. 285

CAPUT XLVI.

Epilogus. 288

IN-

©BIU Santé

IN HIPPOCRATIS COI LIBRUM DE FRACTURIS *COMMENTARIA*

CAPUT I.

Luxationum, & fracturarum extenſiones, quam directiſſime faciendæ. Manum fractam tractare non multi eſſe ſtudii.

OPORTET (1) Medicum (2) & luxationum & fracturarum extenſiones quam directiſſime facere, & manum fractam tractare non multi eſſe ſtudii.

(1) OPORTET. Omiſſa quacunque præfatione, protinus præcepta, quæ pro fracturarum, & luxationum curatione noſcere, ac exequi debet Chirurgus, oſtendit Hippocrates: eum enim, qui hunc librum accederet lecturus, jam didiciſſe ex Inſtitutionibus Chirurgicis quid fractura ſit, atque luxatio; nec non oſſium fabricam, eorumque varias articulationes; uti & muſculorum, tendinum, nervorum, vaſorumque ſtructuram, poſitionem, ſitum, & uſum, probe ex Anatomicis, ac Phyſiologicis, noviſſe, putavit.

(2) MEDICUM. Quum apud veteres maxime excelluit ars medendi, ut *Hippocratis*, *Celſi*, *Aretæi*, *Galeni*, *Aetii*, *Æginetæ*, *Tralliani*, *Oribaſii*, *Cælii Aureliani* temporibus; ac etiam poſt quam Græcorum, atque Latinorum literæ deciderunt, & apud Arabes Medicinæ ſtudium efflorvit, una tum erat, eademque ars medendi; & tam internos, quam externos morbos, unus, idemque artifex curare conſueverat, quique eam artem exercebant, Medici vocabantur. Sic enim *Cornelius Celſus* Medicum vocat, qui fracturas reponeret, ut legitur *lib.* 8. ubi

©BIU Santé

de fractura humeri agens, inquit; *Medicus ſuper eam faſciam, de qua tertio loco dixi, palmam injicit dextram*: & *Svetonius* in vita C. Cæſaris Auguſti *cap.* 11., ait; *Panſæ quidem adeo ſuſpecta mors fuit: ut Glyco Medicus cuſtoditus ſit, quaſi venenum vulneri indidiſſet*. Quomodo vero barbaris temporibus propter literarum deperditionem, atque hominum in lingua Græca, atque Arabica ignorantiam, artis Medicæ ſtudium adeo poſtea interciderit, ut apud Monachos, & Clericos, qui tunc fere ſoli ſcientiis, literiſque vacabant, reſederit; &, ob ſcientiarum affinitatem, quædam in eis, rudis admodum, medendi peritia per aliquod tempus remanſerit; & quomodo iſti ad eas curationes, quæ manus requirunt operam, & ad inſpiciendos morbos, vel in pudendis partibus, vel in fœminarum corporibus enatos, miniſtris, tum mere Chirurgis, indoctis ſcilicet manus operatoribus, uterentur; (Eccleſiaſticos enim hæc agere dedecebat) atque etiam cur poſt literarum inſtaurationem Medicina, & Chirurgia ſuas diverſas morborum provincias deinde ſejunctas retinuerint, ex hiſtoria Medicinæ innoteſcit. *Guido a Cauliaco* in præfatione ſuæ Chirurgiæ Magnæ, poſtquam veteres Græcos, atque Arabes Medicos ob eorum etiam in chirurgicis merita, eximiamque peritiam debitis laudibus proſequutus fuit, ſic inquit; *Et uſque ad eum* (Avicennam) *omnes inveniuntur fuiſſe Phyſici ſimul, & Chirurgi. Sed poſt vel propter laſciviam, vel occupationem curarum nimiam, ſeparata fuit Chirurgia, & demiſſa in manibus mechanicorum, quorum primus fuit Rogerius, Rolandus, atque quatuor Magiſtri, qui libros ſpeciales in Chirurgia ediderunt, & multa empirica in eis miſcuerunt. Deinde invenitur Jamerus, qui quandam Chirurgiam brutalem edidit, in quam multa fatua immiſcuit, in multis tamen Rogerium ſecutus fuit*. Quoniam ergo Medicorum princeps Hippocrates Chirurgiam quoque, in qua maxime præſtitit, exercebat, & tunc munus unum erat Medicus, ac Chirurgus, ideo *Medicum* dixit. Imo vero eos, qui longe ante Hippocratem Medicinam coluerunt, rem ſolummodo chirurgicam tractaſſe, ex veterum Scriptorum monumentis conſtat: Podalirium enim, & Machaonem egregios Medicos fuiſſe perhibet *Homerus Iliad. lib.* 2.; morbos tamen ad Chirurgiam dumtaxat pertinentes curare illos conſueviſſe narrat; nam Menelao ſagitta ſauciato, ad eum curandum, Agamemnonem Talthybio præconi mandaſſe refert *lib.* 4., ut Machaonem Medicum quam velociſſime accerſeret; quo reperto,

Surge (dixit) *Æſculapiade, vocat*
Rex Agamemnon,
Ut videas Menelaum bellicoſum Atrei
filium,
Quem aliquis ſagittans percuſſit arcuum
bene ſciens.

Quibus verbis permotus Machaon, protinus ad Menelaum ſe contulit,

Sed poſtquam vidit vulnus ubi cecidit
amara ſagitta,
Sanguinem abſtergens, mitia medica-
mina ſciens
Sparſit: quæ ejus quondam patri dilecta
doctus præbuit Chiron.

Hinc *Cornelius Celſus* in præfatione, ſcripſit; *Podalirius, & Machaon bello Trojano ducem Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt: quos tamen Homerus non in peſtilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attuliſſe auxilii, ſed vulneribus tantummodo ferro, & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quo apparet has partes Medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſque eſſe vetuſtiſſimas. Eodemque auctore diſci poteſt, morbos, tum ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, & ab iiſdem opem poſci ſolitam*. Tanta autem in veneratione hæc ars apud Græcos erat, tantæque dignitatis habebatur, ut *Homerus* heroibus illis, atque Semideis, qui ad evertendam Trojam convene-

©BIU Santé

tenſiones (3) quam directiſſimas (4) facere : hæc enim juſtiſſima (5) natura eſt. Si vero quid (6) vel hac, vel illac inclinarit (7); ad pronam (8) partem

venerant, Medicos aequiparaverit. Machaonis adventus ad ſauciatum Menelaum his verbis deſcribitur *Iliad. Lib.* 4.

Sed quando jam venerunt ubi flavus Menelaus
Percuſſus erat; circum autem ipſum congregati erant quique optimi
Circumquaque : hic autem in mediis aſtitit aequalis Deo vir.

atque *lib. XI.* narrat idem *Homerus*, quod præ cæteris magnanimis viris, qui in acerrima illa pugna apud Fluvium Scamandrum percuſſi fuere, potiſſimum de Machaone, qui ſagitta triſulci in dextro humero vulnus exceperat, ſolicitus fuit Idomeneus: eum enim Neſtori Græcorum ſapientiſſimo tradendum, atque maximum in modum commendandum putavit; eique ſummam Machaonis virtutem, atque merita commemoravit, inquiens;

Medicus enim vir multis pro dignus aliis.

(3) EXTENSIONES. Fibras muſculares in perpetua contractione eſſe conſtat experientia; ſi enim tranſverſo vulnere ſecentur, mox abinvicem ſecedunt, etiam in cadavere. Quoties ergo os aliquod vel fractum, vel luxatum eſt, a naturali muſculorum contractilitate divulſa oſſa trahuntur; atque ideo vel ſuperimponi, vel eo deflecti debent, quo majori contractionis momento illa muſculi trahunt. Ut igitur in ſuum locum oſſa reduci poſſint, prima indicatio eſt, extenſione retractos muſculos reducere. Sed neque ſufficit ad naturalem partis extenſionem membrum trahere; debet etiam aliquatenus plus diſtendi, tum ut facilius in ſuum locum reduci oſſa, coaptarique poſſint, tum ne oſſium fractorum aſperitates confringantur, atque divellantur, tum ne in circumpoſitis carnibus ulla laceratio fiat. Verum quandoque aliquod os frangitur, quin fragmenta ſecedant, ſed in naturali ſede remanent; tunc autem, quum nulla membri decurtatio fiat, nulla quoque extenſione opus erit.

(4) DIRECTISSIMAS. Monet Hippocrates, quod ſumma cautione, atque diligentia extenſiones faciendæ ſunt: ita enim extendendum eſt, eaque directione, qua facilius oſſa in ſuum locum poſſint reſtitui; ſcilicet ſecundum naturalem oſſis, muſculorumque directionem; proinde extenſiones *quam directiſſimas facere* praecipit.

(5) JUSTISSIMA. Quum Chirurgus, quo magis poteſt, partes læſas arte ſua debeat integritati reſtituere; quoties ſejuncta oſſa in naturalem ſtatum directiſſima extenſione reduxerit, fecerit id, quo melius fieri nequit; quoniam, ut ait *Galenus* in hujus textus commentario; *Nil magis accomodatum in corpore, quam id, quod naturaliter ſe ſe habet, ne excogitare quidem facile poſſumus.* Ideo poſteaquam Hippocrates directiſſimas extenſiones praeceperat; *haec juſtiſſima natura eſt*, ſubjunxit, ut moneret Chirurgos, ne ab illa directiſſima extenſione quicquam recederent.

(6) QUID. Praeceptum generatim pro omnium oſſium fracturis, atque luxationibus opportunum in primo textu ſanxit Hippocrates: nunc vero ad ſpecialem brachii fracturam omnem doctrinam convertit Mirum profecto videtur, quod monitum ad fracturam brachii edat Hippocrates, quin ullam adhuc de brachio mentionem fecerit; neque an de brachio loquatur, ejus verbis perpenſis, poteſt dubitari, ut ne *Galenus* quidem dubitat: atque ex iis, quæ in textu ſubſequuntur clariſſime patet.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 40 sur 355

©BIU Santé

tem vergere convenit: minus enim hoc peccatum (9) eſt, quam ad ſupinam. Qui (10) igitur nihil præmeditati (11) ſunt, plerumque nihil peccant: ipſe enim, qui deligatur, manum porrigit, ut qui ita a juſta natura cogatur (12). Qui vero (13) ſapientes ſibi videntur, hi ſunt nimirum;

patet. Forſan hic quoque, ut in multis aliis locis operum Hippocratis (de qua re paſſim queritur Galenus) aliquid deficit, quod vel propter codicis vetuſtatem, vel librariorum, qui eum tranſcripſerunt, incuriam, deletum eſt; unde textus mutilus ad nos pervenerit. Certum tamen hoc eſt, quod ita loquitur Hippocrates, ac ſi de manu fracta eum nunc verba facere, jam non lateret lectorem.

(7) INCLINARIT. Quoniam quam directiſſimas extenſiones juſtiſſimas eſſe dixerat; oſtendit modo, quod ſi quid hac, vel illac ab ea directiſſima extenſione membrum inclinarit, qualis ex his duobus poſituris minus mala ſit.

(8) AD PRONAM. Quid pronus homo, vel ſupinus ſignificet, res notiſſima eſt, quæ non indiget explicationis; & ita per ſimilitudinem manus prona dicitur, quum ejus vola deorſum reſpicit, dorſum vero ſurſum: ſupina vero ſi vola ſurſum: dorſum deorſum. Ex duabus autem his figuris, ſi quid a directiſſima inclinandum, ad pronam potius vergendum eſſe perhibet Hippocrates, quam ad ſupinam.

(9) MINUS PECCATUM. Peccatum, ſive, ut alii interpretes exponunt, errorem, eſſe hac vel illac inclinare a directiſſima extenſione, judicat Hippocrates; ſed ex duobus erroribus minorem eſſe illum proponit, ſi ad pronam partem manus inclinaret, ut pote, quod minus haec figuratio a juſtiſſima natura recederet, & minus actionis impedimentum afferret, minoremque relinqueret deformitatem, quam ſi ad ſupinam vergeret.

(10) QUI. Illa aetate, qua vixit Hippocrates diverſas extendendi, atque ligandi manum fractam, vel luxatam, methodos viguiſſe, ex iis, quæ ipſe narrat, apparet; quas omnes præ methodo a ſe ſtatuta contemnit. Docet hic etiam, quod artis Medicæ ſtudium, non præmeditatione, atque ratiociniis; ſed ſedula naturæ, atque phaenomenorum obſervatione colendum eſt; omnes enim artes experientia docuit: *nam*, ut ait *Celſus in* Praefatione; *ne agricolam quidem, aut gubernatorem diſputatione, ſed uſu fieri*.

(11) PRAEMEDITATI. Quoniam nullum fere univerſa Medicina habet medicamentum, quod a priori, ſive a præcognitis ejuſdem naturæ principiis, atque qualitatibus utile in morbis inventum ſit; ut Opii, Corticis Peruviani, Hydrargyrii, cæterorumque eximiorum ſpecificorum inventa, quæ quidem utiliſſima remedia non præcognita eorum ex philoſophicis meditationibus eſſentia, atque qualitas in uſum medicum adduxit; ſed potius caſus fortuitus, atque experientia, illorum virtutes detexit in emolumentum ægrorum; ſic etiam non ex Anatomicis ſubtilitatibus, mentiſque ſpeculationibus, qualis ſit juſtus brachii extendendi modus eruere debemus, at omnino contemplatione juſtæ naturæ, quæ ſibi ſemper in id quod magis commodum eſt, atque magis utile tendit. Qui ergo res agunt naturæ obſequendo, minus ut plurimum errant illis, qui mentis cogitatis ducuntur, atque nimis præmeditantur.

(12) COGATUR. Cui brachium fractum eſt, manum ille porrigit, atque brachium ita tenet, ut a natura cogitur,

©BIU Santé

rum, qui peccant. Studii igitur (14) non multi eſt manum fractam tractare, & quilibet (ut ita dicam) Medicus hoc poteſt. Verum cogor plura de hoc ſcribere, quod ſciam medicos eſſe, qui ſibi ſapientes eſſe videntur ex figuris manus in deligatione, ex quibus ipſos indoctos eſſe putare oportebat (15). Sed enim multa in hac arte hoc modo

tur, quo minus doloris ſentiat; eo nempe modo, ne oſſa fracta magis diſſideant, vicina faucient, atque nervi, muſculi, aliaeque partes minus diſtrahantur. Ideo Hippocrates dixit, quod qui deligandus accedit, manum porrigit, *ut qui a juſta natura cogatur*.

(13) QUI VERO. Sunt nonnulli, qui ex aliquot datis, atque principiis phyſicis, quoſdam effectus certo conſequi debere ſtatuunt, quæ tamen ſi ad experientiæ trutinam perpendantur, minus vera eſſe reperiuntur: & hoc maximum ſemper fuit ad Medicinam augendam impedimentum. Profecto ſi ars Medica fuiſſet a poſteris exculta, ut eam coluit Hippocrates, obſervatione ſcilicet, atque experientia, in multo meliorem ea ſtatum aſcendiſſet; magiſque nunc certis principiis inniteretur; ſed homines hypotheſium vanitate allecti, ſpecioſas theorias ſequuti, dum ſuis ratiociniis veritatem detexiſſe credunt, in errores maximos impingunt, ſummo cum ægrorum detrimento. *Multis tamen ſignis natura declarat quid velit, ac quærat, ac deſideret: obſurdeſcimus tamen neſcio quo modo, nec ea, quæ ab ea monemur, audimus; ait Cicero de Amicitia.* Sic de illis pariter dicendum eſt, qui ex ſola anatomica oſſium, muſculorumque contemplatione fractum brachium quomodo extendendum ſit deducere mallent, quam ex naturali brachii poſitura; hi quidem a recta extendendi ratione facile aberrarent, atque dum ſe eximios crederent anatomicos, plus in curando peccarent illis, qui naturam ſequuti, parum confidunt ratiociniis; atque de his loquutus eſt Hippocrates, quum dixit; *Qui ſapientes ſibi videntur, hi ſunt nimirum, qui peccant*.

(14) STUDII IGITUR. Ut Chirurgos ab inutilibus perquiſitionibus, atque ſophiſmatis averteret, non multi ſtudii eſſe manum fractam tractare aſſeruit; quoniam ſimpliciter obſervando, quomodo brachium magis commode natura porrigat, extendendae, atque deligandæ fracturæ normam invenire quiſquis facile poteſt; uti monet *Galenus comment. 3. text. 20. Officinæ Medicæ* Hippocratis, dicens. *Ea cujuſque membri figura imprimis eligenda eſt in eis curandis, qua, dum in ocio ſunt, id continere conſuevimus*; ideo dixit Hippocrates; *ſtudii non multi eſt manum fractam tractare, & quilibet Medicus (ut ita dicam) hoc poteſt*.

(15) OPORTEBAT. Non multis verbis, neque longa oratione in ſuis ſcriptis uti conſueverat Hippocrates; ſed præſtantiſſima, quæ tradidit, præcepta, compendioſe admodum, atque laconico ſtylo maluit ſemper proſequi. Verum quoniam illa tempeſtate plurimi inter Medicos reperiebantur, qui quamvis fracturas, atque luxationes manus prava figuratione deligarent; ſapientes tamen ſeſe reputabant, atque etiam eos vulgus magni faciebat, quia ſpecioſis ratiociniis, plurimiſque anatomicis animadverſionibus eorum errores optime velare ſolebant. Quos omnes, ob eam ipſam cauſam, qua ſapere viſi ſunt, potius indoctos eſſe putare oportebat, quum vanis rationibus addicti, & a ju-

©BIU Santé

modo judicantur (16). Quod enim peregrinum (17) eſt, quum nondum intellexerint, an bonum ſit, magis laudant, quam familiare, quod jam

& a juſta natura recedendo, malam agerent curationem, multaque ægris afferrent incommoda; ideo, ut horum errores detegerentur, præter ſuam conſuetudinem, plura ſe prius ſcribere coactum eſſe exponit Hippocrates, antequam veram recte curandi rationem aggrediatur. Hunc ſcribendi ordinem alii etiam quamplurimi viri doctiſſimi, qui ſcientiarum præcepta tradidere, ſequuti ſunt. Sic *Horatius in libro de Arte Poetica*, quid vitandum in verbis & ſententiis, quaeque Poetarum eſſe ſoleant peccata prius retulit, quam rectas, praeclarasque Poeſis regulas Piſones doceret, nam, ut ipſe cecinit ver. 24.

Maxima pars vatum pater, & juvenes patre digni
Decipimur ſpecie recti.

Badius Aſcenſus, qui adnotationibus hunc *Horatii* librum illuſtravit, talem ſcribendi ordinem ita expoſuit; *In hac prima itaque parte Poeta imitatus ſolertem, & non ignavum agricolam, qui prius nocivas herbas, ideſt vitia, & errores evellet, quam ſcmentem utilem, ideſt bonæ compoſitionis artem inſerat.*

(16) JUDICANTUR. Inter artes, nulla eſt difficilior Medicina, veruntamen, nulla eſt alia ars, de qua audacius decernere, & ad quam facilius, majorique imprudentia manus admovere ſoleant imperiti. Nemo fere eſt, qui, quum de alicujus morbi cauſa, atque curatione diſquiratur, quamvis de obſcuriſſima, difficiliſſimaque re agatur, ſuum tamen non interponere poſſe judicium arbitretur. Ignarum idcirco vulgus ſpecioſis rationibus deceptum, illos ſæpiſſime ſapientes judicat, quos indoctos putare oportebat, & hoc modo multa in hac arte judicari, Hippocrates queritur. Tale artis medicæ infortunium alibi quoque deplorat Hippocrates, veluti *in lib. de Rat. Vict. in Morb. Acut.*, ubi ait; *Idiotæ non valde cognoſcunt eos, qui in his, aliis præſtant: aliarumque curationum magis aut laudatores, aut vituperatores exiſtunt*; in quem textum ita commentatus eſt *Franc. Valleſius*; *Hoc eſt, quivis laudat, vituperatque, quam lubet curationem, nequaquam dignoſcens bonam, & malam.*

(17) PEREGRINUM. Duo ſunt, quæ homines ad amplexandas res peregrinas impellunt; alterum eſt, quod cognita vileſcunt, & ſemper nova appetimus, quoniam, ut ait *Ovidius de Ponto*

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum.

Alterum, ut omnium oculi in eos convertantur, auctoriſque nomen acquirant ambitioſi, peregrinum ſtudent promovere; quamvis nondum experientia intellexerint, an bonum id, & præferendum ſit familiari, quod jam bonum eſſe ſciunt; de quibus Medicis novitati ſtudentibus, ſic ſcripſit *Plinius in Proœmio lib. 19. de Hiſtoria Mundi*. *Nec dubium eſt, omnes iſtos famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negociari*. Hinc docemur, ne facile nos in rebus medicis, a peregrinis, atque novis inventis ſeduci ſinamus, neque probe notum deſeramus, niſi jam ſatis de peregrinorum remediorum præſtantia ſit exploratum; quippe, ut jam alias dixit Hippocrates, *experimentum periculoſum*. Verum cavere etiam debemus, ne in oppoſitum prorſus errorem incidamus; nonnulli enim adeo pervicacis naturæ ſunt, ut quodcumque novum eſt indiſcriminatim rejiciant. Sed hoc quoque maximus error eſſe poſſet; nam hominum induſtria, tempore, & experientia multa inventa ſunt, quibus priſcæ

æta-

©BIU Santé

jam bonum esse sciunt : & alienum magis laudant , quam probe notum .

ætatis homines caruerunt , quæ tamen maximæ utilitatis comperta sunt . Exemplo sint Cortex Peruvianus , hydrargyrus , variolarum inoculatio , vis electrica , aliaque multa præstantissima remedia , atque auxilia , quæ Recentiores invenerunt ; ideo prudentis erit , neque peregrinum remedium statim laudare , neque familiare pertinaciter retinere ; sed agendum in his , uti in libro *de Amicitia docet Cicero* , ubi ait . *Novitates autem si spem afferunt , ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat , non sunt illae quidem repudiandæ ; vetustas tamen suo loco conservanda est .*

CAPUT II.

©BIU Santé

CAPUT. II.

Contra imperitos Medicos, qui ex figuris in manus deligatione ſapientes ſibi videntur. Artes aliæ robore, aliæ artificiis operantur. Manuum figuræ ad omnes artes naturales.

DIcendum igitur, quænam Medicorum peccata de natura manus tum dedocere, tum docere velim (1); nam & aliorum (2) Corporis offium doctrinam hic ſermo affert. Manum itaque de qua nobis ſermo eſt quidam (3) pronam deligandam dedit, ille vero cogebat (4) ſic tenere velut ſagittantes, quum humerum injiciunt (5), atque ita habentem deligabat: hoc ipſum illi ſecundum naturam eſſe exiſtimans: & in teſti-

(1) VELIM. Quum aliqui ſint, qui illam extenſionem, atque deligationem manus fractæ, quæ optima, & ſecundum naturam eſt, damnent, & aliam diverſam adminiſtrando, ſapienter agere credant, ſuis aliquot falſis adducti rationibus, dum interim inſcii a juſta natura, ægrorumque commodis maxime recedunt, ingentesque errores committunt; hos errores vult Hippocrates Medicos docere: errores vero, in quibus maxime verſantur, dum ſapientes ſibi eſſe videntur, eos dedocere aggreditur. In hunc Hppocratis textum *Palladius* vetuſtiſſimus Medicus Græcus ſic ſcriptum reliquit. *Cur hæc dicat quærere operæ pretium eſt? dicimus autem duplicem eſſe errorem: unum quidem apparentem, ſed re ipſa non exiſtentem: alium autem natura exiſtentem. Hunc poſtremum ſe velle dedocere, alium autem ſe velle docere aſſerit.*

(2) ALIORUM. Quæ hucuſque de fractura brachii loquutus eſt, generalia quædam axiomata ſunt, quæ non ſolum ad brachii oſſa ſpectant, ſed etiam in aliorum offium fracturis attendenda ſunt. Directiſſimæ enim extenſiones; deligationes ſecundum partis affectæ naturam; familiari, atque probe nota methodo mederi, ea ſunt, quæ omnibus fractis, atque luxatis oſſibus conveniunt. Nunc vero etiam, quæ de brachio dicere proſequitur, attente advertenda eſſe præcipit, quoniam in his doctrina ad fracturas aliorum quoque corporis offium curandas neceſſaria continetur.

(3) QUIDAM. Exemplum hic exponit Hippocrates hominis, qui quum brachium fractum haberet, manum pronam exhibuit Chirurgo, quippe qui ſic a natura cogebatur, & minus doloris ſentiebat.

(4) COGEBAT. Chirurgus ignarus, quod illa manus figuratio juſta eſſet, & magis naturæ conſentanea, eam dimovebat, & cogebat, invitum quamvis, & præ dolore reluctantem ægrum tenere velut ſagittantes, atque ita deligabat.

(5) INJICIUNT. Sagittarii humerum dextrum elevabant, atque una totum brachium recta intendebant ad lineam fere horizonti parallelam, & digito pollice ſurſum, minimo deorſum vergente, arcum manu fortiter tenebant, & hæc actio dicebatur, humerum injicere.

©BIU Santé

ſtimonium adducebat tum omnia cubiti oſſa, quod directionem (6) inter ſe haberent: tum coloris (7) concordiam, quod ipſa per ſe ipſam rectitudinem haberet, idque hoc modo, & externa, & interna parte. Hoc modo etiam dicebat, & carnes, & nervos a natura productos (8) eſſe, & artem (9) ſagittandi teſtimonium citabat, & haec dicens, ac faciens ſa-

(6) DIRECTIONEM. Cubitus, & Radius duo oſſa ſunt, quæ brachium conſtituunt. Hæc ab extremitate oſſis humeri, uſque ad carpum extenduntur; ſed præterquam quod iſthic utrobique articulantur in quibuſdam rotationis brachii motionibus, etiam inter ſe decuſſantur. *Vid. Euſtachii tabul.* 43. 44. Sagittantes vero eo modo brachium extendebant, ut oſſa cubiti & radii paraliela accumberent, & directionem inter ſe haberent; ut videre eſt *tabul.* 36. *ejuſdem Euſtachii*.

(7) COLORIS. Brachii ſuperficiem duobus quodammodo coloribus diſtinctam eſſe apparet; tota enim brachii interna pars, quæ manus palmam reſpicit, lævis eſt, candidior, & glabra; illa vero, quæ externam partem occupat, cutim aſperam habet, minus candidam, &, ſpeciatim in viris, plurimis pilis eſt referta. Quoniam autem in brachio, more ſagittantium extento, coloris concordiam, & æqualitatem ex utraque parte Medici illi obſervaverant; proindè partes omnes rectitudinem habere putarunt. Hoc animadvertit *Palladius* vetuſtiſſimus Medicus Græcus, qui aliquot ſcholia in hos Hippocratis libros ſcripſerat, quorum non niſi fragmentum ad nos pervenit, quod in Latinum tranſtulit *Jacobus Santalbinus*; ſic enim ait *ſect.* 1. *Qui, inquit Hippocrates, ſupinam figuram conſtituunt, illam ſecundum naturam eſſe eatenus aſſumant, quatenus jaculantes iſtam tanquam generoſam, & inflexibilem obſervant, præſertim vero, inquit, quod tum manus æquabilitas appareat, ſupra enim alba, infra piloſa cutis..... Quomodo ſitum muſculorum ſecundum naturam verſari in coloris æquabilitate aſſerunt, quum alium quidem eſſe colorem ſuperficiei, alium autem profunditatis contingat?*

(8) PRODUCTOS. Quod oſſa cubiti, & radii in ea figuratione directionem habeant, res veriſſima eſt; licet hoc ratio ſatis idonea non ſit, ut ſic extentum brachium Medicus ille deligaret; at dicere, quod carnes quoque; (muſculi ſcilicet) atque nervi ita ſint a natura conſtructi, ut in arte ſagittandi naturalem habeant poſitionem, abſurdiſſimum eſt. Muſculi enim, qui ſuper oſſa cubiti, atque radii excurrunt ſic oblique feruntur, ut citra voluntariam actionem, propria, naturalique contractilitate, cubiti articulum ſemper flectant, atque manum ad pronum vergere cogant. Sat erit oculos advertere muſculis Pronatoribus, Longo palmari, Sublimi, Profundo, Longo flexori digiti pollicis, Radiali externo, Cubitali interno, aliiſque muſculis brachium percurrentibus, ex quorum directione, quoties ipſi ſecundum naturam, inſitamque contractilitatem agunt, ut in ſomno, languore, paralyſi &c. cubitus flecti, manuſque ad pronum inclinari perſpicitur. In arte igitur ſagittandi, dum humerus injicitur, quamvis oſſa directionem habeant, minime tamen idem de muſculis, atque nervis dici poterit; nam in hac extenta figura non niſi ſumma vi, ſummoque labore, diu teneri poſſunt.

(9) ARTEM. Non ſine ratione hic *Galenus* admiratur, quod Hippocrates multis

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 46 sur 355

©BIU Santé

ſapiens ſibi eſſe videbatur. Verum aliarum artium oblitus (10) erat, & eorum, quæ robore, & eorum, quæ artificiis operantur, ac efficiunt: non animadvertens aliam in alio figuram ſecundum naturam eſſe, & in eodem opere alias dextræ manus figuras ſecundum naturam eſſe, alias ſiniſtræ, ſi ita contingat: alia enim figura in jaculatione ſecundum naturam eſt, alia in fundæ jactu, alia in lapidis jactu, alia in pugilatu, alia in quieſcendo. Quot vero artes invenire quis poſſit, in quibus non eadem figura manuum naturalis eſt? & in unaquaque arte, aliter ad inſtrumentum, quod quiſque habet, & ad opus, quod perficere vult, manus figurantur. Ei vero qui ſagittandi artem exercet, hanc figuram alterius (11) manus optimam eſſe conſentaneum eſt. Cardinoformis (12) enim brachii (13) pars, in cubiti ſede (14)

tis verbis uſus ſit, ut adeo futilia argumenta redeargueret, quæ, quum inepta ſint, contemni potius, quam refelli debuiſſent. Sed quoniam aliqui tunc Medici vanas rationes, & artem ſagittandi in teſtimonium adducendo, brachium ſic extentum, neque ſecundum naturam deligabant; atque ex hoc ſapientes etiam a multis habebantur; quamvis nihil commune ſit in arte ſagittandi cum deligatione fracturae: ideo ut ab illa prava methodo averteret Chirurgos neque ab illis inſulſis rationibus capi ſinerent, pluribus argumentis contradicere his voluit, ut veritas clarius inde poſſet eluceſcere.

(10) OBLITUS. Medicus ille, qui brachium ita deligabat, quod eam poſituram in ſagittantibus ſecundum naturam eſſe perſpexerat, non animadverterat, vel oblitus erat, in omnibus artibus, atque operibus diverſis, diverſas brachii figuras, variaſque manus volutationes ſecundum naturam eſſe poſſe; quæ tamen nullatenus eſſent ſecundum naturam in deligatione fracturarum, atque luxationum; ut ex his omnibus, quæ inde animadvertit Hippocrates, luculentiſſime patet.

(11) ALTERIUS. Sagittantes extento brachio ſiniſtra manu arcum firmiſſime fulciunt, dextra nervum retrahunt, tenduntque, ut vi, atque impetu jaculum explodatur. In ipſa igitur arte ſagittandi, alterius tantum manus optimam eſſe hanc extentam figuram, conſentaneum dixit Hippocrates. Verum, quoniam hodie nuſquam fere gentium ſagittarum eſt uſus; multoque minus quomodo hanc artem veteres Græci colerent, videre, neque ad amuſſim ſcire poſſumus: ut hujus figurationis, de qua loquitur Hippocrates, indubium exemplar habere poſſimus, optimas, quæ adhuc ſuperſunt, Græcas ſtatuas ſagittantium inſpicere licet; atque in his omnino, accuratiſſimeque illa alterius brachii extenſio cernitur, qua omnia brachii oſſa directionem inter ſe habent, ut Hippocrates dixit. Mihi autem, qui, ut hanc brachii figuram plane cognoſcerem, hujuſmodi ſtatuas exquiſivi, duas etiam videre contigit, quæ dextro brachio extento arcum tenebant, ſiniſtro contracto nervum retrahebant; quamvis *Galenus*, quod tantum ſiniſtrum brachium illud ſit, quod extenditur, affirmet.

(12) CARDINOFORMIS. Inferiorem oſſis humeri epiphyſim cardinoformem vocat

©BIU Santé

de (14) in hac figura innitens, ossibus cubiti, & brachii rectitudinem facit, velut totum unum (15) esset, & refractio (16) articuli fracta est in hac

cat Hippocrates, quia in semicirculari ejus extremitate, capitulis, atque sinubus, veluti cardo, os cubiti excipit, atque ab eo excipitur; quapropter ginglymos hujusmodi junctura ab Anatomicis nuncupatur.

(13) Brachii. Multifariam hoc brachii vocabulum ab auctoribus sumptum est; nonnunquam enim late sumitur pro omni eo, quod a summo humero, usque ad manum extremam protenditur, ut ex *Galeno*, atque *Realdo Columbo*; nonnunquam pro ea parte, humeri extremitatem, atque carpum intercedente, quæ ossibus cubito, & radio constat; ut ex *Celso lib.* 8. *cap.* 1. qui de extremitate ossis humeri differens, ait; *sedem brachii præstat, quod constat ex ossibus duobus. Radius inferior brevisque .... Cubitus inferior longiorque;* & paulo post. *Primo vero duobus radiis brachii ossa juncta paulatim dirimuntur, rursusque, ad manum coeunt, modo crassitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est.* Ut plurimum vero pro osse humero sumitur ab Anatomicis, quemadmodum a *Falloppio*, *Winslovvio*, *Heistero*, aliisque; uti etiam in hoc textu Hippocratis, brachii nomine humerus intelligitur.

(14) Sede. Ubi ossa naturaliter consistunt, ibi eorum sedes esse dicitur; sic *Celsus*, ait, *lib.* 8. *cap.* 10. *Ossa in suis sedibus remanent*. Quum igitur in extremitate superiori ossis cubiti insignis sit cavitas, sigmoidea, aut semilunaris, ex figura, ab Anatomicis nuncupata; atque etiam in ipsius medio obtusa eminentia secundum illius longitudinem protuberet, & hæc cavitas, atque hæc eminentia, cardinoformem ossis humeri extremitatem excipiat, ejusque prominentiis, sinubusque apprime congruat; ideo in osse cubiti brachii sedem esse dixit Hippocrates.

(15) Unum. Cubitus, & radius duo ossa sunt, quæ, tum in superiori articulatione cum osse humeri, tum in inferiori cum ossibus carpi, præter extensionis, & flexionis articulationem, alium etiam habent peculiarem rotationis motum, quo manus, atque brachium in supinum, atque pronum circumvolvuntur; atque tunc hæc ossa decussantur. Præcipua ejusmodi rotationis facultas pendet a peculiari horum ossium connexione. Quum enim ita laxe inter se cohæreant, ut cubitus extremitate inferiori vix carpum attingat; & radius extremitate superiori capitulum ossis humeri sua cavitate glenoidea ita excipiat, ut hinc, inde, atque in girum volvi possit; sequitur, quod ex hac laxa conjunctione, qua gaudent horum duorum ossium oppositæ extremitates, mirabiles illæ omnes brachii, atque manus motiones, volutationesque proficiscantur. In arte autem sagittandi os humeri protenditur, atque in cubiti cavitatem innixum, totum brachium recta extenditur: manus vero arcum tali figuratione constringit, ut digitus pollex emineat. In hac brachii figura, cubitus, atque radius paralleli accumbunt, & eorum firmissima rectitudo fit, ac si continuum unumque os essent, quæ figuratio aptissima est in arte sagittandi, ut vi, & impetu de firmissimo loco, & in neutram partem inclinante, sagitta emitti possit.

(16) Refractio. Physici, quando ex opticis diversas radiorum lucis reflexiones ad angulos vel acutos, vel rectos, vel obtusos describunt, luminis refractiones dicunt, sic etiam in hoc textu, quum cubitus ad diversas an-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 48 sur 355

©BIU Santé

in hac figura. Veriſimile eſt igitur hoc modo minime flexibilem, & rigidiſſimum eſſe hunc locum, & non ſuperari, neque remittere; dum a dextra manu nervus trahitur, & ſic nervum quidem quamplurimum trahet, a firmiſſimo vero, ac confertiſſimo emittet: ex talibus enim ſagittarum emiſſionibus, celeres & vehementiæ, & longinquitates fiunt. Deligationi (17) vero cum arte ſagittandi nihil commune eſt; nam & ubi deligavit, ſi manum ita (18) habiturus eſſet, multos utique dolores (19) majores vulnere (20) adderet: &, ſi flectere juberet, neque

gulos flecti poſſit, per ſimilitudinem, articuli refractio dicitur, ſed articulationis cubiti oſſa, ea ſunt ſtructura fabrefacta, ut, quotieſcumque humerus in cubiti ſede innixus brachii rectitudinem fecerit, ſic rectus manere debeat, nec ulterius in oppoſitam partem flecti poſſit; quoniam proceſſus poſterior cubiti Anconæus, ſive olecranon, dictus, quum ad foveam illam, quæ in poſteriori parte extremitatis humeri exculpta eſt, impegerit, tum ibi fixus inhæret, atque articulo immobilis fit; ex qua figura, articuli refractionem fractam, vel cohibitam eſſe dicimus.

(17) DELIGATIONI. Quod in arte ſagittandi recta illa, atque rigidiſſima brachii figura opportuna maxime ſit, ut a firmiſſimo loco emiſſa ſagitta vehementius, atque longinquius emittatur, ultro concedit Hippocrates; quoniam quo validius a nervo manu retracto arcus inflectitur, eo majore vi reſilit; nam ex motus legibus, corpora elaſtica eadem vi ſe reſtituunt, qua preſſa fuere. Sed quamvis hæc veriſſima ſint, atque conducibilia ad artem ſagittandi; non inde tamen ſequitur, quod in ejuſmodi quoque figura fractura brachii ſit deliganda: nihil enim eſt in hoc commune cum arte ſagittandi, velut etiam nihil commune habet cum fundæ jactu, pugilatu, cæteriſque aliis omnibus artibus, in quibus manus diverſimode figurantur. Nullius ergo eſſe momenti has omnes rationes, ex rectitudine brachii ſagittantium deſumptas, ad fractum brachium deligandum, ſtatuit Hippocrates.

(18) ITA. Quantum errarent illi, qui fractum brachium ita deligabant extentum, ut ſolet a ſagittantibus intendi, ex ſymptomatis, atque noxis, quæ hujuſmodi deligationem conſequerentur, nunc oſtendit Hippocrates.

(19) DOLORES. Si brachium per totum illum dierum decurſum, quo immobile, atque fixum, uſque ad perfectam oſſium ferrumination em eſt retinendum, ita protenſum quis habiturus eſſet; ob incommodam, minimeque naturalem articulorum humeri, cubiti, atque carpi poſitionem; nec non muſculorum violentam diſtentionem, multi utique dolores, majores, quam ipſa ſola ægritudo afferre ſolet, orirentur. *Vid. not.* (8).

(20) VULNERE. Accuratiſſimam vulneris definitionem dedit *Boerhaavius*, quum dixit. *Vulnus eſt ſoluta cohæſio recens, cruenta, partis mollis, a corpore duro, acuto, moto, preſſo, vel reſiſtente. Aphoris.* 145. Verum non de hujuſmodi corporis affectione hic loquutus eſt Hippocrates; quoniam in hoc textu, non de partium mollium, ſed de durarum læſione, oſſium ſcilicet fracturis, atque luxationibus, ſermonem habet. Quum igitur cruentam partium mollium ſolutionem vulneris vocabulo hic declarare Hippocrates non intellexerit; qua ſignificatione vulnus dixerit in hoc textu,

©BIU Santé

neque ossa, neque nervi, neque carnes, in eodem (21) permanerent, sed

tu, erit inquirendum. Equidem in hujusmodi explanatione nemo majorem habebit auctoritatem *Galeno*: præclarus enim hic vir Græcus erat, egregiusque grammaticus, quapropter in lingua Græca, tum Attica, tum Jonica peritissimus; eximius etiam in arte Medica fuit, & in libris Hippocratis versatissimus; nullum ergo eo homine adeo profunda eruditione prædito, atque in veterum philosophorum placitis interpretandis acutissimo, melius Hippocratis mentem assequutum fuisse credendum est. *Galenus* itaque hoc verbum *vulnus* admodum obscure effatum ab Hippocrate, in libro, qui *Chirurgiæ Officina* inscribitur *comment.* 3. *text.* 30. ita explanat. *Clarum est, quod ipse* (Hippocrates) *omnem male affectæ partis noxam vulnus nominat*. Et magis adhuc perspicue *comment.* 5. *lib.* 6. *de morbis popularibus* ait. *Nonnulli præterea sunt, qui volunt, non solum de vulneribus, sed de ossibus valde contritis, præcipue vero, ubi ipsorum pars aliqua extra cutim eruperit, & eodem etiam modo de omnibus ejusmodi luxationibus, & plagis, quæ magnam corpori contusionem infligunt, sermonem hunc esse intelligendum; nam tromata Græce Hippocrates, idest ictus, noxas magnas ex aliqua externa re, etiam sine ullo vulnere illatas, nominat*. Quum igitur Hippocrates nondum de cruentis vulneribus, sive de soluta cohæsione in partibus mollibus, ullam mentionem fecerit, admodum appositè mihi hunc etiam locum, quamvis Galenus hic prætermiserit, interpretari posse videor, si, quum dixerit, *dolores majores vulnere adderet*, intellexerimus; quod dolores brachium ita deligatum adderet majores illis, quos ipsa fractura, luxatio, vel contusio, afferre solent.

(21) IN EODEM. Postea quam læsiones, atque dolores enumeravit, qui ex deligatione manus. & brachii extenti, atque porrecti, & in eadem figura postea retenti, inducerentur; ostendit modo, non minora esse, quæ supervenirent incommoda, si quis facta deligatione brachium flectere juberet. Summa perspicuitate hoc exponit *Galenus* in hujus textus commentario, dum ait. *Cum enim ob id fiat deligatio, ut conformatio, & coaptatio ossium circumjectis linteis leniter constricta conservetur; mutata post deligationem figuratione, contrarium eveniret; ut videlicet deligatio non amplius fracturam contineret: sed immutaretur, & transferretur, una cum transmutatis nervis, & musculis: quos carnes hic appellat, substantiam nobis eorum ostendens*. Si ergo quis flectere brachium juberet, musculi flexores, qui in ea figura erant extenti flaccescerent, atque versus eorum caput, sive principium retraherentur; extensores e contra intenderentur; supinatores, atque pronatores alia agerent directione; & ideo ossa fracta in hac variatione de sua sede moveri facile possent, alioque transferri: prout etiam neque ipsa, neque circumjectæ carnes leni, æquabilique deligatione, ut decet, constringerentur; sed immutata deligatio alias nimis laxe, alias arcte nimis brachium constringeret; ex quo, quot supervenire possent mala, nemo non videt: quamobrem *Galenus lib.* 6. *Method. Medend.* ita monet. *Etenim expedit, ut in rectissima, atque a dolore alienissima forma membrum tum retrorsum retrahas, tum in naturalem habitum coaptes: multoque etiam magis, ut sub eadem figura tum deliges, tum ad quietem reponas. Siquidem sub alia deligare, in aliam vero mutare, non dolorem modo incitare potest, verum etiam ossa intorquere*.

(22) TAN-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 50 sur 355

©BIU Santé

ſed ſuperata deligatione alio transferrentur. Et quæ tandem (22) eſt figuræ ſagittarii utilitas? Et in hac parte fortaſſe non peccaret is, qui ſibi ſapiens eſſe videtur, ſi ipſum vulneratum (23) ſibi manum exhibere permitteret (24).

(22) TANDEM Ut Cicero in prima Catilinaria egregia Apoſtrophe in abſentem Catilinam increpat; *Quoſuque tandem abutere Catilina patientia noſtra?* Sic Hippocrates in eos Medicos, qui brachium protenſum deligabant, poſteaquam longo ſermone, atque ſolidiſſimis rationibus peſſimam eorum methodum eſſe oſtenderat, indignatus erumpit; *& quæ tandem eſt figuræ ſagittarii utilitas?* ſiquidem nihil habet commune cum arte deligandi, & illius figura maximum affert detrimentum.

(23) VULNERATUM. Ea, quæ ex Galeni ſententia de verbo vulnere *not.* (20.) *cap.* 2. adnotavimus, hic adhiberi pariter debent, de vulnerato.

(24) PERMITTERET. Venuſtiſſima peroratione omnia, quæ hucuſque docuit, enumerando, huic capiti finem imponit. Hippocratis memorat enim, qui minus peccent in brachii deligatione; qui ſapientes vere ſint; quomodo ſecundum naturam brachium porrigatur, quid agendum cum ipſo ægro; quæ omnia diffuſe jam ſatis ſuperius fuerat perſecutus.



In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 51 sur 355

©BIU Santé

CAPUT III.

Manus ſupinæ extenſæ deligatio incommoda.

ALius (1) porro Medicus ſupinam (2) manum præbens ita extendere

(1) ALIUS. Confutata in ſuperiori capite methodo illius Medici, qui brachium fractum, vel luxatum, velut in ſagittantibus, protenſum deligabat, atque ſolidiſſimis rationibus hujuſcemodi figuræ damnoſa deligatione demonſtrata; ad alium Medicum, qui pariter non ſecundum naturam brachium deligare conſueverat, orationem modo convertit Hippocrates; ut hujus quoque rationes, quamvis non iſte uteretur figura ſagittantium, tamen non optimas eſſe, neque ſecundum brachii naturam expoſitas, oſtenderet. Profecto mirum hic admodum videri poſſet, quod Hippocrates adeo multa, & tam enixe in hos Medicos ſcripſerit: ut ipſe *Galenus* animadvertit in *comment.* 1. *text.* 9. ubi Hippocrates de illis Medicis diſſeruit, qui ſagittantium figuratione brachium fractum deligabant; inquiens. *Adduxiſſe ſagittariam artem huc in teſtimonium, res tolidiſſima eſt, ac longe melius cum Hippocrate fuiſſet actum, ſi horum nullam feciſſet mentionem, quam, quod ſerio, & tanta diligentia refellit; quæ enim omnino fatua ſunt contemni potius, quam refelli, præſertim ſcriptis debent.* Verum non vulgares illius ætatis Medicos, neque abſque auctoritate illos fuiſſe, credendum eſt: quoniam homo tanta nominis amplitudine præditus, ut Hippocrates, ad hominum nullius notæ rationes refellendas non equidem deſcendiſſet; ſed ſuæ tantum auctoritatis pondere, atque nomine, effeciſſet, ut omnes eſſent ſuam doctrinam amplexi. Pro certo igitur habere poſſumus, duos illos Medicos adeo auctoritate graves fuiſſe, ut cum Hippocratis fama contenderint; ex quo magni ſua intereſſe putaverit eorum errores detegere, vulgi animum ſuadere, ſuumque ſyſtema defendere. Qui duo hi Medici fuerint nos ſcire nequimus, quoniam nunquam eorum nomina Hippocrates patefacit, neque *Galenus* de illis in ſuis commentariis, quidquam ſcriptum reliquit. Mihi vero hiſtoriam Medicinæ, & ævum, in quo vixit Hippocrates, repetenti, ſuccurrit, etiam ex iis, quæ innuit *Jacobus Hollerus* in præfatione ad commentaria, quæ ſcripſit in Aphoriſmos Hippocratis, tres illa tempeſtate ſcholas, ſive ſectas principes Medicorum extitiſſe, Gnidiam ſcilicet, Rhodiam, & Coam omnium præſtantiſſimam, cujus princeps tunc erat Hippocrates; harum tamen ſingulæ erant celebratiſſimæ, & ut Coa Hippocratem, ſic aliæ ſuum corypheum, ſive præceptorem, ſuoſque aſſeclas habebant: at in eorum doctrina, ſententiiſque de præceptis Medicis alicubi diſcrepabant; uti refert *Hollerus comment. Aphoriſm.* 60. *ſect.* 6. inquiens. *Intelligere oportet, quod Gnidii Aſclep. Medici, (ut Cteſias) qui aliter ſentiebant, quam Coi, ſolebant reprehendere Hippocratem tum in aliis ſententiis, tum in hac maxime, quod dicerent, fieri non poſſe ut luxatio Iſchii reformaretur.* Licet etiam animadvertere, quod ſibi admodum hæ ſectæ æmulabantur; quoniam legimus, Hippocratem in libro *de Ratione victus in morbis acutis*, obſervationes Gnidias valde damnare

©BIU Santé

dere jubebat, atque hoc modo habentem deligabat, hanc figuram naturalem esse putans, conjectura ex colore facta (3): & ossa hoc modo secundum naturam esse existimans, eo quod os eminens (4) circa manus

re erroris, earumque scriptores acriter redarguere. Ex his igitur omnibus, & ex diligentia, quam in his duabus methodis refellendis adhibuit, & ex illa indignatione, qua Hippocrates in hos Medicos scripsit; *Verum cogor plura de hoc scribere, quod sciam Medicos esse, qui sapientes esse videntur ex figuris manus in deligatione, ex quibus ipsos indoctos esse putare oportebat*, non a veritate alienum esse arbitror, quod ille Medicus, de quo loquutus est in capite 2., qui manum cogebat tenere velut sagittantes; & alius hic, qui supinam manum extendere jubebat, unus Gnidiæ, alter Rhodiæ scholæ, sive sectæ, Medicus princeps tum fuerit, atque præceptor. Ex oratione insuper eruditissimi, & in Hippocratica doctrina versatissimi *Joannis Heurnii*, quæ inscribitur; *De Medicinæ origine, Æsculapidum, ac Hippocratis stirpe, & scriptis*, mea hæc conjectura summopere confirmari videtur; ait enim. *Capta Troja Podalirius tempestate delatus ad Scyrion Cariæ urbem, ibi quod Græcia partim bellis flagraret, partim latrociniis pateret, deposita imperii cura, scholam aperuit, paternam artem docuit, ac fecit. Ex hac schola Coloniæ tres scholarum deductæ maximo Medicinæ cultu, cum toti Græciæ, Asiæ, & ad Persidem usque Medicos pararet; Rhodia nimirum, Gnidia, & Coa. Certarunt hæ scholæ inter se æmulo studio amplificandæ artis: sicque his contendentibus de artis Asclepiadeæ possessione, reliquas tandem obscuravit Coa celebrium artificum numero, & scriptorum splendore: quamvis & sua Gnidiis sententiis dignitas, atque auctoritas fuerit; nam etiam diu in Medica schola viguerunt.* Inter principes Medicos, Gnidium etiam auctorem citare legimus *Cælium Aurelianum lib. 3. Acutorum morborum cap. 17.*; ait enim. *Veteres Græci intestina chordas vocaverunt: hoc quoque nomen alii commune vocabulum tormento posuerunt, ut Hippocrates, Praxagoras, Euriphon Gnidius.* Ex Galeni auctoritate sic etiam scripsit *Cardanus in comment. in lib. Hipp. de septimestri Partu. De dialecto autem non est argumentum, quod dicam: neque enim est sufficiens, cum tres omnino essent sectæ Medicorum antiquorum Græcorum, ut Galenus testis est, Rhodii, Gnidii, & Coi: & omnes Laconica lingua, velut graviore, uterentur.* Nomina quidem nobilium quorumdam, celebriumque Medicorum, quorum alios ante Hippocratem, alios eadem Hippocratis ætate vixisse autumat *Hyeronimus Rubeus* in suis eruditissimis Annotationibus ad Cornelium Celsum, *Euriphontis* scilicet, *Phaontis*, *Philistionis*, *Aristonis*, ad nos usque pervenerunt. Quæ cum ita sint, quod totis viribus, animoque illorum magni nominis, famæque Medicorum errores patefacere, atque redarguere Hippocrates contenderit, suæ dignitati id maxime consentaneum fuisse, atque operæ pretium omnino feciſſe apparet, optimoque jure eum coactum fuisse plura *de hoc scribere*, cognoscimus.

(2) SUPINA. Quid sit manus supina jam *nota* (9) *cap.* 1. explicavimus; atque ibi etiam, quam parum hæc figura conveniat, aperte satis exposuit Hippocrates.

(3) EX COLORE. Quid de colore sit intelligendum, & quomodo conjectura ex colore facta figuram brachii naturalem esse, aliqui desumerent; *vid. not.* (7) *cap.* 2.

(4) OS EMINENS. Hoc os est apophysis parva, styloides dicta, quæ in extremitate inferiori ossis cubiti, in articula-

©BIU Santé

nus junctúram, ubi parvus digitus eſt, e directo eſſe apparet ejus oſſis, ex quo ulnam homines metiuntur (5): & hæc teſtimonia adducebat, quod ſecundum naturam hoc modo figura ſe haberet, & recte dicere putabatur (6). At vero (7), ſi quidem manus ſupina extendatur, vehementer utique doluerit (8). Cognoſcere autem poterit hoc quiſque ſua manu ita extenta, quod doloroſa eſt hæc figura; nam & debilior vir, fortiorem ita manibus ſuis comprehenſum, ut cubiti flexura ſupina frangitur (9), quocunque voluerit duxerit: neque enim ſi gladium

culatione carpi, eminet, & quæ rectitudinem habet cum minimo digito manus.

(5) METIUNTUR. Cubitus ex *Vitruvio* menſura erat, quæ ſeſquipede, ſive digitis vigintiquatuor conſtabat. Hæc menſura, flexa articulatione cubiti, brachio vero, manuque naturaliter extenſis, ab acumine condyli interni oſſis humeri ſumebatur, atque per reliquum extentum cubitum uſque ad manum delabendo, ſpatium illud vigintiquatuor digitorum habebatur. In hac figura cubitus rectus eſt, & ambo apophyſes, olecranum ſcilicet, & ſtyloidea è directo ſunt; ut *Winſlowius lib. de oſſibus ſiccis* §. 658., de inferiori extremitate oſſis cubiti ait. *Hocce caput parva apophyſi ſtyloidea in latere, quod tuberoſitati olecrani reſpondet, donatur*. Verum ſi manus ſupina ſit, quoniam tunc cubitus oblique fertur, non amplius olecranum e directo eſt cum apophyſi ſtyloidea; ſed tamen Anatomiæ imperito, vel inconſiderato, ab alio oſſis humeri condilo interno, ex quo ulnam homines metiuntur, decepto, ita videri poterit, ut huic Medico, qui brachium ſupinum deligare conſueverat, uiſum fuit. De hoc condylo *vid. not.* (15) *cap.* 3.

(6) PUTABATUR. Plurimi, illum Medicum, manum ſupinam collocantem, & cubitum ſecundum naturam, & in rectitudine ſic eſſe contendentem, recte dicere putabant; quoniam in teſtimonium adducebat apophyſium cubiti directiones; ſed hallucinabantur, quippe non intelligebant, ut intellexit Hippocrates, cubitum in figura ſupina brachii non recta procedere, ſed in obliquum; & olecranum non eſſe alterum illum cubiti proceſſum, qui tunc e directo eſt cum apophyſi ſtyloidea; veluti inferius luculentius Hippocrates oſtendit.

(7) AT VERO. Præterquam quod in brachio ſupino oſſa in directione, atque ſecundum naturam non ſunt; mala inſuper, atque incommoda nunc recenſet Hippocrates, quæ hanc ſubſequuntur figurationem; ex quibus ſatis cognoſcimus, quantum a recta ratione aberraret ille, qui talem methodum præferebat.

(8) DOLUERIT. Vidimus *not.* (8) *cap.* 2, quantum afferret incommodi brachium protenſum more ſagittantium, propter extentionem, quam in ea figura præcipui aliquot muſculi debent ſuſtinere; & quum in brachio ſupino exſtenſio multo validior ſit, muſculique violentius contorqueantur, in hac figuratione brachium *vehementer utique doluerit*.

(9) FRANGITUR. Quo ſenſu in hoc loco Hippocrates dixerit; *cubiti flexura ſupina frangitur*, jam diximus in *not.* (16) *cap.* 2. ſed in brachio ſupino, præter id, quod cubiti flexura frangitur, ſive cohibetur; ob mutatam inſuper mechanicam directionem, & centrum fulcimentorum, ex quibus momentum

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 54 sur 355

©BIU Santé

dium in hac manu habeat, eo uti poterit, adeo violenta (10) hæc figura eſt: deinde, ſi ubi deligavit quis, in hac figura ſinet; major (11) quidem dolor ubi obambularit, magnus autem etiam, ubi decubuerit, ſentietur. Quin & flectere manum ſi opus fuerit, omnino neceſſe eſt & muſculos, & oſſa aliam figuram (12) habere: ſed & citra (13) reliquam perniciem in hac figura hæc ignorabat. Os enim circa juncturam manus eminens (14), juxta parvum digitum, hoc quidem

tum virtutis motivæ muſculorum immenſe augebatur, quamvis maximo conatu muſculi contrahantur, debilem tamen, vel nullam vim habebunt: quod explicatur per propoſitionem 12. *Borelli de Motu Animalium*, ubi clariſſimus Auctor demonſtrat, quod *in vecte nulla potentia quamtumvis vaſta, trahens per directionem extenſam per centrum, ſeu fulcimentum, ſuſtinere poterit unamcumque exiguam reſiſtentiam in extremo vectis appenſam. Part.* 1 *fig.* 16. Quoniam igitur in hac figura ſupina, muſculi brachium flectentes, ob mutatum centrum fulcimentorum, vel debiliorem, vel nullam edere poſſunt contractionem; ideo dixit Hippocrates, quod ſi debilior vir fortiorem ita manibus ſuis comprehendat, quocunque voluerit, duxerit.

(10) VIOLENTA. In figura brachii ſupina, non modo muſculi diſtrahuntur, verum etiam oſſa de naturali ſede impelluntur. Oſſa enim brachii, cubitus ſcilicet, & radius, mirabiles habent articulationes, tum inter ſeſe, tum cum affinibus aliis oſſibus; ex quo manus, & brachium multifariam moveri poſſunt. Præ cæteris hoc nobis notandum modo eſt, quod cubitus inferius cum carpo, & radius ſuperius cum humero, laxe admodum articulantur; & hæc figura ſupina adeo violenta eſt, ut ambæ horum duorum oſſium extremitates de ſua ſede deturbarentur, niſi id valida illa ligamenta, quæ articulationes vinciunt, atque colligant, coercerent; & ideo ſi brachio ita compoſito gladium quis in manu habeat, eo uti non poterit.

(11) MAJOR. Major adjectivum eſt comparativum; ideo quum dixerit Hippocrates *major quidem dolor ubi obambularit*, intelligendum eſt, dolere adhuc debere, quamvis minus, etiam ubi non obambularit; ergo quoquo modo brachium ſupine deligatum ducatur, ſemper utique doluerit. Sed tamen major omnino erit dolor, ubi quis obambulaverit, tunc enim fieri nequit, quin aliqua concuſſio in brachio, atque in muſculis intenſio fiat: multoque major etiam dolor ſentietur, ubi decubuerit; quoniam brachium hac mala figuratione collocatum, ſuo pondere muſculorum diſtractionem, atque articulorum detorſionem augebit.

(12) ALIAM FIGURAM. Si manum ſupine deligatam flectere opus fuerit, quoniam muſculi, & oſſa aliam figuram haberent, plurima ſequerentur mala, *vid. not.* (21) *cap.* 2.

(13) CITRA. Ut quantum a recta ratione ille Medicus recederet, & quam parum inſtructus, quantumque negligens in anatomicis fuerit, detegamus, citra reliquam perniciem, ſive connivendo etiam in malis, quæ hæc ſupina figura brachii affert, ſatis eſſe, Hippocrates innuit, perpendere, quantum artículorum brachii fabricam Medicus ille ignoraret.

(14) EMINENS. Proceſſus ſcilicet ſtyloideus cubiti, de quo *vid. not.* (4) *cap.* 3.

(15) BRA-

©BIU Santé

dem cubiti eſt. Quod vero in flexura eſt, a quo ulnam homines metiuntur, id brachii caput (15) eſt. Ille vero idem os eſſe & hoc, & illud putabat (16), itemque multi (17) alii. Eſt autem idem cum illo is; qui cubitus, ſive cubiti gibbus vocatur, in quem innitimur (18). Si quis igitur ita ſupinam manum habeat; tunc & os diſtortum (19) apparet, & nervi (20) a manus junctura tendentes, ex interna parte, & de

(15) BRACHII CAPUT. Vidimus jam *not.* (5) hujus capitis, quod ab interno humeri condylo cubitalis menſura apud Veteres deſumebatur; & quod proceſſus olecrani, flexo cubito, per directum aliam apophyſin ſtyloideam reſpiciebat; ſed in brachio ſupine extenſo, quoniam cubitus, & radius non amplius in rectitudine ſunt, at ad obliquum vergunt; proceſſus ille, qui in flexura cubiti eſt, & qui tunc apophyſim ſtyloideam reſpicit, minime olecranum eſt, ſed condylus internus oſſis humeri, ex quo ulnam homines metiuntur; quem *caput brachii* nominat Hippocrates.

(16) PUTABAT, Ille Medicus, qui manum ſupinam extendebat, cubitum in rectitudine eſſe credebat, quoniam in anatomicis parum verſatus, *& hoc* (condylus ſcilicet humeri,) *idem eſſe, & illud* (qui eſt cubiti proceſſus anconeus) *putabat*.

(17) MULTI ALII. Non illum tantummodo, ſed multos etiam alios in hunc errorem lapſos fuiſſe narrat Hippocrates; inter quos omnes diſcipuli, atque ſectatores illius Medici recenſeri facile poſſent.

(18) INNITIMUR. Cubitus a cubando dictus eſt, quia ei innitimur dum cubamus: uti *Virgilius* de Didone moriente cecinit.

Ter ſe ſe attollens, cubitoque innixa levavit,
Ter revoluta toro eſt.

Quum ergo os, in quod innitimur, cubiti gibbus ſive olecrani apophyſis ſit, hoc os erit idem, ſive continuum cum apophyſi ſtyloidea; quæ apophyſes in manu ſupine extenſa, nequaquam ſeſe e directo reſpiciunt, ut ille Medicus putabat.

(19) DISTORTUM. Quantum diſtractionis fiat ex hujuſmodi figura in articulis brachii, jam ſuperius *not.* (10) perquiſivimus; conſiderandum modo eſt, quod cubitus in ea extremitate, ubi cum oſſibus carpi articulatur, ita extrorſum pellitur, ut non amplius manum fulcire videatur: ſed diſtortus appareat.

(20) NERVI. Hodierni Anatomici, atque Phyſiologi per nervum eam partem organicam intelligunt, ex medulla oblongata cerebri, & medulla ſpinali ortam, quæ per omnia puncta corporis, ad inſtar funiculorum diſtributa, eſt ſenſus, & motus inſtrumentum. Verum veteres Medici, atque philoſophi, Græci præcipue, latius hoc vocabulum ſumere conſueverunt. Νεῦρον enim quod Nervum dixerunt Latini, oſſium ligamenta, tendines, aponeuroſes, atque ipſos nervos, qui a cerebro atque ſpinali medulla prodeunt, nuncuparunt; ut notat *Veſalius lib.* 1. *cap.* 3., dum ait. *Hæc namque omnia veteres, ut, & vulgus hodie nervi nomine ſubaudierunt: & præcipue Ariſtoteles cum alias ſemper, tum maxime, quum oſſium recenſet contextum.* Sed nihil tamen frequentius, quam tendines, nervos vocaverunt: ut etiam ex aliis Hippocratis libris luculentius patet; in libro enim *de Arte* ſcripſit. *Nervi non in carne ſublimes, ſed ad ipſa oſſa producti, ligamentum ſunt articulorum*; atque lib. *de Locis in Homine* pariter legimus. *Nervi autem ſicci ſunt, & ad oſſa*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 56 sur 355

©BIU Santé

& de digitis, distorti (21) fiunt: tendunt (22) enim hi nervi ad os brachii, unde ulna mensuratur. Tanta (23) sane, ac talia suut peccata, & ignorantiæ naturæ manus.

consistuut; quem Hippoctatis textum suis commentariis *Franciscus Perla*, ita illustravit. *De ligamentis, atque tendonibus hæc intelligenda sunt; hi enim, ut diximus, ad ossa terminantur*. In hoc igitur textu, ubi dixit Hippocrates, *nervi a manus junctura tendentes*, intelligere debemus, eum loquutum fuisse de tendonibus illis, qui ad carpum tendunt, quos nervi nomine indigitaverit.

(21) DISTORTI. Tendines partis internæ brachii, qui ad manus junctura, & ad digitos tendunt, ex musculis Radieo, & Cubitali internis, Longo palmari, sublimi, atque profundo procedunt, qui omnes originem a condylo humeri interno, atque cubito ducunt, & oblique procedendo ad manus junctura tendunt: *vid. Eustachii tab.* 35. *&* 38. Quotiescumque igitur manum supinam quis habebit, tendines illi ex hac figura plus admodum in obliquum delati, atque tensi violentam sustinebunt directionem, & veluti in cochleam distorquentur.

(22) TENDUNT. Rationem reddit Hippocrates, quare hi tendines distorti fiant in extensione supina manus; nempe quum ex articulatione carpi per internam brachii faciem ad condylum internum humeri hi tendines tendant, sive ad flexuram cubiti, unde ulnam mensurari diximus; quoniam alter angulus ossium carpi, qui pollicem sustinet, in resupinatione manus recedit ab angulo interno humeri, atque angulus ei oppositus fit; sequitur, quod carpi volutationem tendines illi sequi debeant, atque divaricati ad angulum angulo humeri interno oppositum, distrahantur; unde eorum distorsio fit.

(23) TANTA. Posteaquam Hippocrates solidissimis rationibus methodos istorum Medicorum in curatione fracturæ brachii confutavit; errores detexit; de malis, quæ ab his sequerentur, nos monuit; hoc sententioso epiphonemate orationem claudit; exclamando: *Tanta sane, ac talia sunt peccata, & ignorantiæ naturæ manus*: veluti *Virgilius*, post narratos classis Trojanæ labores exclamavit.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

CAPUT IV.

©BIU Santé

CAPUT IV.

Manus fractæ recta extensio, & deligatio. Sedendi modus in deligatione manus. Os cubiti majus fractum, cur minore curatu facilius. Os cubiti utrunque fractum.

SI vero velut ego jubeo (1) manum fractam quis extendat; os quidem, quod est circa parvum digitum, ad cubiti flexuram tendens, in directum convertet (2), rectitudinem vero habebunt nervi a ma-

(1) JUBEO. Hactenus errores, in quibus sui temporis Medici in curandis fracturis brachii versabantur, atque falsitates, quæ in eorum rationibus inerant, Hippocrates accuratissime ostendit: nunc vero discentium attentionem sibi parans, exorditur innuendo, se nunc pandere velle, atque jubere ea, quæ maximam utilitatem afferre poterunt; optimam nempe, commodissimam, ac vere secundum naturam extendendæ, atque deligandæ manus methodum aperturus. Sic aliorum erroribus, prius, falsisque opinionibus detectis, ad suos veritatis puriſſimos salubresque fontes accedere invitat.

(2) CONVERTET. Magni profecto interest in fracturarum curationibus noscere, quomodo opportunius membrum fractum extendendum, reponendum, deligandum, atque collocandum sit; in his enim totum onus, quod Chirurgo incumbit, consistit; reliquum sanationis sola natura perficit; quamquam vero hujusmodi ægritudines ita sunt, ut in iis Chirurgus, non modo naturæ minister, vel adjutor sit, sed primarius curationis opifex; quin etiam ipsam naturam qnodammodo superet; ut ait. *Clariss. Fernelius lib. 1. de Method. Meden.* inquiens. *Siquidem luxatos artus, vulneriſque disjuncta labra adducit, & in aliis non paucis, præcipuam curationis partem administrat, quam minime natura aggredi potest.* Ut igitur prima hæc extensionis indicatio in brachii fractura optime expleatur, jubet Hippocrates, os illud, quod est circa parvum digitum, processum scilicet styloideum ulnæ, ad aliam ejusdem ossis extremitatem, quæ ad cubiti flexuram tendit, Processum Anconeum vocatam, in directum convertere: hanc enim justissimam, & secundum naturam brachii, figurationem esse affirmat. Talem Hippocratis figurationem ita descripsit *Ambrosius Paræus lib. 14. cap. 18. Manus vero ea figura statuetur, quæ media est inter pronam & supinam; sic enim radius cubito ad perpendiculum incumbit.* Neque minus perspicuis verbis idem docet *Paulus Ægineta lib. 6. cap. 100.* inquiens. *Manu anguli modo figurata, ut pollex omnium digitorum altissimus, exiguus digitus humillimus habeatur: sic enim cubitum radio subjici continget*: & *Cornelius Celsus* de hac fractura agens sic ait; *Deligari autem brachium debet paulum pollice ad pectus inclinato: siquidem is maxime brachii naturalis habitus est; idque involutum mitella commodissime excipitur.* Hoc igitur modo manum extendi debere præcipit Hippocrates, atque in hac figuratione ossis cubiti rectitudinem facile cognosci posse, ait Galenus; quoniam cubitus in hac figura a musculis non regitur, sed solis subjacet inregumentis.

De

©BIU Santé

a manus junctura ad brachii ſummas partes tendentes (3): & manus dum appenſa (4) excipitur, in conſimili figurâ erit, in quali etiam erat

De brachii fracti figuratione ſcripſit etiam *Hippocrates lib. de Med. Officin. tex.* 20. ubi ait, *Veluti figura cubiti ad brachium, quæ proprie ad angularem accedit*; cui *Galenus* diffuſiſſimum commentarium plurimis medicis, atque geometricis eruditionibus refertum, adjecit.

(3) TENDENTES. Jam ſuperius *not.*(20) *cap.* 3. nervi nomine ab Hippocrate tendines quoque comprehenſos fuiſſe animadvertimus: atque etiam *not.*(8) *cap.*2. & (8) *cap.*3. ex anatomicis ſatis probavimus, quantum extenſionis, & diſtractionis, atque doloris, tam in brachii figura more ſagittantium, quam in ſupina fieri debeat. Nunc vero Hippocrates affirmat, quod in hac brachii extenſione, quam ipſe jubet, omnes tendines, atque muſculi, qui a manus junctura ad brachii ſummas partes tendunt, rectitudinem habebunt. Profecto jam dictum fuit *not.* (21) *cap.* 3. quod tendines partis internæ juncturæ manus, qui procedunt a muſculis Radieo, & Cubitali internis, longo Palmari, Sublimi, atque Profundo, in figuratione ſupina manus diſtorti procedebant; in hac autem figura, horum muſculorum origo, minus eſt diſtracta ab eorum inſertione, ſive fine; ideo, dixit Hippocrates, quod in hac figura rectitudinem habebunt. Verum quum ſubdiderit; *rectitudinem habebunt nervi a manus junctura ad brachii ſummas partes tendentes*: hoc plurali numero omnes ſummas brachii partes comprehendere voluit; internas ſcilicet, externas, atque laterales. Revera hæc manus extenſio, quam jubet Hippocrates, non præfatis tantummodo muſculis partis internæ juncturæ manus, qui a condylo interno humeri oriuntur; ſed reliquis quoque muſculis, qui ab externo condylo proficiſcuntur, quales ſunt Radieus externus, ſive Bicornis, Cubitalis externus, atque Extenſor communis digitorum; nec non etiam Pronatoribus, rectitudinem conciliat: adeo ut omnibus fere brachii, atque manus muſculis hujuſmodi figura magis commoda ſit; niſi fortaſſe Supinatores, Extenſor digiti pollicis, Indicator, vel aliquis alius dumtaxat eſſent excipiendi, quorum inſertiones, directiones, connexiones, atque fræna, huic figuræ manus aliquatenus renituntur. Vid. animadverſiones *Winſlowii in Expoſitione Anatomica* §. 886.

(4) APPENSA. In fracturarum curatione una ex præcipuis indicationibus, membri collocatio eſt; ex qua optimus, vel malus curationis exitus pendere poteſt. *Clariſſ. Vanſwietenus comment. in Boerhaav. aphor.* 354. ita docet. *Requiritur præterea, ut membrum læſum ſic ponatur, & firmetur, ut penitus immobile ſit, quantum commode fieri poterit. Sed cum ſic debeat ſemper in eadem poſitura remanere, neceſſarium eſt, ita ponatur pars læſa, ut ſine incommodo in eodem ſitu diu manere poſſit*: quod præceptum dederat jam *Hippocrates in Chirurgiæ officina cap.* 7. dicens; *Appenſa autem ſint, vel depoſita ea figura, quæ expers doloris, ac ſecundum naturam eſt*. Quantum autem incommodum eſſet brachium retinere extentum toto curationis tempore, *cap.* 2. *atque* 3. ſatis oſtendit Hippocrates: mala vero, quæ ſequerentur, ſi quis poſtquam brachium extentum deligaverit, flectere juberet, *not.*(21) *cap.*2. enumeravimus. In hac autem poſitura, quam Jubet Hippocrates, diu, & ſine incommodo brachium manere poteſt, etiamſi æger decumbere noluerit; quoniam tunc manus collo appenſa commode linteo excipitur;

©BIU Santé

erat (5) dum deligaretur, ita ut neque ambulanti, neque decumbenti ullus dolor, aut fatigatio accedat. Desidere vero hominem ita oportet, ut ossis pars ad clarissimam præsentem lucem constituatur (6); ne is, qui extentionem ttactat, circa sufficientem directionem fallatur (7): nam

pitur; quam posituram ostendit *Heisterus Institit. Chirurg. tab.* 38. *fig.* 17., & *Celsus* describit *lib.*8. *cap.*10. his verbis. *Involutum mitella commodissime excipitur, quæ latitudine ipsi brachio, peranguſtis capitibus collo injicitur: atque ita commode brachium ex cervice suspensum est. Idque paulum supra cubiti alterius regionem pendere oportet.* Verum melius, atque magis tuto ossa in sua sede retinentur, si primis decem, vel quindecim diebus æger in lecto resupinatus decumbat: atque tum, eadem brachii figuratione servata, qua deligavimus, ei pulvinar ita subjiciendum est, atque disponendum, ut manus plus flexura cubiti sit elata.

(5) ERAT. Maximi momenti est post restitutionem ossium, ut totum membrum in eadem figura sit, in qua deligavimvs; ut *not.* (21) *cap.* 2. adnotavimus: ideo hanc brachii figurationem præfert Hippocrates, quia sic ossa, atque musculi naturalem rectitudinem habebunt, & in eadem erunt figura per totum curationis tempus, quin ambulanti, aut decumbenti ullus dolor, aut fatigatio accedat.

(6) CONSTITUATUR. Quum fracturæ curationem aggredimur, homo prius apte collocandus est; atque in hoc nos gerere debemus, ut monet *Galenus* in hujus textus commentario, inquiens; *Inspecto enim tum robore ægrotantis, tum vero fracturæ magnitudine quandoque sedentem, quandoque jacentem hominem deligabis.* Sed hic mirari quoque debemus summam sedulitatem, accuratamque diligentiam, qua Græci, ut in cæteris artibus, sic quoque in Chirurgicis præstiterunt. Nam ne pro humanis viribus quicquam prætermissum Hippocrates relinqueret, quod conducere posset ad perfectam ossis fracti restitutionem, exorditur a lumine, & monet, quod homo ita ad lucem est collocandus, ut omnis lux ad os fractum constituatur, quo membrum probe inspici possit. Quomodo apposite in Chirurgicis operationibus luce utendum sit, diffuse docuit *Hyppocrates* in libro *Chirurgiæ Officina* inscripto, *cap.* 2. qui liber, & optima commentaria, quæ in eum scripsit *Galenus*, luculentissimum veterum Medicorum Græcorum sagacitatis, atque diligentiæ specimen ostendunt.

(7) FALLATUR. Apposite ad lucem membrum affectum constituere, jubet Hippocrates, ut recte inspicere possit, neque decipiatur circa directionem is, qui extensionem tractat. De ministro Hippocratem intellexisse apparet, quum dixerit; *is, qui extensionem tractat*: nam nequit Chirurgus extendere, & una simul ossa fracta in suum locum restituere; præterea ministros, qui extendunt, Artis Chirurgicæ gnaros supponit: nam vult, ut cognoscere possint, neque fallantur circa sufficientem directionem. Hæc congruunt maxime cum his, quæ notat *Vanswietenus in comment. Boerhaav. aphor.* 349. ubi ait. *Cum autem Chirurgus, qui ossa fracta reponet, non posset ipse extensionem membri fracti simul facere, nisi in minoribus ossibus, ut v. g. digitorum phalangis &c. indiget ad hanc rem ministris, qui hanc extensionem facient, dum ille ossa fracta in situ reponere tentat. Chirurgi peritissimi in gravioribus casibus, ideo alios Chirurgos in auxilium vocant imprimis, ut debita extensio ab exercitatis fiat, qui noverint, hanc quam æquabilissime perficere; illud enim quamplurimum ad fœli-*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 60 sur 355

©BIU Santé

nam periti artificis manum admotam, ne os quidem eminens in contactu (8) latere poterit. Porro ex cubiti offibus, ubi non ambo (9) fracta ſunt, facilior curatio eſt, ſi ſupernum (10) os ſauciatum fuerit, etiamſi craſſius (11) id exiſtat: partim quod ſanum ſubtentum fundamenti (12) loco ipſi eſt, partim quod facilius occultari (13) poteſt; niſi juxta

ſalicem reſtitutionem facit. Equidem duobus ſaltem miniſtris in extenſionibus ſemper eget Chirurgus, quorum unus infra fracturam membrum trahere, atque extendere debet; alter ſupra, contraria extenſione, corpus firmare, atque reniti: quarum actionum prima a Chirurgis dicitur, *extenſio*, altera, *contraextenſio*. Quandoque autem adeo valida extenſio requiritur, ut duo miniſtri non ſufficiant, ſed pluribus opus ſit; atque etiam laqueis, atque machinamentis, ut inferius Hippocrates docebit.

(8) IN CONTACTU. Chirurgus peritus, atque in Anatomia verſatus, tactu facile comprehendet, an os fractum in ſua ſede optime ſit reſtitutum; nam ex cognita naturali oſſis ſtructura, digitis cognoſcere poteſt, an ulla inæqualitas, quæ præter naturam ſit, vel aſperitudo ſuperſit; quod certe periti artificis manum latere minime poterit.

(9) AMBO. *Univerſa pars inter brachium, & brachiale poſita Græcis πῆχυς, Latinis vero cubitus appellatur. Hæc duobus conſtat oſſibus, invicem incumbentibus, & dearticulatis*, ait *Veſalius lib. 1. cap. 24.*; ideo quum Hippocrates dixerit, *ex cubiti oſſibus*, idem intelligere debemus, ac ſi dixiſſet, ex duobus oſſibus, quæ in cubito ſunt. In manu ſupina, horum duorum oſſium, illud, quod introrſum ſpectat, Cubitus proprie, ſive Ulna dicitur; alterum, quod extrorſum, Radius nuncupatur; aliquo igitur ictu unum tantummodo horum oſſium quandoque frangitur, illæſo altero, quam fracturam recentiores Chirurgi *incompletam* nominant; *completam* vero, quando ambo oſſa franguntur.

(10) SUPERNUM. In nota præcedenti diximus, illud brachii os, quod in manu ſupina extrorſum ſpectat, radium eſſe, ſed in ea figura, qua brachium fractum extendi juſſit Hippocrates, non exterius, ſed ſuperne os radii conſiſtit; ideo pro hoc oſſe ſuperno, cujus faciliorem eſſe curationem perhibet Hippocrates, radium intelligere debemus.

(11) CRASSIUS. Os radii craſſius eſt cubito, præcipue in ejus extremitate inferiori, ubi craſſiſſimum eſt, atque anguloſum.

(12) FUNDAMENTI LOCO. Rationes affert Hippocrates, quare in fractura brachii, ubi non ambo oſſa fracta ſunt, facilior ſit curatio, quando ſolus radius frangitur; quia nempe in ea figuratione brachii, quam ipſe docuit, totum os cubiti radio ſubtenditur, & fundamenti loco ipſi eſt; quo brachium in ſua ſede ſuſtinetur; nam ut ait *Celſus lib. 8. cap. 10. ubi alterum* (os brachii) *integrum eſt, plus opis in eo, quam in faſciis, ferulisque eſt*.

(13) OCCULTARI. A carnoſis, & craſſis muſculis os radii tegitur, atque ſpeciatim a Supinatore longo, ab Extenſore communi digitorum, & Radieo externo occultatur. Si ergo aliqua inæqualitas, vel ſcabrities in hoc oſſe ſuperfuerit, id facilius ſub horum muſculorum craſſitie occultari poterit: quod alteram eſſe rationem ait Hippocrates, qua radii fracturæ curatio facilior ſit.

(14) JUN-

©BIU Santé

juxta manus juncturam (14) ſauciari contigerit; craſſa enim eſt caro, quæ ſuperne innaſcitur. Infernum (15) vero os excarne (16) eſt, & non facile occultari poteſt (17), & vehementiore (18) extenſione opus habet. Si vero hoc contritum non fuerit, ſed alterum illud; vilior (19) exten-

(14) JUNCTURAM. Os radii non undique carnoſa ſubſtantia tegitur; nam juxta manus juncturam muſculi gracileſcunt, arque in tenues faceſcunt tendines obliquo itinere percurrentes. Solis igitur fere communibus integumentis ibi radius contegitur; ideo dixit Hippocrates, quod occultari noxa non poterit, ſi juxta manus juncturam contigerit.

(15) INFERNUM os. In ea brachii figuratione, quam præcipit Hippocrates, os ſupernum, radium eſſe diximus *not.* (10); hoc igitur aliud os infernum, erit os cubiti.

(16) EXCARNE. Os cubiti figuram habet inæqualiter triangularem; atque ideo tria habet latera, ſive facies. Harum facierum illa, quæ tuberoſitati olecrani reſpondet, rotunda eſt. Hæc in figuratione manus ſecundum Hippocratem, per totam ejus longitudinem, ab olecrano, uſque ad apophyſim ſtyloideam excarnis eſt, ſolis videlicet communibus integumentis tegitur: reliquæ vero facies pluribus muſculis obteguntur, atque ligamento interoſſeo inſertionem præbent.

(17) POTEST. Quoniam in hac facie inferiori cubitus nudis tantummodo tegumentis tegitur; ſi quid præter naturam in eo ſit, non facile occultari poterit; ſed tam viſu, quam tactu a quocumque comprehendetur: ut clariſſimus *Col de Vilarſ. Tom.* 5. *cap.* 17. ait. *La fracture du Cubitus ſe diſtingue ſans peine; car n' étant preſque revêtu que des tegumens, on le touche aiſement dans tutte ſa longueur.*

(18) VEHEMENTIORI. Membra fracta, vel luxata ob inſitam muſculorum contractilitatem decurtari, atque diſtorqueri obſervavimus *not.* (3) *cap.* 1.; ideo præcipuam indicationem curativam, extenſionem eſſe diximus. Radius fractus, præterquam, quod a cubito ſuſtinetur, coercetur etiam a muſculis, qui eum obtegunt, ne admodum diſtorqueatur, neque ſua ſede decedat; idcirco lenem ut plurimum extenſionem poſtulat. Cubitus vero, ubi excarnem eſſe diximus in nota præcedenti, ibi a nulla muſculoſa ſubſtantia reprimitur, ſed ſub laxis tegumentis quolibet poterit deviare. Muſculi præterea, qui ex condylo interno, atque externo humeri ad manus juncturam tendunt, eorum obliqua directione cubitum fractum extrorſum urgent; quam emotionem etiam augent Extenſor longus, Extenſor brevis, atque Brachialis externus, qui unico tendine ſuperiorem cubiti extremitatem retrahunt, ſuperantque antagoniſtarum, veluti Brachialis interni, reſiſtentiam: nec non Pronator quadratus laxum extremitatis inferioris cubiti capitulum avertit. Quum ergo, oſſe cubiti fracto, muſculorum contractilitatem radius debeat ſuſtinere, & hic ſua cavitate glenoidea non firmam habeat articulationem cum capitulo humeri, decedet de ſua ſede cubitus; ex quo, ut reſtitui poſſit, vehementiori extenſione, quam in radii fractura, opus erit.

(19) VILIOR. Rationibus ſuperius allatis cognovimus, quod ſi ex duobus brachii oſſibus, unum tantum frangatur, cubitus plus radio e ſua naturali

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 62 sur 355

©BIU Santé

extenſio ſufficit. At ſi ambo fracta fuerint, fortiſſima (20) extenſione opus habent. In puero etenim vidi extenta magis (21), quam oportebat: verum plerique minus (22), quam oportet extenduntur.

ſede decedet: ideo dixit Hippocrates, quod ſi hoc os cubiti non fuerit contritum, ſed alterum illud radii, vilior, leviorque extenſio ſufficit ad id reponendum.

(20) FORTISSIMA. Quoties Ambo cubiti, & radii oſſa fracta fuerint, ſublatis tunc fulcris, omnes brachii muſculi eorum contractilitate conjunctim ad ea dimovenda conſpirant: unde oſſa ſuis ſedibus facile excidunt, atque fragmentorum aliud ſuper aliud effertur; hinc, ut in ſuam ſedem reſtitui poſſint, & omnis contractilitas muſculorum ſuperetur, validiſſima extenſione opus habent; ut monet *Celſus lib.* 8. inquiens. *Si brachium fractum eſt, in primis conſiderandum eſt, alterum os, an utrumque, comminutum ſit: non quo alia in ejuſmodi caſu curatio admovenda, ſed primum ut valentius extendatur, ſi utrumque os fractum eſt.*

(21) MAGIS. Hoc exemplo nos docet Hippocrates, quod quamvis validiſſima extenſione in fracturis completis opus ſit; modum tamen quendam adhibere debemus, prout pars facilius extenditur, ut in pueris, atque in iis, qui debili, laxaque fibrarum temperie conſtituti ſunt, ne nimia diſtenſione muſculorum fibræ, tendinum, ligamentorum, dilacerentur; ex quo dolores, inflammationes, gangrænæ, vel membri debilitates ſequi facile poſſent. Verum adnotandum eſt, quod in libro *Medicinæ Officina* inſcripto, de ejuſmodi extenſionibus *Hippocrates* loquens, ita dixit. *Quum autem ſupra mediocritatem fit extenſio, ſequitur læſio, exceptis pueris*; cujus textus doctiſſimam dedit explicationem *Galenus comment.* 3. *text.* 23., qua exponit, non eſſe, quod pueris non noceat nimia extenſio, ſed ita dixiſſe Hippocratem, quia ſi de mediocritate aliquantulum extenſio exceſſerit, pueri, ut & fœminæ, atque eunuchi, propter laxam, & mollem fibrarum compagem, quæ diſtendi patitur, minus durioribus hominibus, atque ſiccis lædentur, quorum aridæ fibræ, non modo dum validius, verum etiam dum moderate extenduntur, immodicis anguntur doloribus; unde concludit ipſe *Galenus*, quod ex hac cauſa, *inflammationes ſuboriuntur, febreſque; & convulſiones, interdum vero & reſolutiones; id quod Eraſiſtratus in quodam, cui humeri articulus plus juſto fuerat diſtentus, ſe vidiſſe teſtatur.* Extenſionis limitem nos docuit *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. inquiens. *Ubi paulo longius, quam naturaliter eſſe debet, membrum vis fecit, tum demum oſſa manibus in ſuam ſedem compellenda ſunt: indiciumque oſſis repoſiti eſt dolor ſublatus.*

(22) MINUS. Pleriſque, quibus membra ex fractura, vel luxatione, deformata, vel breviora remanent, id ut plurimum ob nimis debilem extenſionem eveniſſe, quotidiana praxis oſtendit. Nam vel defectu virium, vel machinamentorum, quibus opus eſt, præſertim in membris valentibus extendendis, aut in viris robuſtis; vel interdum mæſto gemitu, atque ejulatu ægrorum ita perrurbantur Chirurgi, ut juſta extenſio ſoleat deficere; atque ideo jure dixit Hippocrates; *plerique minus quam oportet extenduntur.* Hoc in ſemetipſo metuens *Ambroſius Paræus*, amicum Chirurgum, qui ei utrumque os cruris, calcibus equi fractum,

©BIU Santé

ctum, curare debebat, ſic allocutum fuiſſe narrat *lib.* 14. *cap.* 23. *De cætero Richardum Hubertum obteſtatus ſum, ut perinde me tractaret, quaſi non noſſet, neque de artis ſeveritate, amore mei motus, quidquam remitteret, maxime vero pedem in rectum extenderet.* Hic ergo meminiſſe juvabit moniti, quod *Celſus* affert *in præfatione lib.* 7. *ubi ait*, quod Chirurgus eſſe debet *ſic, ut ſanare velit eum quem accepit, non ut clamore ejus motus, vel magis, quam rem deſiderat, properet, vel minus quam neceſſe eſt, ſecet: perinde faciat omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 64 sur 355

©BIU Santé

CAPUT V.

Extenſione facta, quomodo deligandum.

CONvenit autem facta extenſione volis (1) admotis dirigere (2): deinde cerato (3) illito non ita multo, ut ne deligamenta circumſunt, ut *Winſlowius*, *Heiſterus*, *Palphinus*, cæterique. Volæ autem, Græce θενάρια, pro iis prominentioribus palmæ manus partibus accipiuntur, quibus percutere ſolemus; quin imo, ut obſervat *Galenus*, ſunt qui non omnes manus prominentias hoc vocabulo intelligendas eſſe cenſent; ſed eam ſolum, quæ pollici digito ſubiecta eſt; unde Thenaris nomine muſculum pollicis abductorem Anatomici nuncuparunt. Quum ergo Hippocrates facta extenſione, volas admovere juſſerit, intelligere poſſumus, has volas eſſe prominentiores palmæ manus partes, eas præſertim, quæ pollici ſubjacent.

(1) VOLIS. Vola, vocabulum eſt, quod late ſumptum, pro palmæ manus ſynonimo ſolet a Latinis uſurpari. Stricte vero palma nominatur ea faciei interioris manus pars, quæ oſſibus carpi, & metacarpi conflatur; ut ait elegantiſſimus *Joannes Fernelius lib.* 1. *cap.* 3. *Phyſiologiæ*, inquiens. *Brachiale nonnulli vocant primam, ſummamque palmæ partem, quam καρπον nominant, oſſiculis octo conſtructam. . . . . Succedit illi μεταχαρπιον, id eſt ima palma oſſibus quinque contextum.* Sed etſi Fernelius metacarpum oſſibus quinque contextum eſſe tradiderit, haud mirum videbitur conſideranti, quod in eandem ſententiam graviſſimi auctores deſcenderint, ut *Ariſtoteles*, & *Celſus*, qui *lib.* 8. *cap.* 1. inquit. *Quinque oſſa ad digitos tendentia palmam explent, a quibus ipſi digiti oriuntur.* Quoniam enim illud primum os, quod pollicem ſuſtinet, inter palmæ muſculos, ut cætera oſſa metacarpi, latet; ad metacarpi oſſa id retulerunt: quam ſententiam ſequutus eſt etiam *Realdus Columbus lib.* 1. *cap.* 26. inquiens. *Primus pollicis articulus ſtatim brachiali ſuccedit, ac non minus eidem committitur, quam faciant reliquæ poſtbrachialis oſſa, licet laxior ſit hujus, quam ipſorum articulatio.* Alii vero, quia amplo, quo gaudet, motu ab aliis metacarpi oſſibus maxime differt, inter digitorum oſſa numerarunt; uti poſt longam dubitationem, multumque examen ſtatuit *Galenus*, quem ſectatus eſt *Veſalius*, quorum auctorum ſententiam deinde recentiores Anatomici ſemper ſequuti

(2) DIRIGERE. Quoties fractum membrum ad naturalem longitudinem, vel aliquanto longius extenderimus, tunc ſæpe muſculorum inſita contractilitate, omniumque circumſepientium partium elaſticitate ac preſſione, in ſuam ſedem oſſa fracta impelluntur, atque ultro coaptantur. Verum hoc non ita facile ſemper accidit, ſed plerumque, ut oſſa priſtinam recuperent ſedem; nec non, ut aſperitates, atque denticulationes fragmentorum ad amuſſim conjungantur, manus Chirurgi auxilio egent. Ut igitur opportune id compleatur, volas manuum admovere, atque inter eas fracturam comprehendere, & leniter undique reprimendo, dimota oſſa in ſuam ſedem dirigere, Hippocrates præcipit.

(3) CERATO. Ex oleo roſaceo, velſim-

©BIU Santé

cumfluitent (4), ita deligare, ut ſummam manum (5) non inferius cubiti flexura habeat, ſed etiam paulo ſuperius (6); ne ad ſummam par-

ſimpliciter communi, & cera liquatis, & commixtis, hoc Hippocratis ceratum conficiebatur; quo illinire jubet circum fracturam, ut partes emollitæ a dolore liberentur, atque etiam ut inflammatio arceatur. Veteres hoc cerato maxime utebantur; & *Dioſcorides lib.5. cap.95.* ubi agit de fuligine pictoria, ait, quod *fracta cum roſaceo cerato ad cicatricem perducit*. Quomodo Hippocratis ceratum confici debeat, docet *Hollerus lib. Materiæ Chirurg. cap.14.* inquiens. *Ceratum καταγματικὸν e cera pingui, & duplo oleo conficitur, oleum ſit recens rhodinum, vel myrteum. Cera ſiccior paulo liberalius oleo emollitur*; Hujus cerati Hippocratis formulam habemus etiam in *Antidotario Bononienſi pag. 223. tit. Unguentum de Cera*. *Paulus Ægineta*, quemadmodum nos quoque in hodierna praxi conſuevimus, poſca, vel aqua faſcias madefaciebat, ut legimus *lib.6. cap.99.* ubi ait. *Porro ſi fractura inflammatione vacet, recenſque ſit, lineis utendum faſciis oblongis abunde, circa tres, quatuorve digitos latis, aqua madentibus, aut etiam poſca*. *Celſus* autem vino, & oleo utebatur; ait enim *lib.8. cap.10. Et membrum alteri parti æquatum, involvendum duplicibus, triplicibuſve pannis & vino, & oleo tinctis, quos lineos eſſe commodius eſt*. Recentiores autem pro cerato Hippocratis, oleo roſaceo circumlinire, atque linteolis ſpiritu vini madidis fracta circumtegere ſolent, ad curandam contuſionem, ecchymoſeſque ſolvendas, quæ fracturas ſolent concomitari. Pro vini ſpiritu, ipſo vino utitur etiam Hippocrates, ut inferius videbimus: ſed animadvertendum, quod Hippocratis ævo nondum chemica remedia, & diſtillandi ars erat in uſu; Arabes enim hanc artem poſt Græcorum decidentiam in uſum Medicum primi tulerunt. Nunc vero eſſet inquirendum, an magis utile ſit Recentiorum adhibere remedia, an Hippocratis ceratum: attamen hoc tantum adjiciam, quod in iis oſſium fracturis, ubi nulla adeſt memorabilis læſio in carnibus, ceratum Hippocratis & utiliſſimum remedium, & commodiſſimum cenſeo.

(4) CIRCUMFLUITENT. Poſt extenſionem, oſſiumque repoſitionem, mox jubet Hippocrates brachium illinire cerato, ut ſuperius innuimus; verum hac cautione, ut non ita multum effundamus, ne de faſciis profluat, atque deligamenta undique circumfluitent: ſed tamen, ut monet *Galenus* in hunc textum, non ita parce debet circumliniri, ut ante tertium diem, quo faſciæ deligari ſolent, ſiccetur.

(5) SUMMAM MANUM. A Latinis omne id, quod carpum, metacarpum, atque digitos comprehendit, manus huncupatur, quæ ſi clauſa eſt, & contracta, pugnus dicitur. Hippocrates autem, quemadmodum & *Galenus* (ut notat *Veſalius lib.1. cap.25.*) totum id, quod a ſcapula ad extremos uſque digitorum, unguiumque terminos pertinet, quod vulgo brachium appellamus, manum nuncupabant. Extremæ vero, vel ſummæ manus epitheton addebant, quoties a reliquo brachio id, quod nos proprie manum dicimus, diſtinguere voluerunt; ideo in hoc textu ſummam manum Hippocrates dixit, ut ipſam manum indicaret.

(6) SUPERIUS. Ex iis, quæ *not.* (2), & (4) *cap.* 4. adnotavimus, conſtat, quod brachii figuratio optima, & ſecundum naturam eſt, quum os cubiti radio ſubjectum, atque recta a flexura hu-

©BIU Santé

partem ſanguis influat, ſed intercipiatur (7). Poſtea linteo (8) deligare,

humeri, uſque ad articulationem cum carpo, protenditur; inſuper etiam animadvertimus, quod ut brachium in eadem figuratione, tum ambulanti, tum decumbenti, commode manere poſſit, ad angulum rectum cum humero inflectendum eſt. Nunc vero, ne poſt flexionem brachii ad angulum rectum, manus vel propendens, vel nimis elata ponatur, juſtam altitudinis manus menſuram commemorat, referens, quod flexura cubiti, altitudinis manus norma eſſe debet; adeo ut nunquam inferius, quam flexura cubiti, manus collocanda ſit, ſed ſemper ſuperius. Dixit tamen; *paulo ſuperius*, ut oſtenderet, quod non multo ſupra rectitudinem horizontalem debebit manus tranſcendere; nam ſi nimis elata ſit, cubiti flexuræ noceret.

(7) INTERCIPIATUR. Rationem reddit Hippocrates, quare debeat manus paulo ſupra cubiti flexuram collocari; ut ſcilicet intercipiatur ſanguis, ne nimis in declivem partem proprio pondere defluat. Profecto, quamvis Harvejanum inventum Hippocrates ignoraverit, circulationis tamen ſanguinis legibus hoc monitum maxime congruit; quippe, quum ſanguis, qui per elaſticas arterias cordis actione undique propellitur, majori ſemper copia, & impetu in decliviores partes ſua abſoluta gravitate confluat, uti ex hydraulicis conſtat: hinc ſi manus infra cubiti flexuram ponatur, major ſanguinis copia in eam fluet, ex quo tumores exurgent. Accedit inſuper, quod hæc ſanguinis copia debet per venas ad cor referri, quæ res in manu declivi difficulter efficitur; nam præterquam, quod, ex legibus hydroſtaticis, liquores, qui ſurſum per canales aſcendunt, proprii ponderis reſiſtentiam debent ſuperare; ipſis etiam faſciis, quibus brachii fracturæ deligantur, venæ illæ majores, quæ ſubtus cutim excurrunt; Cephalica, Mediana, Baſilica, & Cubitalis nuncupatæ, comprimentur, ex quo ſanguinis reverſio ad cor magis intercipietur. Ne igitur in declivi manu ſanguis nimius colligatur, atque tumor exurgat, monuit Hippocrates, ut manum paulo ſupra cubiti fléxuram ponamus.

(8) LINTEO. Pannus ex lino confectus proprie linteum ſignificat; ſed in hoc loco, pro linteo, lineas faſcias intelligere debemus. Quales vero eſſe debeant faſciæ, in *Chirurgiæ officina* docuit *Hippocrates*, nam *cap.6.* ait. *Præparare autem oportet lintea levia, tenuvia, mollia, pura, non conſuta, neque extuberantias habentia, & ſana, ut extenſionem ferant*; quibus verbis Hippocratica gravitate omnes conditiones, quas optimæ faſciæ habere debent, comprehenduntur. Quoniam autem varia in faſciis longitudo, & latitudo, pro diverſa partis affectæ qualitate requiritur; ideo ibidem *cap.8. dixit Hippocrates. Deligamentorum . . . . . trium, aut quatuor, aut quinque, aut ſex cubitorum quidem longitudo, digitorum autem latitudo.* Quum ergo brachium membrum non magnum ſit, tenuioribus faſciis erit deligandum: ampliores namque femur, vel tibia requireret: itaque ex his, quas proponit Hippocrates, eas eligere poterimus, quæ ſunt tres cubitos longæ, treſque digitos latæ. Sed qua ratione pro faſciarum menſura cubitis, atque digitis utemur, appoſite *Galenus* explicat *text.35.* dum præfatum Hippocratis monitum commemorat; inquiens. *Hippocrates definivit faſciarum longitudinem, cenſuitque eas æquare debere tres, vel quatuor cubitos, homi-*

©BIU Santé

gare, initio ejus ſupra fracturam injecto (9); ita ut firmet quidem, non

hominis nempe illius, qui deligandus eſt; alioquin enim ridiculum eſſet, ſi puerulum e. g. biennem, aut triennem longis adeo faſciis vellemus deligare, ut ad tres, vel quatuor adulti hominis cubitos accedant: vel ſi in adulto devinciendo, ita brevibus uteremur, ut ternos, quaternoſve infantis cubitos explerent. Verum hic eſt maxime adnotandum, quod interdum fracturæ accidunt, in quibus os vel multum contritum, vel ita oblique fractum eſt, ut longum ſpatium fractura percurrat; atque tunc, ut univerſum locum fractum una, æqualique circumvolutione amplectatur, tanto latior eſſe debebit faſcia, quantum fracturæ conditio requiret.

(9) INJECTO. Mirum hic forſan videri poſſet, quod Hippocrates, poſtquam fracturam cerato illinierimus, mox faſcias adjicere jubeat, neque ullam de linteolis mentionem faciat. Sed veteres Medicos, uti Hippocrates, Galenus, Paulus AEgineta, aliique, poſt illitum cerato, mox faſcias apponere conſueviſſe conſtat, quin ullum antea adhiberent linteolum, ſive lineum panniculum, ut nos hodie conſueſcimus. Verum linteolis nos utimur, ut eis medicamenta admoveantur: cum illi ipſas faſcias medicamentis perfunderent; ut ſcripſit *Galenus Comment. 3. text. 14. Chirurgiæ Officinæ Hippocratis. Quippe non cutim modo morboſæ partis cerato eſſe inungendam cenſet,* (Hippocrates) *aridis videlicet ipſis faſciis adhibitis: verum & præcipit, ut quamcunque faſciarum involutionem ſequamur, ejuſmodi cerato imbuentes. Quandoquidem ſi intelligas, quod ſola cutis illinatur cerato; faſciæ vero aridæ injiciantur, cito affecta pars ab eo auxilio, quod a cerato expectat, deſtituetur; nam humore, quo erat madefacienda pars affecta, a linteis abſorpto, cutis ipſa arida reddetur.* Celſum tamen, antequam faſcias adhiberet, fracturas pannis prius involvere conſueviſſe patet ex his, quæ ſcripſit *lib. 8. cap. 10.* ait enim. *Et membrum alteri parti æquatum involvendum duplicibus, triplicibuſque pannis & vino, & oleo tinctis, quos lineos eſſe commodius eſt;* atque etiam *Tagaultius*, qui Hippocratem, & Celſum ubique ſectatur, ſic ait *lib. 4. cap. 3. Cæterum priuſquam faſciis hujuſmodi fractura deligetur, unus aut alter panniculus lineus, candido ovi liquore, & roſaceo delibutus, nudo membro non abſque ratione a recentioribus Chirurgis ſuperaccommodatur, ea quidem magnitudine, ut etiam aliquid partis ſanæ comprehendat.* An vero melius ſit, antequam faſciæ apponantur, linteolis partem læſam circumdare, aliis dijudicandum relinquam; commonebo tamen, quod facilius, ſecundum mentem Hippocratis, levis, atque citra extuberantias deligatio efficietur, ſi nullo appoſito linteolo ſolas faſcias medicamento imbutas adhibuerimus: nam dum conſtringuntur faſciæ, aliquam corrugationem, ſive aſperitatem ſuppoſita linteola, ſive panniculi, contrahere facile poſſunt. Quomodo autem prima faſcia applicari debeat oſtendit Hippocrates, dum ait, quod ejus initium ſupra fracturam injiciendum eſt: debemus nempe altera manu initium faſciæ ſupra locum fractum tranſverſim injicere; altera reliquum faſciæ ita circumdare, ut veluti lato annulo fractura includatur. Verum ſummam aptitudinem, munditiem, atque dexteritatem in ſuis manibus habere debet Chirurgus, ut opportune, atque ſecundum artis præcepta, ſuum poſſit munus explere. Hæc, quibus magni quidem intereſt optimum Chirurgum præditum eſſe, docemur ab ipſo *Hippocrate lib. de Officin. Med.*, ubi ait.

Un-

©BIU Santé

non tamen admodum premat (10). Poſt quam autem circumdedit eodem loco bis, aut ter, ad ſupernam partem deligans diſtribuat (11): quo

Ungues, neque longiores, neque breviores digitorum verticibus eſſe oportet, quos ſic in uſum adhibere convenit. Digitis quidem ſummis, indice fere ad pollicem admoto, manu autem integra prona, ambabus vero adverſis..... Qui agit, ad opera omnia adhibeat utraſque manus, & ambas ſimul, cum ſint ſimiles, ad id quidem animum advertens, ut ambabus utatur recte, decore, cito, ſine labore, concinne, prompte. Vid. *Foeſium tom. 1. pag. 742.* Quod idem inculcat *Celſus lib. 7.* dum ait. *Eſſe autem Chirurgus debet manu ſtrenua, ſtabili, nec unquam intremiſcente, eaque non minus ſiniſtra, quam dextra promptus.* Vt igitur optime deligationes fracturarum efficere poſſit Chirurgus, præter peritiam artis, qua debet eſſe maxime inſtructus, ſummam inſuper in nitore, atque cultu manuum, elegantiam, ſummamque, cum in dextra, tum in ſiniſtra promptitudinem, ſolertiamque, Hippocrates requirit.

(10) PREMAT. Quomodo deligationis aſtrictio temperari debeat, nunc docet Hippocrates: præcipit enim, ut tantum conſtringamus faſcias, quantum ſatis erit, ut oſſa fracta in ſua ſede retineant, atque firment; cavendo tamen, ne admodum premant. Equidem ſi faſcia laxe nimis circumvolvatur, oſſa facile excident, membrum recurvabitur, inutiliſque fiet deligatio; neque minus nimiam faſciarum preſſionem ſedulo cavere debemus, ne dolores, inflammationes, atque gangrænæ ſubſequantur: ut non ſemel propter arctam nimis deligationem in brachii, atque cruris fracturis ab imperitis empyricis factam, immedicabili ſphacelo homines occubuiſſe vidimus. Solum exercitati, prudentiſque Chirurgi eſt, juſtam deligationem efficere, quoniam generatim gradus conſtrictionis nequit decerni; ſed juxta naturam ægroti, locum, vel qualitatem fracturæ, contuſionem, ecchymoſin, intumeſcentiam, aliaſque circumſtantias, aut ſymptomata, diverſus conſtrictionis gradus requiritur. Hanc Hippocratis injiciendarum faſciarum moderationem *Galenus* maxime commendat; atque in hujus textus commentario tyroni Chirurgo conſulit, quod in ſanis hominibus deligandis ſe exerceat, ut dexteritatem acquirat, priuſquam ad deligandas fracturas accedat, inquiens. *Atqui & antequam deligare eum, cui membrum aliquod ſit fractum, aggrediaris, facile exercere te poteris, ſinum quempiam ſæpius deligando, ac hæc eadem, quæ nuper diximus, percuntando; ita enim fiet, ut deinde ad moliendum deligationes in fracturis, aptus evadas;* proinde ſcitiſſime ſcripſit *Cicero lib. 1. de Officiis. Medici, Imperatores, & Oratores quamvis artis præcepta perceperint, nihil magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poſſunt.*

(11) DISTRIBUAT. Præcepit Hippocrates, ut injecto faſciæ capite ſupra fracturam, bis, aut ter idem locus faſcia circumdetur, ſemper tamen advertendo, ut firmet quidem, non tamen admodum premat; atque deinde reliquum faſciæ ad ſupremam partem diſtribuatur. Elegantiſſime latinus Hippocrates *Cornelius Celſus*, eadem repetit *lib. 8. cap. 10.*, ubi ſcripſit. *Prima* (faſcia) *breviſſima adhibenda, quæ circa fracturam ter voluta ſurſum verſus feratur, & quaſi in cochleam ſerpat.* In girum itaque, & fere circulos deſcribendo, ter faſcia ſupra locum fracturæ volvi prius debet: dein ſurſum convertendo in cochleam ſerpere, ſive in ſpiram procede-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 69 sur 355

©BIU Santé

quo ſanguinis influxiones intercipiantur, & illic deſinat (12). Convenit autem prima lintea non eſſe longa (13), ſecundorum vero linteorum initium ſupra fracturam injicere, ita ut ſemel circumdet eodem loco (14), deinde deorſum (15) diſtribuat, & minus premens (16), & macedere, ut ad ſupremam partem reliquum faſciæ diſtribuatur. Hujus primæ faſciæ diſtributionem ad ſupremam partem expreſſit *Scultetus. Tabul. 19. fig. 1.*

(12) DESINAT. Jam *not. 7. hujus capitis*, ubi Hippocrates monuit, manum non collocari debere inferius cubiti flexura, ne ad ſummam partem ſanguis influat, id cum circulationis ſanguinis legibus admodum congruere, adnotavimus; quod etiam in hoc textu advertendum eſt. Idcirco enim prohibet ad ſuperiorem partem faſciam diſtribuere, ut ſanguinis influxiones intercipiantur; nam, quum arteriæ omnis generis ex ſuperiori brachii parte deſcendant, ubi primum conſtrictio faſciæ eis occurret, ibi ſemper aliqua ſanguinis interceptio fiet, ex quo partes intumeſcere ſolent. Ne ideo ad marginem trium illarum circumvolutionum prope fracturam, hæc interceptio fiat, jubet Hippocrates, ad ſupremam partem reliquum faſciæ diſtribuere, ibique deſinere, ut illic ſanguinis influxiones intercipiantur, atque ſic a fracturæ vicinia removeantur intumeſcentiæ.

(13) NON ESSE LONGA. Quum bis, aut ter primam faſciam circum fracturam volverimus, reliquum, ſurſum in cochleam ſerpendo, ad ſupremam partem diſtribuere, præcipit Hippocrates. Quouſque autem ad ſupremam partem aſcendere debeat faſcia in fractura brachii, non definivit, quia pro fracturæ ſitu plus, minus procedere oportebit: dixit tamen in *Chirurgiæ Officina cap. 8. Comprehendat præterea deligatio non parum partis ſanæ*. Sed dummodo prope articulationem cum humero fractura non ſit, cubiti flexuram hæc faſcia attingere non debet; ne, ſi poſt deligationem brachium ſuſpendendo, vel collocando moveatur, ſtricta nimis, vel laxa fiat, juſtaque perturbetur deligatio, prout angulus cubiti magis ad acutum, vel ad obtuſum acceſſerit. *Celſus lib. 8.* hæc eadem de fractura brachii monet, dum ait. *Articulum autem quam minime vincire opus eſt: ſed ſi juxta hunc os fractum eſt, neceſſe eſt.* Primæ igitur faſciæ longitudo tanta eſſe debebit, quanta ſufficiet ad ter circumvolvendum fracturam, atque ad ſupremam partem, citra flexuram, devinciendum, & ideo Hippocrates dixit, quod; *Convenit prima lintea non eſſe longa*: uti & *Celſus lib. 8. Prima faſcia breviſſima adhibenda*.

(14) EODEM LOCO. Quoniam deligationis ſcopus eſt, oſſa fracta in ſua ſede retinere, ideo ubi fractura eſt, ibi deligationis vis magis inſiſtere debet; idcirco Hippocrates mandat, ut etiam ſecundæ faſciæ caput ſupra fracturam injiciatur; ſic tamen, ut non bis, aut ter, ut prima, ſed ſemel tantum circumdetur eodem loco. Si enim tantundem hæc ſecunda, ut prima faſcia, circa eundem locum volveretur, exſuperantia faſciarum inæqualitatem ibi efficeret, quæ maxime incommoda eſſet ad retinendum brachium in directiſſima extenſione, dum ſplenia, vel ferulæ adhibentur.

(15) DEORSUM. Hac ſecunda faſcia, ſemel ſupra fracturam circumvoluta, deorſum, manum ſcilicet verſus, in cochleam ſerpendo debet diſtribui.

(16) PREMENS. Poſtquam bis, aut ter eun-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 70 sur 355

©BIU Santé

& magis traducens (17); quo linteum ipſi ſufficiens ſit ad recurrendum eo, ubi alterum deſivit (18). Hic igitur lintea ad ſiniſtram, aut dextram deligentur, aut ad utram partem contulerit ad fracturæ figuram, & in utram declinare expedierit (19). Poſtea vero ſplenia (20) exten-

eundem locum fractum prima faſcia circumdedimus, ad ſupremam partem juſſit Hippocrates eam diſtribuere, ut ſanguinis influxiones intercipiantur: atque ibi *not.* (12) adnotavimus, Hippocratis rationes ſanguinis circulationi ſemper congruere. Hic pariter ſecundum ſanguinis circulationis leges monet, ut hæc faſciæ portio, quæ deorſum diſtribuitur, minus premens ſit; quoniam hæc influxiones ſanguinis, quæ ex arteriis a ſuperioribus humeri partibus deſcendentibus proveniunt, non intercipit, ſed tantum refluo de inferioribus partibus ſanguini liberum ad cor regreſſum, nimium premens, impediret; unde ob humores ibi interceptos manus intumeſceret. Ut ergo ſanguis, qui ſubtus primam faſciam ad manum per arterias influxit, libere per venas poſſit ad cor remeare, hæc ſecunda faſcia, quæ deorſum diſtribuitur, minus priore, premens eſſe debebit.

(17) MAGIS TRADUCENS. Convolutiones ſcilicet non ita frequentes ſint, ut in prima faſcia; ſed majori intervallo, magiſque inclinata obliquitate ſerpendo, debent traduci.

(18) DESIVIT. Poſteaquam ſecunda faſcia ad inferiores brachii partes pervenerimus, ſurſum recurrendum eſt ad ſuperiores partes, ubi altera deſivit. Ut ideo illuc uſque faſcia pervenire poſſet, dixerat Hippocrates, quod magis traducens diſtribuatur. Veruntamen, ut totum id ſpatium hæc ſecunda faſcia percurreret, prima longiorem eſſe debere jam innuit Hippocrates, quum dixit. *Convenit prima lintea non eſſe longa. Celſus lib.8. cap.10.* longitudinis hujus faſciæ menſuram tradit, inquiens. *Altera dimidio longior.*

(19) EXPEDIERIT. Oſſa fracta, quamvis in ſua ſede repoſita ſint, ſemper tamen, ſi ante deligationem de extenſione membrum aliquatenus remitteretur, in utram partem urgent excedere; atque ideo in hoc textu præcipit Hppocrates, ut lintea ad dextram, aut ſiniſtram deligentur, prout ad utram partem contulerit ad fracturæ figuram, ut contraria objecta deligatione, oſſa melius in ſua ſede retineantur. Idem præceptum dedit *Hippocrates in Chirurgiæ Officina*, dicens. *Deligare oportet dextras partes ad ſiniſtras, & ſiniſtras ad dextras, præter quam in capite, hoc enim per directum*: & *Galenus in comment.* ſic ait. *Hujus præcepti uſus maxime eſt in fracturis; nam ſemper oportet convertere in contrariam partem, ut ſi dextra pars laboret, in ſiniſtram, ſi ſiniſtra in contrariam: quemadmodum ſi os totum ſit per tranſverſum fractum deligationem adminiſtramus, quæ æqualis ſit, & in neutram partem inclinet.* Sed, dummodo non adeo in utram partem vergat fractura, ut utrarumque faſciarum deligationes in eandem partem declinare expedierit, quo in contrarium convertatur, plus ſemper ad æqualitatem conſervandam conferet, ſecundam faſciam ductu priori adverſo circumducere; ut monuit *Celſus lib.8. cap.10.*, ubi ait. *Altera faſcia dimidio longiore, eaque, qua parte os eminet, ab ea, ſi totum æquale eſt, undelibet ſuper fracturam debet incipere priori adverſa, deorſumque tendere; atque iterum de fractura reverſa, in ſuperiore ultra priorem faſciam deſinere.*

(20) SPLENIA. Splenia, ſive Plagulæ, apud

©BIU Santé

extendere oportet modico cerato illita (21); nam ſic & mitius, & ſta-

apud Chirurgos lintea ſunt, diverſimode complicata, quibus, veluti parvis pulvillis ad fulciendum, comprimendum, æquandum, vel defendendum, in quibuſdam deligationibus, utuntur. Verum ſplenia, de quibus hic loquitur Hippocrates, ad fulcienda oſſa fracta apponuntur; quæ non tranſverſim, ut faſciæ, ſed per membri longitudinem, adhibentur; ut explicat *Galenus*, inquiens. *Hæ vero contra quam illæ injiciuntur; illæ enim tranſverſum membrum ambiunt: plagulæ vero per longitudinem membri extenduntur, totum id comprehendentes, quod duabus prioribus faſciis involutum eſt.* Qualia autem, & quanta hæc ſplenia eſſe debeant, docet *Hippocrates in Chirurg. Officin. cap.* 8. *Spleniorum longitudines, latitudines, craſſitudines, multitudines. Longitudo quanta eſt deligatio: latitudo quatuor, aut trium digitorum: craſſitudo, ut triplices, aut quadruplices ſint: multitudo, ut dum circumdantur, non excedant, neque deficiant.* Longitudo igitur ſpleniorum non debet excedere deligationem, ne ultra juſtos limites, vel ad articulos, abſque neceſſitate, producatur deligatio. Latitudo quatuor, aut trium digitorum; illius ſcilicet intelligendo, qui deligatur; quemadmodum ex *Galeni* ſententia monitum fuit *not.* (8) hujus capitis. Craſſitudo ea ſit, ut triplices, vel quadruplices ſint, prout majoris fulcimenti egeat fractura, vel major, minorve ſit lintei craſſities. Multitudinem autem ſpleniorum tantam eſſe præcipit, quanta requiritur, ut membrum ad amuſſim in orbem comprehendatur; ne ſcilicet ſi nimia fuerint, una extremitas alteri inſideat, & eminentias excitent, quæ lædere poſſent; vel ſi pauca, vel nimis diſſita, intervalla vacua relinquant, quæ inæqualem, atque laxam redderent deligationem.

(21) ILLITA. Quoniam Hippocrates non ante ſeptimum diem ferulas adhibere cenſet, ne earum preſſione dolores, & inflammationes inducantur; ideo, ut oſſa interea fulcirentur, neque facile de ſua ſede iterum excederent, ſplenia apponit, quæ cerato illinire jubet, ut ſic magis adhæreant, atque ſimul aliqualem ſoliditatem, atque firmitudinem acquirant, qua ferularum officio fungi fere poſſint. *Celſus* idem docet *lib.*8. ubi ait. *Super has* (duas primas faſcias) *injiciendum latiore linteo ceratum eſt, quod eas contineat.* Quali cerato ad hoc uſus ſit Hippocrates, diximus *not.* (3) *hujus capitis*. Recentiores autem Chirurgi in fractura ſimplici, quæ neque vulnere, neque gravi contuſione, neque multa membri intumeſcentia ſtipatur, in prima deligatione, duabus prioribus faſciis accommodatis, ſuper ſplenia protinus ferulas adhibere ſolent, ut nos quoque in noſtra praxi conſueſcimus; atque ipſe *Tagaultius*, quamvis Hippocratis doctrinam maxime ſectetur, tamen etiam in prima deligatione ferulas adhibendas, at ſumma quidem cautione, cenſet; nam ait, *lib.*4. *cap.*3. *Verum non ab re factum putamus, ſi ſtatim ab initio poſt deligaturam, ferulæ injiciantur, modo nimis premendo dolorem non excitent, aut phlegmonem, quæ maxime arcenda erat, acciſant, vel præſentem, ſi adſit, exacerbent.* Sed non modo Recentiores in prima deligatione ferulas adhibuerunt; verum etiam ex Veteribus nonnullos hac methodo uſos fuiſſe conſtat ex verbis *Pauli Æginetæ lib.*6. *cap.* 99., ubi ait. *Recentiores itaque ſecundum deligaturam protinus ferulas etiam injiciunt, ut adaptationis figura contineatur, conſtringentes ipſas, prout ſenſus, & tumor ex inflammatione poſtulat. Celſus* autem, *Galenus*, atque inter Recentiores

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 72 sur 355

©BIU Santé

Vidius, *Sculletus*, *Fabricius ab Aquapendente*, *Pecettus*, aliique, ſententiam Hippocratis ſequuntur, & ante diem ſeptimum ferulas non audent apponere, ne damna, quæ recenſet Hippocrates, ſubſequantur. *Guido a Cauliaco*, qui in litterarum decidentia, ab anno 1363. *Galenum* præcipue, atque etiam *Avicennam*, *Albucaſſim*, *Halyabbatem*, *Raſim*, cæteroſque Arabes ſequutus, ab obſcuritate, atque barbarie Chirurgiam primus aliquatenus vindicavit, & ad priſtinum nitorem, cultumque eam revocare ſtuduit, methodum præſcribit, quæ ad hanc Hippocratis doctrinam maxime accedit; ait enim *lib.* 5. *Doctrin.* 1. *Quartum documentum eſt quod a principio apponantur haſtellæ leves, aut aliquæ loco earum non ad reſtringendum, ſed ſolum ad ſuſtinendum, uſque ad diem ſeptimum, quando tranſiverit tempus apoſtematis: & tunc ponantur haſtellæ bonæ, & ſufficientes ad reſtringendum, & ſuſtinendum; & continuetur uſque ad finem, quoad porus ſit bene firmus, & non fiat feſtinatio in removendo.* Sed clariſſ. Chirurgus Gallus *Johannes Aloyſius Petit* ferularum uſum in fracturis fere prorſus rejicit, atque ſplenia ſatis eſſe, ferularumque vices ſatis ſupplere poſſe exiſtimat; ait enim *Tom.* 2. *Chap.* 1. *Des Maladies des os. Mais on doit preferer a tous ces moyens de ſimples compreſſés longuettes ſuffiſament epaiſſes, qu' on applique ſur les differentes faces de la partie. Ces compreſſes donnent tout le ſoutien néceſſaire aux pieces fracturees;* cui ſententiæ maxime accedit *le Clerc lib. les Maladies des os. tom.* 5. *Chapitr.* 18., ubi ſcripſit. *Les attelles doivent etre de carton, ou de bois fort mince; il vaut mieux ſe ſeruir de celles de carton, e de ſimples compreſſes longuettes, & d' un epaiſſeur ſuffiſante.* Verum quoniam ſæpe non advertente ægro, ut in ſomno, vel aliquo alio inevitabili caſu, ut tuſſi, ſternutatione, riſu, atque hujuſmodi aliis motionibus, fractum membrum adeo concuti invito poſſit, ut oſſa de ſua ſede iterum recedant; atque etiam, cum ſæpiſſime in praxi obſervari contingat, pluribus hominibus fracturis oſſium laborantibus, membrum affectum, veluti convulſione adactum, interdum ſubſilire, præcipue in ſomno, ex quo ægri ſolent cum terrore expergiſci; ob has ſaltem rationes non ſatis apta, neque ſufficiens, ad oſſa in ſua ſede retinenda, *Petiti* deligatio videtur; uti neque *Heiſterus* eam approbat, ſed firmiori fulcimento opus eſſe, ut oſſa in ſua ſede firma contineantur. Si ergo omnes hæ ſententiæ ad trutinam revocentur, Hippocratis ſententiam præ aliis eminere, omnibuſque indicationibus ſatisfacere facile apparebit: nam ſplenia cerato illita apta admodum, & ſufficienti firmitudine oſſa fracta in ſua ſede, uſque ad ſeptimum diem, poterunt continere. Sic enim, inquit Hippocrates, *mitius* membrum comprimetur, neque dolor, aut inflammatio movebitur; atque etiam *ſtabilius*, quoniam ſplenia cerato illita rigeſcent, & ſatis firmum ſuſtentaculum fractis oſſibus præbebunt. Verum enim vero, qnoniam omnes hodierni Chirurgi ferulas protinus adhibere ſolent, ut & ego quoque conſueſco (cum ne inſipientibus novitas admirationem inducat, tum ne ſi oſſa aliquo caſu iterum decedant, id non ſatis validæ deligationi tribuatur) dummodo debitis cautionibus apponantur, poterit eas quiſquis pro conſuetudine, ſi libuerit, adhibere; neque ullum certe damnum ſequetur, quamvis eis non ante diem ſeptimum Medicorum Princeps Hippocrates uteretur. Huic ferularum appoſitioni aſtipulatur *Petrus Foreſtus Tom.* 4. *lib.* 8. *obſervat.* 2., ubi ait. *Veteres autem, ut Hippocrates, Celſus, & Galenus, a dic tantum ſeptimo, vel etiam nono, & undecimo ferulas accommodabant. Verum non abs re factum putamus, ut etiam Guido facit, ſi ſtatim ab initio poſt deligaturam, ferulæ injiciantur, modo illæ nimis premendo dola-*

©BIU Santé

ſtabilius ſe habent. Deinde ſic linteis deligare alternatim (22), modo in dextram, modo in ſiniſtram; & plerunque inferne initio facto, ſurſum ducere, aliquando etiam ſuperne deorſum (23). Extremita-

dolorem non excitent, aut phlegmonem, quæ maxime arcenda eſt, accerſant, vel præſentem ſi adſit, exacerbent.

(22) ALTERNATIM. Spleniis circum fracturam undique appoſitis, aliæ duæ faſciæ injiciendæ ſunt, ut ea firmiter hæreant ad oſſa fracta ſuis in ſedibus continenda. Quoniam autem priores faſcias ita injecerimus, ut magis contulerit ad fracturæ figuram; propterea alternatim, & ex adverſo Hippocrates, his deligare jubet, altera in dextram, altera in ſiniſtram, ut ejuſmodi contrariis harum faſciarum ductibus, vis deligationis in utramque partem æquabilis ſit, & qualis prima deligatio facta fuerit, talis etiam cuſtodiatur.

(23) DEORSUM. Duabus faſciis, non modo alternatim, altera in dextram, altera in ſiniſtram partem, converſis; ſed etiam oppoſite ductis principiis, ſplenia deliganda eſſe, docet Hippocrates. Prima enim, ut inferne (circa manum ſcilicet) initio poſito ſurſum ducatur; altera vero ſuperne injecta, deorſum convertatur: quemadmodum monet clariſſ. Hippocratis interpres *Vidius Vidius*, qui *lib.* 10. *cap.*9. inquit. *Duæ autem ſufficiunt, quæ adverſæ inter ſe procedant, una attrahatur a parte dextra, altera a ſiniſtra; una item a ſuperiori, altera ab inferiori; ſic enim ſervabunt vinculum quale acceperint, neque in hanc, aut illam partem converti patientur.* Non deſunt tamen Auctores, qui ſuper ſplenia unicam tantum faſciam adhibent utriuſque capitibus convolutam, cujus medium in locum fractum injiciunt; ac utrinque alterum caput ſurſum, alterum deorſum volvendo, ſplenia circumligant; atque hoc ex Hippocratis conſilio eſſe tradunt; ut *Fabricius ab Aquapendente*, qui *lib.* 4. *cap.* 4. *Pentateuchi* ait. *Tertia Hippocratis faſcia plagulas jam dictas firmat: initium convolutionis hujus faſciæ fit a fractura: deinde alterum hujus faſciæ caput ſurſum, alterum deorſum volvitur. Id notandum, faſcias magis ſtringi debere in parte fracta, quam alibi, ut pars fracta magis illæſa ſervetur ab humorum defluxu.* Eadem ſcripſit *Scultetus in Armamentar*: inquiens. *Quæ* (ſplenia) *firmentur faſcia tertia ex duplici capite, ita ut prima circumvolutio fiat ſupra fracturam, deinde alterum caput ducatur verſus ſuperiora crebrioribus circumvolutionibus, rarioribus vero alterum verſus inferiora; deinde ab inferioribus ſurſum, uſque in eum locum in quo deſiit alterum caput hujus faſciæ*: quam deligationem ipſe expreſſit *tabul.* 29. *fig.* 3. Sed neque neceſſarium a fractura circumvolutionis initium ducere cenſet Hippocrates, ut humorum defluxus intercipiatur, quoniam his omnibus ſatis cautum fuit prioribus faſciis: neque unica tantum faſcia ſplenia deliganda, ſed ſaltem duabus opus eſſe indicat, uti patet ex hujus textus verbis, atque etiam ex *Galeni comment.* 1. *text.*35. ubi ait. *Faſciæ autem, quæ extrinſecus ſupra plagulas injiciuntur, duæ etiam ipſæ, ut plurimum ſint, neceſſe eſt: altera, quæ ab inferiori parte ſurſum: altera, quæ a ſuperiori deorſum convolvatur. Fieri tamen poteſt, ut tres, aut quatuor quandoque adhibeantur. Nos ſane duabus ſemper uti conſuevimus.* Idem *Galenus lib.* 6. *method. Meden.* ita ſcripſit. *Hippocrates excogitavit, ut ſplenia una cum exterioribus faſciis adhiberentur.* Hippocrates ergo aptiſſimam nos docuit ſpleniorum deligationem, dum præcipit, quod alternatim modo in dextram, modo in ſiniſtram, & plerum-

©BIU Santé

mitates autem ſubaridas, & in acutum abeuntes (24), ſpleniis obvolutis (25) curare oportet, ita ut copia opertoriorum non totum acervatim, ſed particulatim corrigat (26). Inſuper autem circa manus juncturam, ſive articulum laxe circumdare ſplenia oportet (27), alias,

rumque inferne initio facto ſurſum, aliquando & ſuperne deorſum, hæ faſciæ ducendæ ſunt, prout opportunius pro fracturæ loco, atque qualitate Chirurgo videbitur.

(24) ABEUNTES. Quamvis Hippocrates de fracturæ oſſium brachii curatione ſermonem in hoc capite ſpeciatim inſtituerit; attamen quoniam præcepta, quæ hic tradit, ad aliorum quoque artuum fracturas pertinent; ut monuit *cap.* 2. ubi dixit *Nam & aliorum corporis oſſium doctrinam hic ſermo affert*: ideo nunc rationem docet, qua eæ deligari artuum partes debent, quæ ſua natura ex majori amplitudine, in anguſtiorem extenuantur, vel quæ, uti circa articulos, aliquot oſſium prominentiis efferuntur. Hujuſmodi partes *Subaridas*, exſuccas ſcilicet, parumque humoris habentes nominat; quoniam ibi oſſa, quæ natura reliquis aliis corporis partibus, ſimilaribus dictis, aridiora ſunt, ſolis fere communibus tegumentis, aliquotque tendinibus teguntur, quæ minus ſanguinis ſuccorumque habent, quam ubi multa pinguedo eſt, atque craſſiores muſculi. Dixit etiam *in acutum abeuntes*, quoniam in his partibus ad articulationis commodum, tendinumque illuc percurrentium vel inſertionem, vel utilitatem, apophyſes, aut condyla Natura conſtruxit, quæ exſuperant cute, atque in acutum abeunt; ut in carpo, malleolis, aliiſque articulis cernitur.

(25) OBVOLUTIS. Ut deligatio æqualis ubique ſit, neque magis hac, vel illac comprimat; ubi membri extenuatio eſt, & oſſa prope articulos exſuperant, ſpleniis obvolvere jubet: his enim cautionibus prætermiſſis, tegumenta ſuper durum & excarne os devincta, facile læderentur, acutæque oſſium extuberantiæ omnem faſciarum vim ſuſtinere deberent, dum ſuper concava loca faſciarum preſſio ſinus non attingeret.

(26) CORRIGAT. Ut ubique, ſic quoque in hoc textu eximia Hippocratis diligentia eluceſcit; monet enim, ut non acervatim, confertim, & ſine diſcrimine copia ſpleniorum circa ejuſmodi extremitates admoveatur; ſed accurate, diligenter, ac particulatim loca deficientia compleamus, ſic enim appoſite omnibus inæqualitatibus, ac prominentiis correctis, non ubi magis, ubi minus, ſed undique æquabiliter comprimet deligatio.

(27) OPORTET. Extremitates ſubaridas, & in acutum abeuntes ſpleniis æquare præcepit; ſed monet modo, quod circa manus juncturam, ſive carpum, ea ſplenia laxe faſciis circumdare oportet; ibi enim ſtricta deligatio nihil proficeret ad continendam fracturam, & hujuſmodi partes excarneas vexaret, atque inibi ſanguinis circulationem facile interciperet; ex quo inflammationes, ſuppurationes, aliaque mala ſequi poſſent. Præterea ſtricta iſthæc deligatio tendines circa carpum decurrentes, atque ligamenta compingeret, quæ diuturna deligatione oſſibus accreſcendo, articuli inflexibilitatem, ſive ancyloſim efficerent. Splenia igitur circa manus juncturam laxe deliganda ſunt, ut recenſita mala eviten-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 75 sur 355

©BIU Santé

alias, atque alias (28). Copia vero linteorum ſufficiens primum, duæ (29) partes ſunt. Signa autem bene curati, & terminus recte deligati, hæc ſunt (30): ſi interrogaveris ipſum, an compreſſus ſit: & ſi compreſſum quidem ſe eſſe dixerit, ſed leniter, & maxime circa ipſam fracturam (31). Hujuſmodi ita facta eſſe perpetuo (32) dicere oportentur: proinde *Celſus lib.* 8. dixit. *Articulum autem quam minime vincire opus eſt.*

(28) ALIAS. Quoniam Hippocrates in hoc capite brachii fracti curationem docendo, generalem quoque perhibere methodum propoſuit, qua debeant omnium artuum fracturæ curari, ut *not.* (24) adnotavimus; ideo poſtquam circa manus juncturam laxe ſplenia circumdare monuerat, addidit, *alias, atque alias*, ut oſtenderet, quod hoc præceptum non modo pro manus junctura, ſed etiam pro omnibus aliis articulis traditum eſt; atque etiam ex hoc elicitur, quod aliter circa os fractum, aliter circa vicinos articulos deligatio debeat intendi.

(29) DUÆ. Poſtquam in ſuam ſedem oſſa fracta reſtituta ſunt; altera indicatio, in quam diligenter advertere debet Chirurgus, eſt, ut dolor, febris, atque inflammatio prohibeantur; *quæ mala, (ut adnotat Vidius lib.* 10. *cap.* 9. *de Curat. Gener.) cum a tertio die ad ſeptimum fere hominem tentent, non ſinunt adhiberi ferulas niſi poſt ſeptimum, quo tempore remitti ſolent.* Oſſa igitur fracta ſolis faſciis, atque ſpleniis cerato illitis in ſua ſede retinenda eſſe uſque ad diem ſeptimum præcipit Hippocrates. Sed quoniam alii majorem faſciarum numerum adhibere ſolebant; (ſicuti, etiam poſt Hippocratem, ex *Galeno*, *Fabricio ab Aquapendente*, atque *Sculteto* paulo ante *not.* (23) adnotavimus) ut certum, ſufficientemque faſciarum numerum primis diebus præfiniret, duas tum partes, ſive portiones faſciarum ſatis plerumque eſſe poſſe ſtatuit.

(30) HÆC SUNT. Jam ſuperius Hippocrates monuit, quod prima faſcia ita ſupra fracturam iniici debet, ut *firmet quidem, non tamen admodum premat*, atque etiam adnotavimus, adeo accurate Veteres huic deligationi proſpexiſſe, ut tyronem Chirurgum *Galenus* conſulat, ſanum hominem quempiam ſæpius deligare, quo exerceatur, & deligationis terminum addiſcat, antequam manus imponat ad deligandas fracturas. Nunc vere indicia quædam, atque ſigna, quæ omnino magni facienda ſunt, oſtendit, quibus, an bene curatum, & recte deligatum membrum ſit, cognoſcere certo poſſumus.

(31) FRACTURAM. Paucis, ſed perſpicue, præcipuum ſignum optimæ deligationis declarat Hippocrates; jubet enim, deligatione peracta, mox ægrum interrogare, an ſeſe faſciis comprimi ſentiat; debent enim faſciæ comprimere; ſed advertendum maxime eſt, ut leniter comprimant, atque præcipua preſſio ſit circa fracturam. Hæc non parvi momenti res eſt; atque ſi in utram partem peccabitur, minus malum erit aliquantulo laxior deligatio, quàm ſtrictior, nam ſtricta nimis deligatio plurima ſymptomata afferret, ipſamque ægroti vitam in diſcrimen trahere poſſet.

(32) PERPETUO. Quandoque accidit, ut ægrotus ſatis leniter ſe eſſe deligatum primo affirmet, neque conqueratur; paulo tamen poſt faſcias arctiores ſentiat, atque ſenſim majorem moleſtiam, multumque doloris percipiat. Signum hoc erit, vel quod membrum fractum admo-

©BIU Santé

oportet, cum, qui recte deligatur. Signa vero mediocritatis (33) hæc ſunt. Ea die, ac nocte, qua deligatus eſt, ipſe ſibi ipſi videatur non minus, ſed magis compreſſus (34) eſſe: poſtridie vero tumorem parvum, mollem ad ſummam manum obortum (35) eſſe: mediocritatis enim factæ a te compreſſionis ſignum hoc eſt. Deſinente autem die minus compreſſus eſſe ſibi videatur (36). Tertia vero die deligamenta laxa

admodum tumeſcit, vel quod non ſatis lenis fuerit deligatio; ex qua utraque cauſa oportet tunc faſcias laxare, ne pluries relata mala inflammationis, vel gangrænæ conſequantur. Ideo Hippocrates, poſtquam ſigna recenſuit, quibus cognoſci poſſit terminus rectæ deligationis, addidit, quod leniter compreſſum eſſe non modo mox poſt deligationem; ſed *perpetuo dicere oportet eum, qui recte deligatur*.

(33) MEDIOCRITATIS. Signum optimæ deligationis eſſe docuit Hippocrates, ſi ægrotus ſe leniter deligatum fateatur; verum ne quotieſcumque ſe magis compreſſum faſciis dixerit, ſemper nimis arctam deligationem reputemus, atque inde faſcias citra neceſſitatem relaxemus; ſigna aliquot numerare proſequitur, quibus de juſta deligationis mediocritate certi erimus, ut ſic tuto decernere poſſimus, an quicquam de prima deligatione immutandum ſit.

(34) ESSE. Optimam deligationem cenſebimus, ſi ea die, ac nocte, qua fractura primum deligata fuit, ægrotus non minus compreſſus eſſe, ſed potius aliquantulo plus, ipſe ſibi videatur. Preſſio enim faſciarum, quantumvis lenis, aliqualem ſemper ſanguinis interceptionem efficiet, ex qua pars læſa tumeſcit & vincula arctius ſtringuntur; ſed tamen lenis adeo hæc conſtrictio eſſe debet, ut nullam fere moleſtiam ægroto inferat; quod elegantiſſime expreſſit *Celſus lib.* 10. inquiens. *Eaque vinctura talis eſſe debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa viſa ſit.*

(35) OBORTUM ESSE. Huc uſque ex ægrotante ſciſcitatur Hippocrates ſigna juſtæ deligationis; ſed quoniam, ut notat *Galenus*, alii hebetioris, alii delicatioris ſenſus ſunt: quin imo partes ipſæ noſtri corporis molliores aliæ, aliæ duriores ſunt, minuſque ſenſiles; ideo monet, ut ex ipſius etiam partis affectæ inſpectione ſigna juſtæ deligationis eruantur; ut quoque *Paulus Ægineta lib. 6. cap. 99.* ait. *Porro conſtrictio mediocris eſto, tum noſtri ſenſus, tum ipſius ægrotantis judicio.* Signum ergo viſibile mediocris compreſſionis in brachio fracto eſſe Hippocrates exponit, ſi tumor parvus poſtridie oboriatur ad ſummam manum: tumor enim in ejuſmodi caſu fere ſemper ad ſummam manum exoritur, ſed parvus debet eſſe; magnus enim in manu tumor, nimis arctam deligationem argueret. Præterea non modo an parvus, ſed etiam an mollis tactu ſit, ac veluti edematoſus, animadvertendum; ſi enim tumor durus eſſet, & renitens, vel rubeſcens, tunc nimis faſcias eſſe adſtrictas judicabimus.

(36) VIDEATUR. Vincturæ compreſſio mediocris, altero inclinante die, jam minus ſtricta ſentietur; hinc tumor vel ſubſidere, vel omnino augeri non debet. Laxatur enim tunc vinctura, quia partes molles noſtri corporis devinctæ, expulſis liquoribus in vaſis contentis, atque vaſorum diametris diminutis, fibriſque, ſolidorum arctius applicitis, extenuantur, & membrum gracileſcit; dum tamen has eaſdem

©BIU Santé

laxa (37) esse ipsi videantur. Et si quid horum jam relatorum defecerit; noscere oportet deligationem moderata laxiorem (38) esse. Si vero quid ex relatis abundaverit; nosse oportet ultra modum compressum (39) esse. Et ex his conjectura facta, postea deligans, aut laxabis, aut comprimes magis (40). Resolvere autem oportet tertia die, ubi extenderis, ac direxeris (41). Et si primum moderate deligasti; hanc deligationem paulo magis, quam illam comprimere oportet, & initia supra fracturam injicere, quemadmodum etiam antea (42). Si quidem enim hanc prius deligaveris, sanies (43) ex hac ad extremita-

dem ob causas manus extrema in tumorem assurgit.

(37) LAXA. Quum die tertio ea liquidorum quantitas, qua die primo arctior deligatio extiterat, atque ipsa pinguedo de textura cellulari expressa sint, & minorem fluidorum quantitatem vasa angustiora reddita excipiant, membrum gracilius redditum subsidet, & fasciæ laxantur, ut ait *Celsus lib.* 8. *Vinctura talis esse debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa visa sit: secundo laxior, tertio jam pene resoluta.*

(38) LAXIOREM ESSE. Si statis diebus, neque arctior deligatio, neque ullus tumor in manu, neque reliqua signa justæ deligationis, quæ Hippocrates prodidit, apparebunt; laxiorem moderata deligationem esse noscemus.

(39) COMPRESSUM ESSE. Si vero ægrotum nimio dolore vinctura afficiat, atque tumor magnus, aut durus in summa manu exurgat; adeo ut omnia ab Hippocrate recensita signa excesserint; tunc deligationem nimis constrictam esse, & adauctam compressionem apparebit.

(40) MAGIS. Perpensis omnibus signis mediocris deligationis, quæ Hippocrates retulit; atque cognito in utram partem mediocritatis excessu, fasciæ iterum solvi debent, & aliter denuo deligari; laxius nempe, si nimis arcte, strictius vero, si laxe nimis deligatum antea fuisse cognoverimus.

(41) DIREXERIS. Methodus Hippocratica est, tertia die a prima extensione, ac directione fracturas solvere: quia tunc plerumque laxior fit deligatio; neque amplius fasciæ requisita firmitudine ossa fracta amplectuntur. Hanc eandem methodum *Celsus* sequitur, nam *lib.* 8. ait. *Deligatum vero membrum in diem tertium continendum est.* Verum quandoque, etiam post tertium diem, fasciæ in ea mediocritate remanent, ut neque majoris, neque minoris constrictionis egeant; atque tum, ad quartum usque, vel quintum diem solutio differri etiam potest; ut docet *Galenus comment.* 1. *text.* 37. inquiens: *Hippocrates quidem voluit tertium diem esse expectandum: ego vero quum id in quartum, & nonnunquam in quintum distulissem, præcipue vero in hieme, nihil deterius cessisse animadverti.*

(42) ANTEA. Quoties fasciæ solventur, in hac altera deligatione, si laxius fuerint prius deligatæ, paulo magis erunt comprimendæ; & harum initium supra fracturam injiciendum, quemadmodum antea *not.* (9) *hujus capitis* Hippocratem monuisse adnotavimus.

(43) SANIES. Quod a Latinis sanies, a Græcis ἰχὼρ dicitur, variam, amplamque habet significationem. Patho-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 78 sur 355

©BIU Santé

mitates hinc, atque illinc exhauritur. Si vero aliquam aliam partem prius compreſſeris; in illam ex compreſſa exhauritur (44). Intelligentia autem ad multa utilis exiſtit (45). Sic igitur ſemper incipere oportet & deligationem, & compreſſionem ex hoc loco. Reliqua vero juxta rationem, ita ut quanto longius a fractura digreſſus fueris, minus comprimas, nunquam quidem laxa omnino circumdando, ſed adhærentia (46). Poſtea vero pluribus linteis deligare oportet in ſingulis deli-

logice enim præternaturalem, atque nimiam ſeri copiam in ſanguine ſignificat; ſanies quoque dicitur, acris, ſalſuſque aquoſus humor, qui ex pravis ulceribus manare ſolet; ut apud *Celſum lib.* 5. *cap.* 26. legimus. *Ichor tenuis ſubalbidus ex malo ulcere exit*. Atque etiam ibidem *cap.* 25. ita ſcripſit. *Ex vulneribus, ulceribuſque exit ſanguis, ſanies, pus. Sanguis omnibus notus eſt. Sanies eſt tenuvior hoc, varie craſſa, & glutinoſa, & colorata. Pus craſſiſſimum, albiſſimumque, glutinoſius & ſanguine, & ſanie*. Verum in hoc Hippocratis textu hujuſmodi pathologicæ ſignificationes locum non habent; nullam enim ipſe humorum cacochymiam in ægro ſuſpicatur; atque earum fracturarum curationem tradit, quibus neque ulcus, neque vulnus acceſſerit. Phyſiologice igitur, & in ſtatu corporis naturali hanc vocem Hippocrates uſurpavit; ideo *ſanies*, hoc loco non aliter, quam pro humani corporis humoribus, vel ſtrictius, pro ipſo ſanguinis ſero, accipienda.

(44) EXHAURITUR. Duplici ratione primarum faſciarum initia ſupra fracturam injicere jubet Hippocrates; altera, ut oſſa fracta in ſua ſede retineantur: altera, ut humorum confluentiæ, atque congeries a loco fracturæ avertantur; nec non etiam, ut jam ibi contenti humores exhauriantur, expreſſique huc illuc ad extremitates depellantur. Secus autem accidere monet Hippocrates, ſi initium faſciæ non ſupra fracturam, ſed in aliam partem primum injecerimns; tunc enim de illo loco in partes fracturæ adjacentes humores impellerentur, quæ res curationi maxime noceret.

(45) EXISTIT. His verbis Hippocrates animis Chirurgorum inculcat, rite addiſcere omnia ſigna mediocris, juſtæque deligationis, quæ huc uſque recenſuit, quoniam magni refert, ut curatio bene ſuccedat, ea optime noſcere, atque advertere. Præterea ſicuti eadem inferius eſt iterum moniturus in ſingulis deligationibus; ideo ut attentionem ſibi quam maxime conciliaret, ita præfatus eſt. *Intelligentia autem ad multa utilis exiſtit*: vel, ut clarius hoc Hippocratis monitum interpretatus eſt *Fabius Calvus* (qui Romæ juſſu Clementis VII. P. M. ex Codicibus Græcis Bibliothecæ Vaticanæ omnia Hippocratis opera in Latinum convertit) *Siquidem plurimum confert mentem adhibere, remque cognoſcere*.

(46) ADHÆRENTIA. Hæc præcepta jam ſuperius monuerat Hippocrates, quæ tradidit etiam *lib. Chirurg. Officin. cap.* 8. ubi ait. *At vero linteorum ſubligationes duæ ſunt, prima ex loco læſo ad ſupernas partes deſinit; altera ex loco læſo ad infernas. Juxta locum affectum maxime comprimere oportet: minime extremas partes, reliqua vero pro ratione*; ſed hic iterum eadem commemorat, ut Chirurgus his bene inſtruatur, neque ea negligat in curatione fracturarum.

©BIU Santé

deligationibus (47). Et ſi interrogetur ; dicat ſe paulo magis compreſſum eſſe, quam prius, & præſertim circa fracturam. Sed & alia & circa tumorem, & circa dolorem, & circa allevationem, pro prioris deligationis ratione fiant. Poſteaquam vero tertius jam aderit dies (48) ; laxiora eſſe ipſi videantur deligamenta : deinde reſolvere oportet, & rurſus paulo magis comprimendo deligare, & hoc cum omnibus linteis, quibus deligandus erat (49). Et poſtea omnia ea ipſum apprehendant, quæ etiam in primis deligationum circuitibus con-

(47) DELIGATIONIBUS. Quotieſcunque nihil primis diebus circa dolorem, aut tumorem, neque ullum ſymptoma poſt primam deligationem acceſſerit, Hippocrates præcipit, ut die tertio, quo faſciæ nimis laxæ eſſe ſolent, fractura iterum, & arctius deligetur. Verum in hac altera deligatione, ubi membrum extenuari incipit, ut oſſa fracta ſtabilius contineantur, præter jam ſtatutas faſcias, alias etiam adjicere jubet ; dum dixit. *Poſtea vero pluribus linteis deligare oportet ;* quippe de prima deligatione dixerat. *Copia vero linteorum ſufficiens primum duæ partes ſunt.* Vid. *not.* (29). Sed dum addit, *in ſingulis deligationibus*, oſtendit hoc plurali numero, quod ante diem ſeptimum fractura iterum deliganda eſt, & alia etiam faſcia addenda. *Celſus*, qui fere univerſam Hippocratis doctrinam in latinum tranſtulit, ubi hanc docet deligationem, quæ tertio die fieri debet, ſic ait, *lib.* 8. *cap.* 10. *Ergo tum rurſum id membrum deligandum, adjicienda prioribus quinta faſcia : iterumque quinto reſolvendum eſt, & ſexta faſcia involvendum, ſic ut tertia, & quinta infra, cæteræ ſupra finiantur* ; quibus *Celſi* verbis hic Hippocratis textus maxime illuſtratur. *Galenus* quoque ſimili ratione Hippocratis mentem explanat in commentariis, ubi ait. *Vult enim Hippocrates alternis diebus, quoad in ferulas fracta pars conjiciatur, ſolvi, ac deligari ;* & *Paulus Ægineta lib.* 6. *cap.* 99. ita ſcripſit. *At Hippocrates tertio quoque die ligamenta ſolvi jubet.* Ex his igitur, quomodo ex Hippocratis ſententia pluribus linteis fractura in ſingulis deligationibus ſit deliganda, luculenter apparet.

(48) DIES. Tertius hic dies a ſecunda deligatione, erit quintus a prima, quo, ut ex *Celſo*, *Galeno*, atque *Paulo Ægineta* adnotavimus, Hippocrates iterum deligare jubet. *Palladius* dum ſcholia in Hippocratem exaravit, de hac fracturas tertio quoque die, uſque ad ſeptimum, deligandi ratione, ita commentatus eſt. *Tertium diem dicit, aut pro curationis periodo accipit. Tertio enim die, & quinto, & ſeptimo ſolvere præcepit, ut ſint tres periodi, aut tertium dixit a quo continenter ſolvit, id eſt a quinto, quaſi ſint rurſus tres dies, quinta enim, ſexta, & ſeptima tres dies efficiunt.*

(49) DELIGANDUS ERAT. Quum membrum mediocriter deligatum ſoleat ſenſim extenuari, & proinde faſciæ laxiores fieri ; (*Vid. not.* 37.) hinc alternis diebus id rurſus deligare, magiſque comprimere præcipit Hippocrates : ſed ubi ait. *& hoc cum omnibus linteis, quibus deligandus erat* ; intelligendum, quod alia etiam faſcia, ad majorem fracturæ tutelam adjici debet, quemadmodum ex *Celſo* adnotavimus, qui dixit. *Iterumque quinto reſolvendum eſt, & ſexta faſcia involvendum, ſic ut ter-*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 80 sur 355

©BIU Santé

contigerant (50). Ubi vero tertius aderit dies, & ſeptimus a prima deligatione, ſi quidem recte deligatus fuerit; tumor in ſumma manu, atque hic non valde magnus erit: locus autem, qui deligatur, in omnibus deligationibus tenuvior, ac gracilior comperietur: verum in ſeptimo etiam valde tenuis: & oſſa fracta magis moventur, & facilius ad correctionem ducuntur (51). Et ſi hæc hujuſmodi (52) fuerint, facta coaptatione velut ad ferulas adhibendas (53) deligare oportet, paulo magis comprimendo, quam antea, ſi non dolor aliquis major

tertia, & quinta, infra, cæteræ ſupra finiantur; quod docuit etiam Hippocrates, ubi dixit. *Deinde ſic linteis deligare alternatim modo in dextram, modo in ſiniſtram: & plerumque inferne initio facto, ſurſum ducere, aliquando & ſuperne deorſum.*

(50) CONTIGERANT. In hac quoque deligatione ea omnia ſigna, quæ mediocritatem oſtendere ſupra a *not.* (31), *uſque ad* (35) obſervavimus, debent contingere.

(51) DUCUNTUR. Membrum deligatum ſenſim in dies gracileſcere obſervavimus; ſed ſeptimo die adeo erit extenuatum, ut oſſa fracta, quæ nondum inceperunt conglutinari, magis moveantur; ideo opportunum id tempus eſt, ſi vel ob primæ repoſitionis defectum, vel ob aliam cauſam, oſſa non probe in ſua ſede coaptata comperiantur, ea corrigere, quia tunc facile ducuntur; quod monet etiam *Celſus lib.* 8. dicens; *tum facillime oſſa tractantur. Rurſus ergo, ſi parum commiſſa ſunt, committi debent. Si qua fragmenta eminent, in ſuas ſedes reponenda ſunt.*

(52) HUJUSMODI. Curationem fracturæ Hippocrates tradere proſequitur, & jam ad diem ſeptimum pervenit, quo ferulas adhibere præcipit. Sed antequam de his dicere aggrediatur, commemorat, curationem tali modo eſſe proſequendam, dummodo omnia *hujuſmodi fuerint*; recte ſiquidem ceſſerint, neque ullum adſit ſymptoma, quod ferularum coaptationem prohibeat: ſecus enim in alium diem differre oporteret, ut ait *Celſus lib.* 8. *Omnia facienda, donec ab eo* (brachio fracto) *inflammatio ſolvatur, vel levius quoque, quam ex conſuetudine id membrum fuerit, quod ſi ſeptimus dies non dedit, certe nonus exhibet.* Ipſe *Hippocrates cap.* 20. ubi de fractura oſſium tibiæ agit, ſic inquit. *Poſtquam autem ſeptimus, aut undecimus aderit dies, ferulas apponere oportet, quemadmodum in aliis fracturis dictum eſt.*

(53) ADHIBENDAS. Si nihil vetat, die ſeptimo ferulas adhibere Hippocrates præcipit; ſed monet, quod tunc membrum deligare oportet, *velut ad ferulas adhibendas*, ſcilicet, ſpleniis circumductis, omnes membri inæqualitates æquandæ ſunt, ut affecta pars figuram quodammodo cylindricam adipiſcatur: ſicut monuit *Paulus Ægineta lib.* 6. ubi ait. *Si inæquale fuerit membrum, partibus magis concavis per ſplenia repletis, æquale ipſum craſſitie ferulis accommodandis efficimus.* Sic enim æqualiter ubique compriment ferulæ, neque alias excurrent; ut docuerat *Hippocrates in Chirurg. Officin.* dicens, *quod probe noſſe oporteat omnem faſciam ad declivia, & acuminata diffugere, ut in capite ſurſum, in tibia deorſum*: ideoque jam ſuperius dixerat. *Extremitates ſubaridas, & in acutum abeuntes ſpleniis obvolutis curare oportet. Vid. not.* (24) (25) (26)

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 81 sur 355

©BIU Santé

major fuerit ex tumore, qui eſt in ſumma manu. Poſtquam autem linteis deligaveris, ferulas (54) circumponere oportet, & vinculis

(54) FERULAS. Eſt ferula frutex, qui lignum loco corticis habet, intus vero fungoſam medullam, ex quo Veteres, propter levitatem, ſcipiones comparabant; ut ait *Plinius lib.* 13. *cap.* 22. dicens. *Nulli fruticum levitas major: ob id geſtata facilius baculorum uſum ſenectuti præbet*. Hoc ligno aſſulas ad fracturas curandas Hippocrates conficere conſuevit; unde poſtea quæcumque tabellæ, ſive aſſulæ, quæ fracturis adhibentur, quamvis ex alio quolibet ligno, aliave materia confectæ fuerint, ferulæ tamen ſemper a Chirurgis nuncupantur: ut notat *Scultetus tab.* 28. inquiens. *Veteres, inter quos primus fuit Hippocrates, parabant ferulas ex ligno ferulæ fruticis cortice, aut ex ipſis ramis per medium diviſis, unde & nomen habent ferulæ. Eſt enim hoc lignum aptiſſimum ad hunc uſum, cum & duriſſimum, unde antiqui ex eo ſcipiones parabant, quibus innitebantur*. Lignum hoc eſt omnium præſtantiſſima materia ad ferulas conficiendas; adeo, ut *Fabricius ab Aquapendente lib. de Chirurg. Operat. pag.* 163. dixerit. *In ferulis autem eligendis conſideranda eſt Hippocratis, & priſcorum ſolertia: forte in mundo non poterat Hippocrates eligere poſt plagulas meliora inſtrumenta ad ſtabiliendam fracturam, quam ferulas, quia hæc inſtrumenta in primis futura erant rigida, hoc eſt inflexibilia, quia, quæ flectuntur idonea non ſunt, cum non teneant fracturam ſimul coaptatam, & directam..... Invenit igitur Hippocrates ferulas, quæ rigidæ ſunt, & inflexibiles, ex alia vero parte ſunt leves, & non duræ, ideoque & tenent, & non premunt*. Verum pro fracturarum conditione, vel pro neceſſitate, rerumque penuria, ex varii quoque generis materia ferulas Chirurgi parare poſſunt. De ferulis ſic ait *Paræus lib.* 13. *cap.* 8. *Fiunt, paranturve ferulæ ex multa papyro conglutinata, ex tenuiſſimis ligni aſſulis, ex corio, quod calceis in ſoleas ponitur, ex arborum corticibus, aut ferri albi, plumbive lamellis, aliaque materia ſimili, quæ rigorem habeat mollem, & flexibilem; velim tamen eam deligi leviſſimam, ne pondere ſuo parti dolenti moleſta ſit*. Sed tamen in qualibet fractura, ubi ferulæ adhiberi debent, ligneæ melius, atque aptius rem explent. Quales autem eſſe debeant ferulæ docet *Hippocrates in Chirurg. Officin. cap.* 9. ubi ait. *Ferulæ porro ſint læves, æquales, juxta extremitates ſimæ, hinc, atque illinc paulo minores deligatione*. Ferulas igitur ſibi comparare debet Chirurgus ex ligneis aſſulis, non admodum craſſis, & lævibus; aſperæ enim, & ſcabræ læderent. Æquales quoque debent eſſe; nam ſi alicubi eſſent inflexæ, vel ſinuoſam, aut gibboſam haberent ſuperficiem, earum inæquali directione fractum membrum diſtorqueretur. Cavendum etiam, ne earum extremitates anguloſæ ſint, atque acuminatæ, ſed ſimæ, retuſæ, leniterque abraſæ, ne in conſtrictione feriant. Et quoniam inter ſigna mediocris deligationis recenſuit Hippocrates, *poſtridie tumorem parvum mollem ad ſummam manum obortum eſſe*; atque etiam ex his, quæ *not.* (12) & (16) adnotavimus, circa deligationem cutis ſemper turgeſcit, atque extat; ne ipſa offendatur, ferularum longitudo tanta eſſe debet, ut ultra id, quod faſciis involutum eſt, non excedant, nudamque cutim attingant; ideoque dixit; *atque illinc paulo minores deligatione*. Hæc advertere monet Hippocrates in ferularum delectu; quæ omnia ſi diligenter attenderit Chirur-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 82 sur 355

©BIU Santé

lis (55) quam laxiſſimis circumdare, quietis ſaltem gratia, ut ferularum rurgus, & eas vel linteis, vel ſtuppa, ut molliores ſint, involverit, aptiſſimas fracturis ferulas comparabit; quibus in orbem, non minore, quam unius digiti ſpatio inter ſe diſtantibus, fractum membrum circumdabit; ut docet *Paulus Ægineta lib. 6. cap. 99.*, ubi ait. *Deinde lana, aut ſtuppa ferulas mediocriter involutas, in orbem fracturæ circumdamus, non minore, quam digiti ſpatio invicem diſtantes, eaſque moderate conſtringemus.*

(55) VINCULIS. Ferulas circum fracturam vinculis fulcire, atque conſtringere Hippocrates conſuevit; quæ vincula, *habenas Celſus* nominat; nos autem in noſtra praxi, *cingula* vocamus. Hæc vincula linea, ſatiſque valida eſſe debent, atque ubi majoris, ubi minoris latitudinis, prout membri fracti magnitudo requiret. In fractura brachii, de qua hic ſpeciatim agit Hippocrates, duorum digitorum latitudinem, illius nempe, qui deligandus eſt (ut ſuperius *not.* (8) ubi de faſciis egimus, ex Galeni ſententia adnotavimus) non debent excedere; longitudo vero tanta ſit, quanta ſufficiat ut membrum bis circumvolvi, atque in nodum laxum anſatum conſtringi etiam poſſit. Horum plerumque tria in omnibus fracturis adhibentur, quorum unum ſuper locum fractum, reliqua utrinque non longe ab ferularum extremitatibus apponuntur. Modus ea aptandi eſt, ſi utraque manu eorum medium ſupra membrum fractum tranſverſim conferatur, atque utrobique deſcendendo leniter decuſſentur, ut ex oppoſitis partibus eorum capita aſcendant, & ad externum latus, aliquanto ſuperius, præfato nodo laxo deligentur. Attendendum tamen eſt, ut omnes nodi alicui ferulæ in ſeriem incumbant, quo firmius, æquabiliterque comprimant; neque in ſpatia intercidant, ne ferulæ ab iis dimoveantur. Hujus deligationis figuram expreſſit *Scultetus Tabul. 29. fig. 4.* Aliam maximopere diverſam vinculorum injiciendorum rationem, ad ferulas in oſſium brachii fractura continendas, exhibet *Oribaſius lib. de Laqueis fig. 2.*, quæ nimis operoſa eſt, & *Laqueum nauticum* vocat. Recentiores tamen, ut nos quoque conſueſcimus, ſupra ferulas, ut eæ magis, magiſque firmentur, duas primum alias faſcias, eodem modo, quo alteræ iniiciuntur, adhibere ſolent, & ſuper has inde vincula adjungunt; ut *Junckerus*, qui *tabul. 62. not.* (4) ſic ait. *Ferulæ apponuntur, & faſcia multo longiore deſcendendo, & aſcendendo firmantur*; cui ſententiæ accedit *Platnerus* §. 1235. aliique. Sed non deſunt etiam ex recentioribus, qui ſolis vinculis ad ferulas fulciendas utuntur, ut *Municks*, *Gorterus*, aliique. Quo ad ordinem vero, quo hæc vincula poni debent, quamvis *Scultetus*, loco citato, ſtatuat, ut *primo deligetur in ſuperiore parte, ſecundo in inferiore, tertio vero ſupra fracturam*; ego tamen ſemper ab eo vinculo, quod medium tenere debet ſupra locum fractum, incipere ſoleo, quippe quia hic eſt locus, ubi plus comprimi debet; atque ſic magis ad mentem Hippocratis fieri cenſeo; quod etiam *Heiſterus* præcepit *lib. 2. part. 1. cap. 1.* ubi ait. *Ferulæ ternis ſemper firmandæ funiculis ſunt, atque ita quidem, ut media pars primo ſemper loco, exteriores autem partes deinceps deligentur.* Eadem docet *Gorterus* §. 286. inquiens. *Primus funiculus ſit circa medium ferularum immediate ſupra fracturam, dein duo reliqui extremi funiculi eodem modo firmandi.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 83 sur 355

©BIU Santé

rum appoſitio ad compreſſionem manus nihil faciat (56). Poſtea vero & dolor, & allevatio eodem modo fiant, veluti in primis deligationum circuitibus.

(56) FACIAT. Quemadmodum de faſciis monuerat ſuperius Hippocrates, *ut firment quidem, non tamen admodum premant*; (Vid. *not.* (10) ſic modo de vinculis ſupra ferulas injiciendis idem præcipit: jubet enim primum eas laxe circumdare, quominus preſſio durum tumorem in manu excitet; ſed ita tamen adſtringere, ut ferulæ ſatis firmentur, quo membrum de juxta directione nequeat deflectere: ſicuti *Celſus* monet *lib.* 8. dicens *ferulas nec ultra adſtringi, quam ut oſſa contineant*.



CAPUT VI.

©BIU Santé

CAPUT VI.

Ferulam qualem esse in fractura partibus conveniat.

AT vero, ubi tertio die laxas esse dixerit; tunc postea ferulas firmare oportet, maxime quidem circa fracturam, sed & alia juxta rationem; si quidem & deligatio magis laxa fuerit, quam comprimat (1). Crassissimam autem ferulam esse oportet, qua parte extat fractura (2), non tamen multum (3). Et ad hoc studium vel maxime adhibendum est,

(1) COMPRIMAT. Ubi tertius advenerit dies, laxius ferulæ hærebunt: sicuti observavimus tertio, quinto, & septimo die, in quibus, ferulis nondum appositis, iterum arctius membrum erat deligandum: sed ut illæ adstringantur, non oportet omnem deligationem solvere, neque membrum fractum de loco, in quo collocavimus, movere; sufficit tantum solvere nodos vinculorum, ac utrinque eorum capita ex adverso trahendo, juxta rationem constringere, ferulasque firmare, & postea simili nodo iterum deligare: ut *Celsus* commonet *lib.* 8. ubi ait. *Et cum* ferulæ temporis *spatio laxentur, tertio quoque die paulum habenis suis coarctari oportet*: atque *Palladius in Scholiis* scribit. *Oportet ferulas coarctari, & non solvere*. Dixit etiam Hippocrates, *Maxime circa fracturam*, quibus verbis indigitare voluit, ut vinculum illud potissimum, quod in medio collocavimus, constringatur: postea vero alia duo extrema vincula, minus tamen, quam illud, coarctentur. Verum hæc ea conditione agere jubet Hippocrates. *Si quidem deligatio magis laxa fuerit, quam comprimat*; quoniam si nimis comprimeret, omnis deligatio mox esset solvenda, & iterum, sed laxius, instauranda.

(2) FRACTURA. Hoc Hippocratis monitum non parvi momenti est ad curationem feliciter consequendam. Non nullæ enim fracturæ semper in eam partem magis vergunt, atque deflectunt, in quam causa fracturæ, aut ruptionis modus eas impulit; atque hoc magis semper evenit in fracturis obliquis. Accidit etiam, quod aliqua ossa, quum franguntur, plus in unam, quam in aliam partem de sua sede erumpere nituntur, vel quia illuc naturaliter incurvantur, vel quia plures musculi in altera tantum parte reperiuntur, qui eorum contractilitate ossium capita ad se trahunt, atque fracturam in oppositam partem minus resistentem impellunt; uti evenire solet in tibia anterius, exterius in cubito, ubi hæc ossa a nullis musculis teguntur. Crassiorem igitur, validioremque ferulam adhibere jubet Hippocrates, *qua parte extat fractura*, ut in sua sede coerceatur; & sicut de splenitis loquens *in lib. Chirurg. Officin.* dixerat; *Juxta locum affectum maxime comprimere oportet*; nec non etiam superius monuerat, quod fasciæ in contrariam partem ad fracturæ figuram converti debent; (*vid. not.* (19) sic proinde nunc docet, ut ferulæ apponantur crassissimæ, qua parte extat fractura; quod etiam *Celsus lib.* 8. docuit, ubi ait; *Et in quam partem fractura inclinat, ab ea latior valentiorque ferula imponenda est*.

(3) MULTUM. Rebus in omnibus, quæ

©BIU Santé

eſt, ut ferula e directo magni digiti non ponatur; ſed hac, vel illac (4): immo neque e directo parvi digiti, qua parte os ſupereminet (5) in manus articulo, ſed hac, vel illac. Quod ſi ad fracturam con-

quæ in vita tractantur, modus quidam, atque mediocritas requiritur, neque ex his longius progredi licet, ſi rectum, & quod optimum eſt aſſequi voluerimus; unde *Horatius* cecinit.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra; citraque nequit conſiſtere rectum.

Et clariſſimus noſter Romanus Poeta *Petrus Metaſtaſius*, ea felicitate, qua in omnibus ſuis emicat operibus; dixit.

Ma quando eccede
Cangiata in vizio la virtù ſi vede.

Huic moderationi maxime Hippocratem proſpexiſſe in omnibus ejus ſcriptis apparet, uti etiam in hoc textu, ubi, poſteaquam craſſiſſimam ferulam, qua parte extat fractura, oportere dixerat, ne quis tyro Chirurgus, his verbis adductus, in hac re excederet, addidit; *non tamen multum*, ut moneret moderationem. Si enim nimis craſſa ferula apponeretur, plus æquo comprimendo ſubjectas partes læderet, neque æqualiter totum membrum comprimeretur; ſed omnem faſciarum vim hæc ferula ſuſtineret, ut de ſpleniis adnotavimus *lib.* 25. *cap.* 5.

(4) ILLAC. Quo ferulæ, & qua ratione adhibendæ ſint, docuit hucuſque Hippocrates; nunc vero oſtendit, quod in brachio quidam loci ſunt, quibus ſtudium vel maxime adhibendum eſt, ne ferulæ apponantur. Jam generatim *in lib. Chirurg. Officin. num.* 9. dixerat. *Quæcumque vero partes incurvæ ſunt, & excarnes, in his, quæ prominent, cavendæ ſunt, velut circa digitos, & malleolos, aut poſitione, aut brevitate.* Hic vero ſpeciatim monet, ne ponatur ferula e directo magni digiti, ſive pollicis, quoniam præterquamquod ibi inferius capitulum radii anguloſum eſt, atque craſſum, quamvis brevem apophyſim oſtendat; capitulum inſuper primæ phalangis oſſium digiti pollicis, ubi articulatur cum oſſe trapezio carpi, in manu aperta, ſatis extuberantem effert prominentiam, cui ſi ferula ſuperponeretur, locum illum læderet, & elata, non æque membrum fractum ſuſtineret; proinde e directo magni digiti ferulam non apponere jubet Hippocrates; ſed *hac, vel illac*.

(5) SUPEREMINET. Extremitas oſſis cubiti, ubi cum carpo articulatur, parva, ſed acuta apophyſi, ſtyloidea dicta, donatur, quæ ſupereminet in manus articulo. Huic quoque prominentiæ, ob rationes ſuperius allatas, ne ferula imponatur, monet Hippocrates, ſed *hac vel illac*. Verum advertendum maxime eſt, quod oſſa cubiti, & radii per validiſſimum ligamentum interoſſeum, & muſculum pronatorem quadratum, ita conjunguntur, ut in fracturis hæc oſſa non unum ab alio extrorſum ſecedere, ſed, præfati ligamenti interoſſei, & muſculi pronatoris quadrati contractione, ad invicem accedere ſoleant: qua in re aliqui Chirurgi decipiuntur, dum putant hæc oſſa in fracturis hinc, inde extrorſum deduci; & ideo ferulas utrinque ad externas cubiti, & radii partes admovent, ne oſſa extare poſſint: at ſic plus oſſa ad internam partem impellunt, quæ ſi ita conſolidentur, brachium perpetuo inflexum, ac deforme remanet. Ut igitur tam radius, quam cubitus in naturali figuratione remaneant, omnis

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 86 sur 355

©BIU Santé

conferat, hac parte aliquas ferulas poni; breviores ipſas aliis eſſe oportet, ut ne perveniant ad oſſa præminentia juxta manus articulum (6): periculum eſt enim ulcerationis, & denudationis nervorum.

cura adhibenda eſt, ne hæc oſſa a ligamenti interoſſei, muſculique pronatoris quadrati contractione ad invicem deflexa accedant. Hoc cavere poterimus, ſi facta extenſione, oſſibuſque in ſuam ſedem repoſitis, utrinque tam in facie interna, quam externa brachii, ſupra ligamentum interoſſeum, ſplenia cum ferulis appoſuerimus: ſic enim oſſa in naturali ſitu, & figuratione ſuſtinebuntur. Hanc ſplenia, & ferulas apponendi rationem pro fractura brachii optime docet *Petitus tom. 2. cap. 11.* ubi ait. *Apres avoir mis une ſimple compreſſe, e la primiere bande legerement ſerée, il faut appliquer deux compreſſes èpaiſſes, l'une ſur la partie interieure, & l'autre ſur la partie exterieure, qui toutes deux enſemble ètant tenuës, & preſsées par une même bande faſſent effort l'une contre l'autre, en ſe oppoſant au deplacement ſelon la longueur, & ſelon l'epaiſſeur des os; par ce moyen elles contiendront facilement les piéces des os caſſes, parce qu elles pouſſeront les muſcles dans l'entre deux des os, ce qui tiendra les piéces toujours relevées; & pour cela il faut, que les compreſſes appuyent dans le milieu entre les os.* Hoc idem Hippocratem in hoc textu docuiſſe apparet, quum dixerit. *Studium vel maxime adhibendum eſt, ut ferula e directo magni digiti non ponatur, neque e directo parvi digiti, ſed hac, vel illac.*

(6) ARTICULUM. Poſteaquam Hippocrates dixerat, ferulas non debere poni *e directo magni digiti*, neque *e directo parvi digiti*; ut illis quoque caſibus proſpiceret, in quibus ad fracturam conferet his partibus ferulas ponere, monet, quod tunc oportet ipſas adeo breves eſſe, ut non perveniant ad oſſa præminentia juxta manus articulum, ob rationes ſuperius allatas *not.* (4). Verum enim vero fracturæ qualitas, atque ſitus cogere quandoque poſſet, ut etiam ſuper hæc oſſa præminentia ferulæ apponi debeant: tum prudentis, exercitatique Chirurgi eſt, hæc loca prius ſpleniis æquare, atque has prominentias ita tegere, atque defendere, ut ferulæ nocere non poſſint, ſed membrum fractum leniter, æquabiliterque undique premant, ſuſtineantque; uti jam ſuperius Hippocratem indigitaſſe vidimus, ubi dixit; *Extremitates autem ſubaridas, & in acutum abeuntes ſpleniis obvolutis curare oportet* (*Vid. not.* (24) (25) *cap.* 5.) Veteres Græcos auctores, qui Hippocratem maxime ſecuti ſunt, in hanc ſententiam deſcendiſſe legimus; ſicuti conſtat ex Scholiis *Palladii*, qui in hunc Hippocratis textum ſic ait; *Non oportet autem arundines, ſive ferulas in partes extenuatas ferri, aut prope parvulum digitum, ſed has aliqua ex parte mancas facere. Quod ſi neceſſe ſit eas imponere, panniculi ſunt illuc injiciendi, ſicque ferulæ ſupra adhibendæ.* *Paulus Ægineta* pariter non abſolute ferularum appoſitionem ſuper has prominentias in omnibus caſibus damnat, ſed tantum monet, ut eis, juxta Hippocratis conſilium, quo plus poſſit, caveamus; ſcripſit enim *lib. 6. cap. 99. Ita tamen, ut quatenus fieri licet, ferulas propius accedere articulum prohibeamus, præſertim juxta exteriorem flexus partem.* De *Celſi* ſententia in hunc textum, nihil certi afferre poſſumus, quoniam in diverſis codicibus eſt adeo diverſe ſcriptum, ut contrariam prorſus ſententiam affirment. Legimus enim *lib. 8.*

©BIU Santé

rum (7). Oportet autem tertio quoque die ferulis valde leniter firmare, hoc cogitantes, quod ferulæ deligationis conſervandæ gratia apponuntur, non autem compreſſionis gratia alligantur (8). Si quidem igitur probe noveris, quod in prioribus deligationibus oſſa ſufficienter ſunt directa (9), & neque pruritus infeſtent, neque ulla aliqua ulce-

lib. 8. *Eaſque omnes ferulas citra articulum eſſe oportet reſimas, ne hunc lædant*. In aliis vero codicibus, pro *citra articulum*, ſcriptum invenimus, *circa articulum*, quod maximam affert differentiam: nos autem, quoniam ambæ hæ lectiones poſſunt ad mentem Hippocratis referri, neutram audebimus refutare.

(7) NERVORUM. Damna, quæ accidere ſolent, ubi ferulæ ad oſſium prominentias ponuntur, paucis hic declarat Hippocrates: *ulcerationis* nempe, & *denudationis nervorum periculum* eſſe affirmat. Partes enim molles, communiaque tegumenta inter ferulas, & duras oſſium extuberantias compreſſa, attritaque, ob intercluſam preſſione, ſuffocatamque humorum circulationem, vita primum privantur, dein putreſcunt, hinc tandem nervorum denudationes ſubſequuntur. Nervi autem nomine, ligamenta quoque, tendines, atque aponeuroſes Hippocratem intellexiſſe jam ſuperius *not.* (20) *cap.* 3. explicavimus. Ne igitur hæc accidant, loca ejuſmodi a ferularum preſſione, vel eximere, vel ſpleniis defendere debemus. Hujuſmodi infortunia aliquoties videre mihi contigit, dum ab imperitis duræ ferulæ, arcteque conſtrictæ ſuper has oſſium eminentias collocabantur, quæ nonniſi ſummo ægrorum labore, longumque poſt tempus, turpibus relictis cicatricibus, conſaneſcere poterunt. *Clariſſ. Van-ſwietenus* ſe ipſum hoc vidiſſe teſtatur *comment. Boerhau. aphor.* 354. ubi ait. *Vidi ſic turpi errore, dum hoc neglexerat Chirurgus, natam circa malleolos, & genu gangrænam a ſola preſſione ferularum ad has partes*.

(8) ALLIGANTUR. Toto deinceps curationis tempore, tertio quoque die, ſi ferulæ laxiores repertæ fuerint, vinculis leniter conſtrictis, ut *not.* (1) dictum fuit, eas firmare jubet Hippocrates; ſed monet, nos ſemper meminiſſe debere, quod ferulæ apponuntur ad conſervandam deligationem; ſcilicet ad ſuſtinenda, atque fulcienda oſſa fracta, ne ſua ſede excidant, non autem ad brachium comprimendum.

(9) DIRECTA. Debemus hic animadvertere, quod Hippocrates reliquum curarionis docere proſequitur, putans, nos jam ex pluribus deligationibus, quas fecimus, certos eſſe, probeque noviſſe, oſſa in ſua ſede, atque ſufficienter directa; quoniam, ſi quid deficeret, etiamdum poſſent coaptari, atque membrum in naturalem figurationem reſtitui; quod fieri omnino debet, antequam ea, quæ ulterius de curatione proponit Hippocrates, exequamur. Nondum enim ante diem undecimum, vel decimumtertium, oſſa coaleſcere incipiunt, callumque, quem porum vocant, formare, atque ideo quum flexibilia adhuc ſint, contrectarique ſinant, poſt id vero tempus, non ſine maximis difficultatibus fieri hoc poſſit; idcirco ea, quæ mox dicturus eſt Hippocrates, hac conditione præcipit; *Si quidem oſſa ſufficienter ſunt directa*. Verum hic tyrones Chirurgos monitos vellem, ut antequam hi dies prætereant, ſi quidquam in oſ-

 ſibus

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 88 sur 355

©BIU Santé

ulceratio ſuſpecta ſit; ita cum ferulis deligatum ſinere oportet, donec viginti dies tranſgreſſus fuerit (10): in triginta enim diebus univerſis maxime ex toto cubiti oſſa corroborantur (11). Certum tamen nihil eſt:

ſibus fractis non probe reſtitutum, vel aliquo delectere compererint, in naturalem ſedem, atque figurationem iterum coaptare non prætermittant: neque ægroti, neque adſtantium cenſuram, ignarorumque judicium reformident, qui rerum chirurgicarum imperiti, plerumque exigunt, ut in prima adminiſtratione oſſa fracta ſimul, & ſemel in ſuam ſedem reſtituantur; & niſi tunc Chirurgus id probe egerit, eum ignorantiæ accuſant; atque nunquam poſtea fracturæ reſtitutionem optime, & ſine maximo incommodo fieri poſſe autumant; in prima quippe tantum extenſione omnem oſſa reaptandi occaſionem poſitam eſſe cenſent. Hinc nonnulli Chirurgi, quamvis in deligationibus, dum fracturam ſolvunt, aliquid deficere, atque oſſa melius coaptari debere cognoſcant; id tamen facere non audent, ne imperiti notam ſubeant, atque eos, ſi iterum extenſionem, atque oſſium repoſitionem molirentur, curandarum fracturarum ignaros ægrotus, adſtanteſque reputent: eiſque diffidendo, fracturam ad alium Chirurgum, maximo eorum famæ detrimento, curandam conferant. Verum Chirurgus generoſus ejuſmodi focordiam debet omnino excutere; & omnibus humanis rationibus neglectis, nihil prætermittere, quod in ægroti emolumentum cedere poſſit; atque maledicos, aut ignaros Hippocratis auctoritate confutare; dixerat enim ſuperius *cap.* 5. *Verum in ſeptimo etiam valde tenuis; & oſſa fracta magis moventur, & facilius ad correctionem ducuntur*; quam ſententiam *Celſus*, *Galenus*, *Paulus Ægineta*, *Palladius*, *Vidius*, *Pecettus*, omneſque optimi auctores ſemper ſequuti ſunt.

(10) FUERIT. Membrum fractum faſciis tectum, interdum pruritus ob inſenſibilem tranſpirationem nativa acredine mordicantem, vel calore loci corruptam, infeſtat; nec non aliqua ulceratione quandoque afficitur; quod tunc cogit faſcias reſolvere, & affectionem (quo ratius tamen fieri poterit, ſummaque diligentia, ne oſſa concutiantur) curare. Sin vero harum nulla ſuſpicio ſit, tum ita cum ferulis membrum deligatum ſinere præcipit Hippocrates, donec vigeſimus dies tranſgreſſus fuerit; ſemper tamen alternis diebus ægrum reviſendo, ut ferulæ, ſi laxiores reperiantur, vincula arctando, conſtringantur; veluti ſuperius monuerat Hippocrates, ubi dixit. *Oportet autem tertio quoque die ferulas valde leniter firmare*. *Vid. not.* (1) *cap.* 6.

(11) CORROBORANTUR. Quod triginta diebus oſſa cubiti fracta corroborentur, atque conſolidentur, docet Hippocrates, & experientia confirmat; atque ideo, quum ferulas non ante ſeptimum diem apponere conſueverit, eas poſt vigeſimum diem ſolvere jubet, ut trigeſimus interea dies accedat, quo hæc oſſa redintegrantur. Cubiti ergo oſſium fracturæ diebus triginta, iis omnibus connumeratis, firmantur. Hanc fracturarum conſolidationem certiſſimis experimentis conſtat per veram fieri, organicamque oſſeæ ſubſtantiæ generationem, natura opifice, eo ipſo modo, quo cicatrices in partibus mollibus fiunt: uti, poſtquam ſolidiſſimis id rationibus, plurimiſque experimentis probavit *Vanſwie-*

©BIU Santé

ſwietenus commentarim in Boerha. aphoriſm. 343. his verbis concluſit. *Idem ergo videtur hic obtinere in oſſibus quoad generationem perditi, & unionem illorum, quæ diviſa fuerant, quod in vulneribus mollium partium corporis contingit; organicæ nempe ſubſtantiæ regenerationem, & veram concretionem, non autem agglutinari hæc inter ſe per interpoſitionem informis glutinis. Platnerus* §. 1242., his verbis de oſſium fractorum conferruminatione diſſeruit; *Oſſa vero conſervent illo ſucco, quo aluntur, qui in callum duratur, & quaſi oſſis cicatrix eſt.* Verum Galenus ob ſiccitatem oſſa fracta iterum ad unitatem non redigi poſſe credidit, ſed per calli tantum generationem alligari, manente ſemper ſolutione in loco fracturæ; quod pluribus in locis aſſerit, veluti in *lib.* 5. *de Method. Meden. cap.* 7. ubi ait. *Non enim fracta oſſa per unitionem cohærent, ſed per callum eum, quem πῶρον Græci vocant, ceu glutino junguntur.* Quam ſententiam ſecuti ſunt *Vidius lib.* 10. *cap.* 9. aliique: quin etiam *Magatus* adeo confidenter Galeni ſententiam ſecutus eſt, ut *lib.* 1. *cap.* 15. *de Rara Vulner. deligation*: ſcripſerit; *At in oſſe callus, qui fractas partes connectit tantum abeſt a natura oſſis, ut nec etiam ſit vivens pars, ſed merum excrementum, quamvis in duritie, & ſiccitate oſſi non ſit parum ſimilis.* Neque ab ejuſmodi ſententia abhorrere mihi videtur obſervatio, quam recenſet noſter *Dominicus Gagliardi* in ſua præclariſſima *oſſium Anatome part.* 1. *obſervat.* 6. ubi ait. *In Cæmeterio Xenodochii Conſolationis os Femoris elapſis annis nobis obſervandum ſeſe obtulit, in cujus medio conſpicuus tumor prominebat, cujus extrinſeca ſuperficies durſſima, a genuina tamen oſſis ſubſtantia aliquantulum diverſa erat; dum undique ſcabra, ac inæqualis, nullumque lamellarum principium oſtendens, & quaſi ex gypſo ruditer compacta videbatur; intrinſecus vero conſuſiſſimam quamdam, ac prorſus inordinatam ſpongioſitatem occultabat, quæ quidem potius ex corrugatarum laminarum fragmentis confuſe, ac nulla prorſus ſymmetria diſpoſitis conſtructa videbatur: & hoc totum a fractura talis oſſis male curata provenire potuiſſe dubitandum non eſt; nam dictum os, non ſolum plus ſolito contortum apparebat, verum ipſius fracturæ veſtigia aliquo pacto adumbrata adhuc cernebantur; ex qua mala oſſis reaptatione cum gypſeus, ſeu oſſeſcens ſuccus perenne efflueret, paulatim ibi coacervatus, in dictum tumorem facile concreſcere potuit. Et ſane ex hac obſervatione, non ſolum modus, quo utitur natura in effractis oſſibus conſolidandis optime cognoſcitur; verum etiam genuina ratio, cur in nonnullis animantibus oſſa effracta amplius non coaleſcant ex hoc elici poſſe videtur: porus namque in fracturis a concreſcibilis, ſeu oſſeſcentis humoris copia, tenacitate, ac ſe facile coagulandi energia progignitur, quæ ſi deficiant, vel ſaltem infirmiora ſint, cum Porus concreſcere nequeat; neceſſe eſt, ut oſſa fracta, ac debiſcentia remaneant.* Hoc vero gluten, quo fracturarum callus efficitur, & quod, ut mox ex *Platnero* obſervavimus, ſuccus ille eſt, quo oſſa aluntur, nervos, ut pote, qui ſuccum nutritium univerſis corporis partibus diſtribuunt, exhibere cenſent recentiores Phyſiologi. Sic clariſſ. *Gualterus Charletonus Exercitatione phyſico-anatomica X. de OEconomia Animali* §. 9. ait; *In oſſium fracturis viſcoſa, & glutinoſa quædam ſubſtantia in illa exudat, ruptis oſſibus ferruminandis utilis. Arteriæ autem nihil hujuſmodi exhibent, quarum officium eſt unicum ſanguinem provehere, qui a materia iſta plurimum diſcrepat: cumque præter illas, atque nervos, nullum adhuc vas repertum ſit, quod humorem aliquem extrorſum efferat; videtur ſane gluten illud ad effracta oſſa per iſtos duci.*

(12) NIHIL

©BIU Santé

eſt (12): nam & natura a natura (13), & ætas ab ætate valde differt

(12) NIHIL EST. Poſtquam dixerat Hippocrates, triginta diebus oſſa cubiti corroborari, atque hortatus eſt ferulas circum fracturam retinere, donec viginti dies tranſgrediantur, addit: *Certum tamen nihil eſt*, ut moneret, non ſemper eſſe tutum, ferulas ad trigeſimum diem removere; quoniam quandoque, vel ob temperamentum, vel ætatem ægroti, non ſatis in aliquibus trigeſimo die conferruminata ſunt; ideo prudentis erit, ferularum appoſitionem uſque ad trigeſimum quintum, vel ad qnadrageſimum diem in hujus oſſis brachii fractura protrahere, tunc enim de oſſium conferruminatione erimus certiores, atque tutius ferulæ adimentur. Non raro quidem fracturas vidi, quæ, quamvis ex eis ferulas ſtatis diebus Chirurgus auferret, & membrum ſatis firmum appareret, atque in naturali figuratione, nihilominus paucis poſt diebus recurvabantur; adeo ut maximo ſui dedecore cogeretur Chirurgus membrum iterum extendere, atque denuo ferulis in naturalem directionem fulcire; quod tunc non ſine dolore, maximiſque difficultatibus perficitur.

(13) NATURA. *Naturæ* vocabulum varias habet ſignificationes apud Philoſophos, atque Medicos, quas hic nobis omnes percurrere non licet; ſed tantum eam ſignificationem perſequemur, quæ ad Medicinam, atque hujus textus explicationem pertinet. Natura igitur hominis, complexim ſumpta, temperamentum ſignificat, quod *Craſis* a Græcis dicitur; quæ ex ſolidarum, & fluidarum corporis partium proportione, atque humorum concoctione, aſſimilatione, atque excretionibus deſumitur. Ex pluribus cauſis hæc in ſingulis individuis variare, cum exceſſu, tum defectu poſſunt, ex quibus naturarum, ſive temperamentorum diverſitates proficiſcuntur; quæ omnia diffuſe in phiſiologicis, atque pathologicis explicantur. Ex diverſis igitur temperamentorum naturis, citius, vel ſerius, oſſis conſolidatio fieri poterit; in euchymis enim, optimaque ſanitate fruentibus, in quibus optimi nutritivi ſucci copia erit, cita fiet pori, ſive calli generatio in fractura; in cachochimicis autem, in quibus humorum fluxilitas eſt, cruditaſque, vel tabe confectis, multo ſerius; uti *Galenus lib. 6. Method. Meden.* ſcripſit; *Vidimus enim non ſemel, cum valenter ſiccarentur oſſa, ægre perveniſſe callum*. Sic non niſi poſt decem menſes cruris fracturam in Matrona gravida conſolidatam fuiſſe narrat *Hildanus Centur. 6. Obſervat. 68.*; quamvis id graviditati *Hildanus* tribuat; quod tunc Naturam in perficiendo fœtu occupatam fuiſſe credit; ſed multas gravidas fracturis oſſium affectas vidi, quæ tamen omnes conſuetis diebus convaluerunt. In eandem *Hildani* ſententiam *Morgagnum* quoque deſcendiſſe video; nam *lib. de ſedibus, & Cauſis Morbor. per Anat. iudag. Epiſt. 56. num. 28.*, ait. *Quæres fortaſſe quo tempore confervere incipiant oſſa fracta ..... ut gravidas ſeponamus, in quibus conſolidatæ fracturæ ibi vix unum exemplum legimus, ubi non conſolidatæ plura habemus*. Hæc exempla ea ſunt, quæ in *Miſcellaneis Natnræ Curioſorum Germaniæ obſervat. 25.* & adjecto *ſcholio* leguntur; ubi duæ *Hildani* obſervationes una cum tertia *Ferdinandi Hertodi* referuntur, ex quibus concludendum eſſe cenſent Auctores; *in gravidis oſſis fracti coalitum non modo difficilem, verum etiam quaſi impoſſibilem*. Simile etiam exemplum de fractura utrorumque cubiti oſſium in gravida a tri-

©BIU Santé

a tribus menſibus, quæ non niſi poſt partum conferbuit, legimus *in Comment. Lipſien. de rebus in Medic. & Scient. Natural. geſtis, anno* 1752. *a Chirurgo Joanne Freke* relatum. Sed hæc ſera oſſium conferruminatio in gravidis non ſemper accidit & quum accidit, an ad ægrotantis naturam potius referenda ſit, dubitarem, ut ibidem in *Miſcellan. Natur. Curioſor.* quartus, qui exponitur caſus de fractura rotulæ in gravida ſolitis diebus ſanata, oſtendit, legimus enim; *Ad curam gravidæ feminæ quinto menſe vocabar, quæ patellam in ſiniſtro pede fregerat. Nihilominus in hac femina natura adeo robuſtam ſe exhibuit, ut accedente dexteritate, & diligentia Joan. Georgii Hancke Chirurgi intra ſex ſeptimanarum ſpatium fuerit reſtituta, antequam fœtus in lucem ederetur.* Verum non modo exempla ſuperius enarrata, in plurimis fracturis gravidarum, quas mihi videre contigit, nunquam experientia confirmavit, ut tuto poſſem in *Hildani* ſententiam deſcendere, quoniam omnes ſtatis diebus conferbuerunt; quin etiam ea in viris obſervavi. In noſtro enim Noſocomio Ruſticus quidam curabatur, cui plauſtri rota femur ſiniſtrum tranſverſim fregerat; huic neque poſt annum fractura conferbuit; ſed ſemper veluti mollis cera flectebatur, quamvis omnia ei adhibita fuiſſent auxilia, neque Oſteocollæ quidem uſus, quem pro fracturis effert *Hildanus*, fuerit prætermiſſus. Quod maxime in hoc ægro mirum videbatur, erat, quod is robuſtus, ſummiſque laboribus fuerat aſſuetus, athleticæque ſtructuræ, neque ullam in eius temperamento labem fuiſſe, prænoſci poterat. Alium etiam vidi hominem ſcorbuto, atque lue venerea maxime affectum, cui ex levi ictu crus dextrum fractum fuerat; huic poſt tertium menſem in fractura callus nondum generabatur; acceſſit tunc, quod dum hic decumbens in lecto innixus cubitis, thoracem aliquantulum extollere vellet, ſui ſolius corporis pondere os humeri ſiniſtrum fractum fuit. Poſt multos elapſos dies harum fracturarum nulla firmabatur: interea ægrotus continua febricula, ac dyſenteria extenuatus, tandem tabe confectus periit. In ejus cadavere fracturæ erant adhuc disjunctæ, & omnia ejus corporis oſſa ſpongioſam habere ſubſtantiam, maxime friabilia eſſe, & colorem flavum acquiſiviſſe obſervavimus. Similes caſus refert *Hildanus Centur.* 2. *Obſer.* 66., & 68. Hinc experientiſſimus Hippocrates, poſteaquam dies ſtatuit, in quibus fracturæ corroborari ſolent; addidit, *Certum tamen nihil eſt, & Natura, a Natura differt.* Præterea aliquando accidit, ut oſſa ex morboſa conſtitutione ſuam etiam naturalem duritiem amittant, & in mollem, cereamque ſubſtantiam convertantur; quemadmodum in femina quadragenaria nuper obſervavimus, in qua ob oſſium mollitiem membra horrendum in modum, neque facile deſcribenda monſtruoſitate diſtorta apparebant; ex quo ipſa non amplius ſeſe potuit ſuſtinere, ſed reliquum ætatis in lecto tranſigere cogebatur. His, ubi oſſa molleſcere incipiunt, ex leviſſima qualibet cauſa fracturæ accidunt. Homini ſexagenario Arthritide pituitoſa laboranti, dum chirothecam induere nitebatur, brachii oſſa fracta fuiſſe narrat *Hildanus Centur.* 2. *Obſerv.* 66. Talium oſſium fracturæ, aut nunquam, aut non niſi poſt plures menſes, & quidem male, conſervent: adeo, ut non modo horum ægrotantium deploranda miſeria ſit; verum etiam Chirurgus maximo ſibi debet infortunio adſcribere, quoties hujus generis oſſium fracturas curandas ſibi proponi contigerit. Plurima humanorum oſſium mollium factorum exempla ex variis auctoribus petita recenſentur, morbique cauſæ diſquiruntur in *Miſcellan. Natur. Curioſ. German. Obſervat.* 37., nec non in *Morgagn. lib.* 4. *de monb.*

©BIU Santé

fert (14). Poſtquam autem ſolveris, aquam calidam affundere oportet (15), & poſtea deligare, paulo minus comprimendo, quam antea (16), & paucioribus linteis, quam prius (17): & poſtea tertio quo-

de morb. Chirurg., & univerſalib. Epiſt. 58. *Artic.* 6., & 7.

(14) DIFFERT. In pueris, in quibus corporis partes maxime vegetæ ſunt, atque ad incrementum diſpoſitæ, calli generatio in fracturis citiſſime fit: ſic *de la Motte* narrat, duodecim dierum ſpatio humeri fracturam ſanatam fuiſſe infanti recenter nato; & me curaſſe memini puerum tertium ætatis annum agentem, cui oſſis humeri fractura circa vigeſimum diem jam concreverat. Sed in his callus facillime luxuriat. In media ætate, fracturæ tardius quidem, quam in junioribus ſanantur; ſed firmius conſolidantur, neque adeo facile callus luxuriat. In ſenectute, ubi oſſa exſucca, aridiſſimaque ſunt, longius adhuc tempus requiritur, & difficilius curantur. Ergo quo propior ſuæ origini erit homo, eo citius oſſa ſolidabuntur, ideo Hippocrates dixit; *ætas ab ætate valde differt*.

(15) OPORTET. Ferulis ultra viginti dies circum brachium detentis, tum eas ſolvere, atque aquam calidam affundere jubet Hippocrates. Hoc non ſine ratione atque utilitate docet; quoniam, quum tunc brachium propter faſciarum, atque ferularum compreſſionem gracile admodum, atque exſuccum reperiatur, ut fibræ humectentur, atque molleſcant, deque textura cellulari expreſſa pinguedo revocetur, humorumque priſtinus circuitus, & copia ſenſim reſtituantur, neque marcorem pars contrahat, aqua calida affundenda eſt: hac enim ſolida laxantur, canales reſerantur, impacta reſolvuntur; unde ſic membro, conſueta circulatione, & quantitate humorum reſtituta, priſtina toroſitas, atque robur redeunt. Animadverſiones circa aquam calidam ad fracturas nobis dedit *Hippocrates lib. Chirurg. Officin. num.* 9. ubi ait, *Aquæ calor, & copia. Calor ſit, quem poſſit, ſi infundatur ſuper ipſius manum tolerare. Copia vero ad laxandum, & attenuandum plurima optima eſt; ad carnem gignendam, & molliendum mediocris*. Mediocrem ergo teporem habere debet; aqua enim frigida fibras denſat, atque roborat; nimis calida humores coagulat, & ſolida comburit. Diutius etiam perfundendum, ubi membrum rigidum, atque exſuccum laxandum eſt; minus autem, ubi toroſitas tantum, atque flexibilitas afferenda.

(16) ANTEA. Poſteaquam aqua calida nudum brachium ſatis perfuſum fuerit, iterum faſciis deligandum eſt, ſed tamen minus, quam antea comprimendum, ut liberior humoribus circuitus concedatur, fibræque compactæ relaxari poſſint. Evenire tamen quandoque poteſt, ut callus fracturæ, ſpeciatim in junioribus, uti ſuperius innuimns, nimis quandoque luxuriet, & ſua extuberantia motiones, præcipue ſi prope articulos fuerit, impediat; vel deformitatem, ut in cruribus virorum, & brachiis feminarum, inducat. De calli magnitudine ſic ſcripſit *Galenus lib. 6. de Method. Meden. Magnitudo calli ea ſit, quæ & oſſibus tuto vinculo ſit, nec muſculos tamen comprimat. Nam qui minor juſto eſt, hic oſſa parum reddet tuta, qui major eſt, dolorem muſculis invehet*. In hoc caſu deligatio aliquantulum arcta ſuper callum eſſe deberet, ut, dum adhuc recens eſt, neque duriſſimam acquiſivit naturam, depri-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 93 sur 355

©BIU·Santé

quoque die ſolvere, ac rurſus deligare, ita ut minus comprimas, & paucioribus linteis utaris (18). At vero, ſi, ubi ferulis deligatus eſt;

deprimi poſſit. *Paulus Ægineta* docet, ut ſuper immodicum, atque indecorum callum fracturarum lamina plumbea adaptetur; ita enim inquit: *lib. 6. cap. 108. Si igitur recens adhuc callus coiverit, remediis admodum adſtringentibus utemur, deligatura ipſa accomodantes. Nonnunquam vero & plumbea impoſita lamina id, quod requiritur effecimus.* Celſus *lib. 8. cap. 10.* ubi callus ſuperincrevit hanc medelam proponit. *Nonnunquam autem recte quidem oſſa cohæſerunt, ſuperincrevit vero nimius callus, ideoque locus intumuit. Quod ubi incidit, diu, leniterque id membrum perfricandum eſt ex oleo, & ſale, & nitro, multumque aqua calida ſalſa fovendum, & imponendum malagma, quod digerat, adſtrictiuſque alligandum, oleribuſque, & præterea vomitu utendum. Per quæ cum carne callus quoque extenuatur, confertque aliquid de ſinapi, quod cum ficu in alterum pariter membrum impoſitum, donec id paulum erodat, atque evocet materiam. Vbi his tumor extenuatus eſt, rurſus ad ordinem vitæ revertendum eſt.*

(17) PRIUS. Quoniam ad trigeſimum diem oſſa brachii plerumque conglutinata ſunt; ideo non amplius egent omnibus illis faſciis, ſpleniis, atque ferulis, quibus antea fulciebantur; ſed paucioribus linteis, quam prius, utendum eſſe docet Hippocrates. Superius *not.* (21) obſervavimus, quod melius ſemper erit ad fracturæ tutelam per aliquot dies, ſupra trigeſimum, ferulas adhibere; hic autem ubi textus Hippocratis ait; *paucioribus linteis, quam prius*, intelligere poſſumus, nos deligationum quantitates diminuere quidem debere, non tamen fulcimenta ad oſſium tutelam penitus dimittere; ideo unicam tantum faſciam iniicere tum ſatius erit; poſtea vero unam, aut alteram ferulam, præcipue ubi fractura extabat, apponere, atque vinculis firmare; ſic enim paucioribus linteis, quam prius, fracturam deligaverimus, neque tamen ejuſdem neglexerimus perfectam conſolidationem tueri.

(18) UTARIS. Nunc iterum eadem methodo, quam ſuperius docuerat, tertio quoque die deligationem ſolvere jubet; atque etiam intelligendum puto, quod in ſingulis deligationibus aquam calidam affundere oportet, uti *not.* 15. obſervavimus; atque id ob rationes, quas in hunc textum adducit *Galenus*, inquiens; *Quia tunc alendus eſt callus, nimirum ubi validas egit radices; alitur vero ei materia ſubminiſtrata, quam ut primum ab affecto loco ad alias partes avertebamus, ita nunc perfuſione aquæ calidæ revocare debemus.* Rurſus ſubinde deligare jubet Hippocrates, minus ſemper comprimendo, & in dies paucioribus linteis uti; donec, quum cognouerimus ſatis firmiter callum eſſe conſolidatum, ab omni vinctura, atque deligatione ſolutum brachium dimittemus. Verum inter legendum animadverti, quod *Celſus*, atque *Paulus Æginetæ* ſemel tantum poſt ferularum ſolutionem aquæ calidæ ſuperfuſione uti conſueverunt. Nam *Celſus lib. 8. cap. 10.* ait; *Ac ſi nulla prurigo, nullus dolor eſt, ſic manere ferulas, donec duæ partes ejus temporis, quo os quoque conſervet compleantur, poſtea levius aqua calida fovere: quia primo digeri materiam opus eſt, tum evocari. Ergo cerato quoque liquido id leniter eſt ungendum, perfricandaque ſumma cutis eſt, laxiuſque id*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 94 sur 355

©BIU Santé

eſt; oſſa non recte poſita eſſe ſuſpiceris, aut aliud quid vulneratum vexet; in dimidio temporis ſpatio, aut paulo prius ſolvere, & rurſus deligare oportet (19).

deligandum eſt. Tertio quoque die ſolvendum ſic, ut remota calida aqua, cætera eadem fiant. Paulus Ægineta lib.6. cap.99. inquit. *Quies indicitur uſque dum fracta occalluerint, occalleſcunt autem brachium, & tibia diebus circiter quadraginta, poſt quos ubi ſolveris, & lavacro uſus fueris, emplaſtris ad fracturas factis perſanare convenit.* Emplaſtrorum formulas ex *Oribaſio*, atque *Commentariis Heracleti* deſumptas deſcribit *Ægineta lib.7. cap.17.* Equidem, quum calli generatio, oſſiumque fractorum conglutinatio opus naturæ ſit, & veluti ait *Van-ſwiet. comment. in Boerh. aphor. 357. Ars nihil aliud hic efficit, quam ut debitum in ſitum reponat fragmenta, quæ deviaverunt, & illo ſitu deinde retineat. Reliquum perficit corporis ſani fabrica*: ideo fruſtra, ut plurimum, ejuſmodi emplaſtra ad hoc adhibentur; *Quos enim ſponte Natura ſanat, fruſtra Medicina fatigat*, præclare ſcripſit *Fernelius de Meth. Meden. lib. 3. cap. 12.* atque tum, appoſitis emplaſtris, membrum alternis diebus ſolvere nequimus, quia, quum ea tenaciter adhæreant, velut illa, quæ *Paulus* deſcribit, vel *oxycroceum*, quod laudat *Platnerus* §.1247., frequens eorum evulſio cutim læderet. Ideo ubi fracturam nullum vexat ſymptoma, neque aliqua adveniens circumſtantia aliter requirit; ſed ſimpliciter, & ſecundum naturæ ordinem oſſa conferbuerunt, juxta id quod cenſet Hippocrates impræſentiarum, omiſſis quibuſcumque ceratis, emplaſtriſque, plus membro conferet, tertio quoque die aquam calidam affundere ob rationes *not.* (15) allatas; & hoc ab Hippocratis ſententia non abhorrere arbitror; quod confirmat *Pecettus*, qui integrum fere Hippocratis textum *lib.4. cap.1.* ſuæ Chirurgiæ tranſcripſit, inquiens; *Ita ultimis curationis diebus, & aquæ calidæ perfuſione, & laxioribus faſciis, & paucioribus nutrimentum ad affectam partem revocare debemus.* Ab experientia inſuper prorſus alienum, atque meras aniles nugas, Mileſiaſque fabulas eſſe credendum id, quod ex aliorum ſcriptis collegit *Schenkius lib.5. obſervat.2. pag.701.* ubi de diverſis aliquot lapidibus differit, quibus pulveratis, & ore ſumptis, vel exterius adhibitis, tribus, vel quinque ſolis diebus oſſa fracta conglutinari poſſe recenſet; cujuſmodi remedia adeo mirabilis virtutis, quæ tam facile, & frequenter, magnificis verbis extolluntur, & quæ poſtea nunquam experientia comprobat, utinam, cum pro fracturis oſſium, tum pro tot aliis morbis, uti prædicantur, ſic etiam in humani generis emolumenrum, reperirentur.

(19) OPORTET. Superius ubi edixerat Hippocrates, non ante diem ſeptimum ferulas adhibere, monuerat etiam, quod ſi tunc oſſa parum commiſſa reperiantur, debent ante ferularum repoſitionem committi, eo quod tum oſſa facillime tractantur. Paulo poſt docuit, quod membrum fractum ita cum ferulis deligatum tenere oportet, donec viginti dies tranſgreſſi fuerint; hac tamen conditione, ſi quidem noverimus oſſa ſufficienter eſſe directa, neque pruritus infeſtent, neque ulla ulceratio ſuſpecta ſit. Confer, quæ monuimus *not.* (9). Hic autem iterum Chirurgo-

©BIU Santé

gorum animis inculcat, quod ubi ferulis deligatum est, si ossa non recte posita, aliquo signo suspicentur, non prætermittant in dimidio temporis spatio, aut paulo prius, (videlicet ante decimum quintum, & quo prius, eo semper melius erit) solvere, & fracturam iterum coaptare: tunc enim id ob nascentis calli mollitiem non difficulter fieri poterit; quod si ulterius procrastinetur, consolidato callo, non nisi summis cum difficultatibus, atque dolore ossa ad correctionem tractantur, atque periculum est, ne membrum vitio affectum relinquatur. Non desunt tamen Chirurgi, qui etiam postquam callus induruerit, si ossa distorta, atque inflexa concreverint, per plures dies fomentis, atque cataplasmatis callum prius emollire, postea iterum eum frangere, atque in naturalem sedem ossa reponere suadent. Sed hoc rariſſime aggredi debemus, neque unquam, nisi in pueris, & post non multum tempus a fractura; qualis est observatio, quam refert *Muys Decad.* 8. *observat.* 2.: nona enim post cruris diffractionem septimana, in puero octo annorum, distortum crus, atque ineptum ad ambulandum reperiens, ita curatum fuisse narrat. *Prius igitur per octiduum imposuimus cataplasma confectum ex stercore columbino, & lacte caprino, ut callus nempe hoc pacto magna ex parte dissolveretur, & molliretur. Elapso hoc tempore Chirurgus pueruli crus distortum utraque manu contra genu tanta vi appressit, ut ossa non sine sonitu rursus diffringerentur; atque tunc post debitam extensionem ossa restituta sunt, ac ægrotus post aliquot septimanas sanatus est, & ambulavit iterum.* In adultis vero, & ubi callus vehementer induruit, hujusmodi operationibus prudens Chirurgus manus non admovebit; ne eas ægroto inferat calamitates, quas recensetperitissimus *Tagaultius lib.* 4. *cap.* 3. inquiens. *Quicunque enim id rursus frangere aggressi sunt, post vehementes cruciatus, in extrema discrimina laborantes adduxerunt; adeo ut valde pauci eorum, qui hoc tormenti genus perpessi sunt, mortem evaserint. Atqui melius est eum, qui sic affectus est, claudicatu, aut membri alicujus deformitate affectum, ad annos adhuc multos superstitem remanere, quam post talem, tantumque cruciatum miserrime sic inter manus crudelis Chirurgi occumbere. Adde, quod sæpenumero alio loco, quam ubi fractura jam coierat, os ipsum (quod lapidosus callus firmaverat) frangitur, ut præter quotidianum experimentum, nobis author extitit Avicenna.* Memorabile quoque est exemplum, quod refert *Morgagnus lib. de Sede, & Caus. Morbor. per Anatom. Indagat. Epistol.* 56. *num.* 28. ubi scripsit. *Novi Medicum haud ineruditum, qui cum cruris ossa confervere jam incipientia, disjungi a Chirurgo permisisset; inde gravissima symptomata, & mortem accersivit.* Summa prudentia *Celsus lib.* 8. *cap.* 10. hujusmodi operationem faciendam esse docet; quippe monet, quod tantum adhuc tenero callo, os iterum disjungere, tentandum est; quod si non facile fieri poterit, regulæ deligatione dirigendum; ait enim; *Solent tamen interdum diversa inter se ossa cohærere: eoque & brevius membrum, & indecorum fit, & si capita acutiora sunt, adsiduæ punctiones sentiuntur. Ob quam causam frangi rursus ossa, & dirigi debent. Id hoc modo fit. Calida aqua multa membrum id fovetur, & ex cerato liquido perfricatur, intenditurque; & inter hæc Medicus pertractans ossa; ut adhuc tenero callo manibus ea diducit, compellitque id quod eminet in suam sedem: & si parum valuit, ab ea parte, in qua os se inclinat, involutam lana regulam objicit: atque ita deligando assuescere item vetustæ sedi cogit.* Quoties igitur, vel non justæ ossium

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 96 sur 355

©BIU Santé

coaptationis, vel alicujus alterius noxæ ſuſpicio ſit, quo citius membrum ſolverimus, eo opportunius malo medebimur. Hic enim *Occaſio præceps*, poſtea vero, quum callus induruerit, *Experimentum periculoſum*, quemadmodum dixit *Hippocrates Aphor.* 1.; peracta autem coaptatione, rurſus iiſdem regulis, ac cautionibus, quas ſuperius Hippocrates diffuſe edocuit, oportet deligare. Quid autem de vocabulo, *vulneratum*, in hoc textu ex mente Hippocratis intelligendum ſit, vide, quæ de voce, *Vulnere*, *not.* (20) *cap.* 2. adnotavimus.

CAPUT VII.

©BIU Santé

CAPUT VII.

Victus eorum, quibus ulcera ab initio non fiunt. Manum fractam quomodo in fascia gestare conveniat.

VIctus porro his, quibus ab initio ulcera non facta fuerint, neque ossa extra eminent, sufficit aliquanto simplicior (1): verum parciore victu utendum est ipsis usque ad diem decimum, ut qui jam etiam quiescant (2): & obsoniis tenellis utendum, quæ transitui mediocritatem exhibent (3). A vino (4) vero, & carnis (5) esu abstinendum. Postea

(1) SIMPLICIOR. In fractura simplici, cui neque vulnus, neque magna contusio accesserit, neque aliud grave symptoma, simpliciorem victum sufficere, ait Hippocrates. Si enim his malis fractura complicaretur, quoniam periculo non vacaret, tenuissimo tum victu uti opus esset; ut docuit *Aphor.* 8. *sect.* 1. dicens. *Quum morbi vis est maxima, tum vel tenuissimo victu utendum est.* Simplex ergo fractura, cum neque periculosus morbus sit, neque omnino negligendus, sed medium inter utrumque teneat, *simpliciorem victum*, eam scilicet victus rationem requiret, quæ media sit inter tenuissimam, (quam in morbis acutis, & periculosis ex sola aqua, vel prisana, vel mulso esse debere, Hippocratis præcepto, inferius observabimus) & liberam, sive consuetam ciborum qualitatem, & copiam, quibus in sanitate utimur: ut ideo hujusmodi victum designaret Hippocrates, *simpliciorem* sufficere, dixit.

(2) QUIESCANT. Primis saltem decem diebus in fractura brachii quiescere, vel in lecto decumbere debent ægri, (vid. quæ adnotavimus *not.* (4) *cap.* 4.) ne reposita ossa aliquo motu de sua sede dejiciantur; ideo tunc victum non modo simpliciorem qualitate, sed etiam quantitate pauciorem eis præbet Hippocrates. Plenior enim cibi quantitas, quamvis simplicioris, hominem otiosum cruditatibus afficeret, pravosque succos gigneret; hinc *lib.* 1. *de Diæta* scripsit Hippocrates; *Homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret: contrarias enim inter se vires habent cibi, & labores.* Accedit etiam, quod primis illis diebus inflammationis periculum impendet; ideo parciori victu utendum, ut humores quoque extenuentur, ne affluxus in fractura fiat. *Celsus* in hanc rem *lib.* 8. *cap.* 7. ita scripsit. *Illud quoque ad omnia ossa pertinens dictum erit, famem primum esse necessariam: deinde a die tertio humidum cibum; sublata inflammatione paulo pleniorem, eumque, qui carnem alat.*

(3) EXHIBENT. Victus primis diebus non modo simplicior, & parcus sit, sed etiam is eligendus, qui tenuis, refrigerans, atque humidus, & qui per alvum facile subducatur, præsertim in juvenibus, & plethoricis: quare dixit Hippocrates; *Obsoniis tenellis utendum, quæ transitui mediocritatem exhibent.*

(4) VINO. Vinum sua generosa qualitate solida stimulat, humorumque vitalem impetum excitat: ne igitur, auctо sanguinis motu, in loco fracturæ, ubi plurima vasa dilacerata sunt, neque circulatio prorsus libera est, copia, & impetu humorum, tumefactio, & inflammatio fiat, a vino abstinendum est.

©BIU Santé

ſtea tamen ſenſim progreſſu facto reficiendi (6) ſunt. Hic ſermo, velut lex juſta poſita eſt de fracturarum curatione, & quomodo tractare oporteat, & quomodo eventus ſequi ex juſta tractatione (7). Quicquid vero

(5) CARNIS. Omnes animalium carnes, pingues potiſſimum, uti & juſcula meraca, glutinoſaque ex his expreſſa, difficilis digeſtionis ſunt, & in putredinem cito vergunt. (vid. quæ de his docet *Boerhaav. in Aphoriſm.* ubi agit *de Morbis ex Alcalino ſpontaneo*) Ne igitur gravetur ſtomachus, chyluſque alcaleſcentis naturæ conficiatur, a carnis eſu abſtinendum. *Galenus lib. 6. de Method. Meden.* ubi de oſſium fracturis agit, præter victum tenuiſſimum, duo etiam alia præſidia affert, quæ plerumque non omittenda ſunt: ait enim, *Venam incidere interdum oportet, & per ventrem ſupervacua expellere*. Sanguinis emiſſio fiet modo plus, modo minus, habita ratione ſymptomatum, qualitatiſque fracturæ; nec non ætatis, ſexus, temperamenti, victus conſuetudinis; eam enim prohibere poſſet ægroti decrepita ſenectus, virium nimia debilitas, cachexia, & ſimilia. Alvus vero, vel medicamento per os, vel clyſtere exoneranda, quotieſcumque nimis conſtricta ſit, aut non ſatis a contentis fœcibus expurgetur.

(6) REFICIENDI. Poſteaquam dies præteriere, in quibus inflammatio timebatur, omniſque curatio optime ceſſit, & membrum fractum, ipſeque ægrotus extenuatus apparet; tum major ciborum quantitas, ac analeptica præbenda ſunt, ut vires reficiantur: ſic enim calli quoque, ſive pori generationi proſpiciemus; quod monuit etiam *Galenus lib. 6. de Meth. Meden.* ubi ait; *At quo tempore callus gignitur, nutriendum corpus eſt cibis boni ſucci, & qui multum nutriant, ex quibus provenire ſuccus ſoleat non ſolum bonus, ſed etiam tenax, ex quali fieri callum maxime expedit*. De diæta Analeptica diffuſe ſcripſit *la Mothe* in ſuo *Tractatu Therapeutico part. 2. ſect. 4.* Cavendum tamen maxime eſt, ne nimium cibi concedamus, ſatius enim eſt minus, quam plus juſto exhibere: neque glutinoſis, viſcidiſque cibis utendum; quoniam hi difficulter a ſtomacho ſubiguntur, atque obſtructiones, immeabilitatemque humorum inducunt: quamvis a nonnullis auctoribus ad calli generationem opportuni cenſeantur. Monet igitur Hippocrates in hoc textu, ut non affatim plenior cibi copia exhibeatur, ſed *ſenſim progreſſu facto*; nam, ut ipſe docuit *Aphor. 51. ſect. 2., ſemel multum vel vacuare, vel replere ..... periculoſum. Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum eſt. Quod vero paulatim fit, tutum, cum alias, tum maxime ubi ab uno, ad aliud facienda eſt mutatio.*

(7) TRACTATIONE. Quæ hucuſque de brachii fracturæ curatione capitibus quarto, quinto, ſexto, atque ſeptimo, docuit Hippocrates, veluti lex juſta, ſive methodus generatim medendi quaſcunque artuum fracturas, poſita ſunt, quibus & quomodo a prima die uſque ad perfectam oſſium ſanationem tractare oportet, & qui eventus ſequi debeant ex juſta tractatione, docemur: quæ omnia jam ſe præſtiturum eſſe pollicitus fuerat *cap. 2.*, quando dixerat. *Nam & aliorum corporis oſſium doctrinam hic ſermo affert*. Præcepta igitur, atque univerſa documenta, quæ præfatis capitibus tradidit, a tyrone Chirurgo probe diſcenda ſunt, atque memoria optime tenenda, ut eis accurate uti poſſit in ejuſmodi curationibus. Equidem nunquam ſatis hæc Hippocratis documenta commendaverim, adeo utilitatis plena ſunt, adeo rationi, & experientiæ congrua, adeo neceſſaria ſcitu. Hic præterea omnes

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 99 sur 355

©BIU Santé

vero non ita eventum habuerit, ſcire oportet, quod in tractatione quid defectuoſe, aut redundanter factum eſt (8). Quin & hæc inſuper in hoc ſimplici modo (9) conſiderare oportet, quæ non ita valde curare ſolent Medici, & quidem quum omnem curationem, & totam deligationem corrumpere poſſint, ſi non recte fiant (10): ſi enim ambo oſſa fracta fuerint, aut infernum (11) ſolum: is vero, qui deligatus eſt, in faſcia quadam manum exceptam, ac appenſam habeat, & plurima faſciæ pars circa fracturam exiſtit, ita ut manus hinc, atque hinc pendeat: hunc neceſſe eſt reperiri os ad ſupernam partem diſtortum (12) habentem. Si vero ſic fractis oſſibus, & ſummam manum in faſcia habet, & partem juxta cubiti flexuram: reliqua vero cubiti pars non ſit elevata, hic ad infernam partem os diſtortum habere comperietur (13). Proinde in faſcia

omnes tyrones monebo, ut paſſim nos ſolet monere Galenus in ſuis prognoſticorum, aliorumque librorum Hippocratis commentariis, monebo, inquam, ut eos non ſemel tantum, verum etiam bis, atque ter hæc Hippocratis generalia de fracturis præcepta legere non pigeat: magni enim intereſt, ut quiſque ea ſingula optime intelligat, atque percipiat.

(8) FACTUM EST. Adeo neceſſarium ducit Hippocrates addiſcere, ſeduloque hæc ejus præcepta exequi, ut decernat, quod ſi curatio non recte ceſſerit, neque optabilem eventum habuerit, id accidere, quia in tractatione aliquid defectuoſe, aut redundanter actum fuerit: ſic omnem culpam Chirurgo adſcribit.

(9) SIMPLICI MODO. Modum, quem uſque adhuc docuit ad fracturas curandas, ſimplicem vocat, quoniam fracturæ ſimplici adhibetur, cui ſcilicet, neque ulcus, neque vulnus, neque oſſis denudatio adjuncta eſt; nam tunc non fractura ſimplex, ſed complicata diceretur, quæ diverſam medelam requireret.

(10) FIANT. Monitum nunc præbet Hippocrates ad brachii ſuſpenſionem pertinens, quod ſi negligatur, quamvis oſſa optime repoſita fuerint, riteque deligata, tamen naturalis brachii figura perverti poſſet, & male curatum fuiſſe apparebit; ideoque in hoc eſt etiam ſedulo incumbendum, ne talis error committatur.

(11) INFERNUM. Cubitus ſcilicet, qui in ea figuratione brachii, quam juſſit Hippocrates, infernum locum tenet, radioque ſubjacet. Cur autem ſi ex duobus brachii oſſibus alterum tantummodo frangatur, majus malum ſit cubiti, quam radii fractura, vid. *not.* (12) *cap.* 4.

(12) DISTORTUM. Jam ſuperius not. (2) ex Hippocratis verbis adnotavimus, primis ſaltem decem diebus, ægros in lecto decumbere oportere. In hoc autem textu cautelas docet, quæ advertendæ maxime ſunt, quoties collo brachium ſuſpendere voluerimus. Monet enim, ne brachium exceptum, atque appenſum ſtricto alicui ligamini, ſive faſciæ, tantummodo circa fracturam ſuſtineatur; ita ut manus, atque ſuperior brachii pars utrinque pendeant; quoniam tunc manus, atque cubiti flexura proprio pondere deorſum tendentes, locum fracturæ ſuſtentum ad angulum elevabunt, atque hinc oſſa fracta, veluti ſublata ad ſupernam partem diſtorquerentur.

(13) COMPERIETUR. Hic ex contrario,

©BIU Santé

ſcia molli latitudinem habente maximam cubiti partem, & manus articulum æqualiter ſuſpendere, ac elevata geſtare oportet (14).

rio a ſupra narrato brachium ſuſtinendi modo, contrariam a præfata ſequi debere oſſium diſtorſionem affirmat. Nam ſi faſcia, ſive mitella, qua brachium excepimus, manum, ac oppoſitam partem juxta cubiti flexuram ſuſtineret; illam vero cubiti partem, ubi oſſa diffracta ſunt, non æque elevaret, ac contineret; tum ſuo pondere inferius fractura urgente, oſſa ad infernam partem diſtorquerentur. *Galenus Comment.* 1. *text.* 50. præter hos duos modos ab Hippocrate narratos, tertium etiam, & quartum addit, quibus prava brachii ſuſpenſio fieri poteſt: ait enim. *Tertio, & quarto, ſi aut prior cubiti pars, aut poſterior dumtaxat a mitella contineatur. Ex his quatuor modis Hippocrates duos tantum deſcripſit, qui etiam maxime ſolent membrum diſtorquere; duos reliquos ſub ſilentio præteriit, quum facile poſſint ex his, qui dicti ſunt, intelligi.*

(14) OPORTET. Ne ea damna, quæ ſuperius relata ſunt, accidant, ſuadet Hippocrates, ut faſcia, ſive, ut ait *Celſus*, mitella, ſumatur, quæ tantum habeat latitudinis, quantum ad integrum os cubiti, atque manum ſuſcipiendam ſufficiet. Hujuſmodi faſcia mollis ſit, æqualiter extenſa, neque plicis aſpera, ne ſuperincumbens brachium lædatur. Advertendum etiam eſt, ut manus elevata ſit, ne propendendo, humores in eam confluant, atque tumeſcat. Hæc eadem *Celſum* docuiſſe adnotavimus *not.* (4) *cap.* 4. atque hanc Hippocratis doctrinam luculenter *Oribaſium* ſcripſiſſe legimus in *Collectione Nicetæ*; ait enim. *Manu autem fracta, cum homo jam obambulat, neque amplius decumbit, id eſt poſt decimam diem, antea enim ut plurimum jacebat, manu eo habitu compoſita, ut ſummum ejus paulo altius haberet, a collo ſuſpendatur mitella adeo lata, ut totus cubitus ea ſuſtineatur. Oportet vero mitellam hanc non ſimpliciter obvolvere, ſed æquabiliter ſub toto cubito prætendere, nullam ejus partem relinquendo, quæ non fulta ſit, ne proprio pondere inclinans cubiti os deorſum feratur, ac depravetur.* Præter manus poſituram, reſtat etiam in hoc Capite conſiderandum, quomodo in fractura brachii ſint digiti componendi. Hippocrates ſuperius *cap.* 4. docuit, quod *Manus dum appenſa excipitur in conſimili figura erit, in quali etiam erat dum deligaretur, ita, ut neque ambulanti, neque decumbenti ullus dolor, aut fatigatio accedat.* Naturalis autem manus figuratio eſt, quando digiti ad dimidium ſunt deflexi; ideo optimum erit, & facilius priſtinum motum recuperabunt, ſi, ut docet *Paræus*, glomere linteo manus vola compleatur, & eum digiti deflexi amplectantur. Si vero digitos prorſus extentos per totum curationis tempus perſiſtere coegerimus, incommodum id erit, & poſt curationem, digiti non, niſi ſumma difficultate, poterunt deflecti.

CAPUT VIII.

©BIU Santé

CAPUT VIII.

Brachii fracti juſta extenſio, & compoſitio.

AT vero, ſi brachium (1) fractum fuerit, ſi quidem quis extentam manum in hac figura extendat (2): muſculus brachii extentus deliga-

(1) BRACHIUM. Hactenus in ſuperioribus commentariis omne id, quod oſſa cubiti, & radii complectitur, brachium nominavimus; & ipſum cubitum, & radium ſimul ſumptos, oſſa brachii diximus; quamvis alias plures diverſas ſignificationes brachii vocabulum apud veteres habuerit; ſed in eam ſignificationem hoc nomen uſurpavi, fretus *Celſi* auctoritate, qui graviſſimus auctor hac voce in hunc ſenſum maxime utitur. Hoc paſſim in ejus ſcriptis legimus, ut *lib.* 8. *cap.* 10., ubi de fracturis, ac luxationibus agens, ſic inquit. *Communia etiam quædam humeris, brachiis, femoribus, cruribus, digitis.* Vid. etiam, quæ de brachii vocabulo adnotavimus *not.* 13. *cap.* 2. At vero in præſenti Capite, ubi brachium legimus, os illud intelligere debemus, quod ſuperiori extremitate cum ſcapula, inferiori cum cubito, atque radio connectitur, quod proprie humerus dicitur; idcirco in hoc Hippocratis textu brachium erit humeri ſynonimus, videlicet ſub diverſa voce idem ſignificabit, ſic *Veſalius lib.* 1. *cap.* 23. ſcripſit; *Humerus Celſo, atque aliis compluribus, id os vocatur, quod ſcapulæ, & cubito articulatur, Græcis, uti & Latinorum non paucis, brachion nuncupatur:* atque, ut his ambabus vocibus appoſite uteretur, hanc etiam fecit diſtinctionem. *Quum ſolius oſſis mentio in idet, id humerus, aut interdum brachii os appellabitur: quum autem reliquas membri partes una cum oſſe indicabimus, brachii voce (quam Celſus interim appellato nobis cubito tribuit) clarioris doctrinæ ſtudio, utemur.* Similem diſtinctionem aliquos etiam veteres Medicos feciſſe, qui ante *Galeni* ævum hos Hippocratis libros explanaverant, quorum tamen ſcripta temporum injuria ad nos non pervenerunt, ex ipſius *Galeni* verbis in hujus textus commentario apparet; ait enim. *Ita etiam in præſentia ajunt brachium, & eam partem appellari, quæ utrinque tum ab humero, tum a cubiti articulo continetur, atque etiam os, quod in illa eſt. Alii vero contendunt tantum membra, quæ inter eas junctiuras ſita ſunt, non autem oſſa illis nominibus nuncupari.* De oſſe igitur humero, quod brachium nominat, ſermonem erit habiturus Hippocrates in hoc capite.

(2) EXTENDAT. Antequam ſuam ſententiam exponeret Hippocrates, prius ſemper errores, quos in ſimilibus caſibus ab aliquibus committi obſervaverat, detegere, atque refellere conſuevit; ſic integrum hujus libri ſecundum, & tertium caput in confutandis erroribus illorum Medicorum, qui in fracturis offium cubiti, & radii, manum, aut pronam, aut more ſagittantium, aut ſupinam deligabant, conſumpſit. Ita pariter nunc illorum conſuetudinem damnat, qui brachium fractum extendebant manu extenta; quoniam ea figura non eſt ſecundum naturam, neque diu ſine dolore manus extenta permanere poteſt. In *lib. Chirurg. Officin.* docet Hippocrates, quod poſitiones membrorum ab ipſa natura ſumi debent; ait enim *num.* 9. *Natura in operibus eſt; operis actione quid illa velit conjectandum eſt. Ad hæc autem ex quieſcente, ex communi,*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 102 sur 355

©BIU Santé

ligabitur (3). Poſtquam autem deligatus cubiti flexuram inflexerit (*3): muſculus brachii aliam figuram habebit (4). Juſtiſſima igitur brachii extenſio hæc eſt (5). Lignum cubitale, aut paulo brevius, qualia ſunt ligna, *ex conſuetudine*. Quum ergo brachium quieſcens, veluti in ſomno, nunquam extentum ſit, ſed potius ad angularem figuram deflectatur; uti & communiter, atque ex conſuetudine nunquam brachium extentum haberi ſoleat: ideo ſi quis in fractura oſſis humeri brachium extenderit, atque in hac figura deligaverit, quoniam hujuſmodi figura non erit ſecundum naturam, plurima ſequerentur damna, quæ mox Hippocrates ſubjicit, atque declarat.

(3) DELIGABITUR. Os humeri ſatis craſſis muſculis eſt undique circumſeptum, quorum alii extenſioni, alii flexioni cubiti inſerviunt. Flexioni famulantes duo ſunt, unus alii ſuperincumbens, in anteriori humeri facie diſpoſiti; Brachialis ſcilicet internus, & Biceps, qui muſculi craſſiorem, magiſque elatum extenſoribus ventrem habent, & Biceps præcipuus eſt, qui carnoſus multum anterius excedit, atque prominere conſpicitur. Hic muſculus eſt is, de quo nunc loquitur Hippocrates, dicens, *Muſculus brachii extentus deligabitur*. De hoc tantum muſculo bicipite mentionem fecit; quippe huic proſpicere vel maxime debemus; nam in alternis cubiti extenſionis, atque flexionis motibus, is potiſſime brachium modo turgidum, modo extenuatum reddit. *Palladius in ſuis ſcholiis*, muſculum hunc Hippocratis, Bicipitem eſſe manifeſte affirmat his verbis. *Anterius quidem os humeri cavum, tum quod facile amplexetur, quodque illic ſitus ſit muſculus*.

(*3) INFLEXERIT. Non ſine dolore, atque inflammationis periculo brachium deligatum diu extentum teneri poſſe, alias obſervavimus: velut etiam non minus prava adminiſtraretur curatio, ſi quis ubi brachium extentum deligaverit, poſtea, ut in naturalem poneret, atque collocaret figurationem, id mox inflecteret; quoniam ea omnia ſequerentur mala, quæ perpendimus *not.* (21.) *cap.* 2.; ideo ſemper in ea figuratione erit deligandum, in qua collocari, atque manere poſtea debebit.

(4) HABEBIT. Jam ſuperius cognovimus, quod, quando muſculum brachii Hippocrates dixit, ſpeciatim muſculum bicipitem indigitare voluit; atque etiam adnotavimus, quod hic muſculus in anteriori, & media oſſis humeri parte collocatus, ob ſuam carnoſam, craſſamque ſubſtantiam, dum contractus cubiti flexionem parat, valde tumeſcit, & extat; in extenſione vero gracileſcit, ſubſidetque; quare his contrariis actionibus, multam ſubit hic muſculus variationem figuræ. Ideo ſi humeri fracturam brachio extento deligabimus; & poſtea cubiti flexuram inflectemus, tunc, ut optime docuit Hippocrates, *muſculus brachii aliam figuram habebit*.

(5) HÆC EST. Os humeri fractum multifariam componi poteſt; atque in hanc rem diverſas methodos, cum veteres, tum recentiores protulere, quibus, ubi oſſa exciderunt, æque in ſuam ſedem reſtituuntur. Juſtiſſimam tamen Hippocrates affirmat eſſe eam brachii extenſionem, quam modo proponit; idcirco quamvis admodum operoſa videatur, neque ubicunque in ægrotorum cubiculis hujuſmodi machinamentum moliri poſſimus, neque id adhibere omnino neceſſe ſit; (quippe ſolis manibus fractura humeri ſufficienter extendi ſoleat) magni tamen facienda eſt, quoniam, vel ubi eam adhibere libuerit, vel ubi alio modo fracturam compone-

re

©BIU Santé

ligna, quæ in foramina ligonum immittuntur, ſuſpendere oportet hinc, atque illinc catena deligatum (6). Hominem vero in alta quapiam ſede collocatum (7), ita manu ſuperincumbere oportet, ut lignum id ſub ala ſit, moderate habens, ut homo vix ſedere poſſit, & fere ſublevatus ſit (8): ſuppoſito poſtea alio quopiam fulcimento, & coriaceo pulvino uno, aut pluribus ſubjectis, quo moderatam altitudinem habeat cubitus, ad rectum angulum obliquatus (9). Optimum quidem eſt corium latum, ac molle,

re nequiverimus, hac ratione commodius, promptiuſque operatio expedietur. Præterea quamvis ſolis manibus hanc fracturam reponere tentaverimus, ſemper tamen modus, quem nunc proponit Hippocrates, regula erit, qua brachium extendi debet; nam *Juſtiſſima extenſio hæc eſt*.

(6) DELIGATUM. Lignum cubitale, unius ſcilicet cubiti longitudinem æquans, aut paulo brevius, ſumi debet; & tantæ craſſitiei, quantæ ſunt ea ligna cilindrica, ſive manubria, quæ in foramina ligonum immitti ſolent; quorum diametros duorum digitorum latitudinem plerumque excedit. Hoc in ejus extremitatibus utrinque catenis, ſive funibus de laqueari pendentibus ita deligandum eſt, ut horizontaliter ſuſpenſum dependeat; atque ita eſſe elevatum oportet, ut hominem ſedentem, qui axilla id amplexus fuerit, vehementer ſuſtinere poſſit [*].

(7) COLLOCATUM. Hominem, cui fractus humerus componi debet, in alta quapiam ſede collocat Hippocrates, ut commodius fracturam liceat Chirurgo contrectare, ſuoque munere fungi poſſit, quin ſe deorſum admodum inclinare cogatur.

(8) SUBLEVATUS SIT. Poſtea ſuper illud lignum ſuſpenſum ita fractum humerum imponit, ut ſub axilla tranſverſim aptetur; quod tamen ea moderatione ægrum ſuſtinere debet, ut homo vix ſedere poſſit, & fere ſublatus ſit. Cur Hippocrates illud lignum ſub axilla ponat, atque ægrum ab eo ligno ſic ſuſpenſum velit, ut vix ſedere poſſit, perſpicuas has rationes reddit *Galenus* in commentariis, inquiens *Præterea, qui hoc modo ſedent, ſi ſurgant, minima propterea mutatio fit; qui vero loco humili, maxima; unde læſio, quæ mutatam ſeſſionem ſequi ſolet, minima eſſe poteſt, quum quis ſublimis ſedeat: maxima, quum humilis. Perſpicuum igitur eſt, quod hac etiam de cauſa lignum ſub ala adhibet: ne videlicet, dum brachium extenditur, ægrotus ſequens extenſionem diſſolvat*. Contrario tamen modo ægrum collocat *Paræus lib. 13. cap. 17.* inquiens. *Si fracti hujus oſſis fragmentorum alterum alteri valde ſuperjectum fuerit, & robore corporis valeat æger, valide extendendum brachium eſt, humiliori ſede ante juſſo ſedere ægro, ne cum reſtituetur fractura, exurgere poſſit, ſicque inceptum opus perturbare: atque etiam, ut ſic Chirurgo facilior ſit in ſubmiſſo ſibi ægro operatio: quanquam Hippocrates aliud ſpectans, altius ſedere ægrum velit.* Verum Hippocratis collocatio maxime præferenda videtur, cum ad Chirurgi commodum, uti mox *not.* (7) adnotavimus, tum ad ægri utilitatem, ob rationes, quas modo ex *Galeno* retulimus.

(9) OBLIQUATUS. Superius, ubi Hippocrates egit de oſſium cubiti, & radii fractura, docuit juſtam brachii deligationem, atque collocationem eam eſſe, quæ ad angulum rectum accederet. *Vid. not.* (4) *cap.* 4. Hic quoque in fractura humeri eandem præſtare monet angularem brachio figurationem, ut pars ſecundum naturam depoſita expers doloris

[*] *Vid. Tab. I. Fig. I.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 104 sur 355

©BIU Santé

molle, aut fasciam latam circumdare, & magnum aliquod pondus appendere, quod moderate intendere possit (10): sin minus, vir aliquis robustus in hac figura cubiti, circa cubiti flexuram deorsum cogat (11). At vero Medicus erectus stans, & alterum pedem in altiore quopiam habens, aggressionem faciat (12), ita ut volis os dirigat; ac componat:

ris sit; veluti ipse docuerat *lib. Chirurg. Officin.* Ut igitur ægro ita sedenti, atque eo ligno sub axilla suffulto, ad angulum rectum cubiti flexuram disponat, fulcimentum, sive aliquod scamnum brachio supponit, quod unius, aut plurium coriaceorum pulvinarium ope, non solum lene stratum, verum etiam tantam altitudinem manui præbeat, quanta sufficiet, ut ad angulum rectum inflexio cubiti accedat.

(10) POSSIT. Posteaquam eo modo brachium ad angulum disposuit, fascia, vel lata tænia coriacea, cubitum devincit, cui fasciæ aliquod postea magnum pondus appendit, ut propria gravitate deorsum tendens, humerum moderate intendat; ita enim solis machinamentis, absque ullius ministri ope; humeri intensionem, oppositamque distensionem instituí posse, ostendit Hippocrates.

(11) COGAT. Summum Hippocratis elucet ingenium in allato machinamento; sed eo Hippocratem usum tantummodo fuisse credendum, quum idoneis ministris careret, quoniam æque optime, & forsan melius, majorique simplicitate, id, quod appensum pondus confert, manibus alicujus viri robusti, qui circa cubiti flexuram humerum deorsum cogat, perfici potest, ut ipse Hippocrates innuit. *Palladius* quoque in scholiis ad hunc textum, manibus potius humerum trahendum esse censet; in necessariis autem ad mentem Hippocratis hæc addit; *Quod si nemo adsit, qui trahat, lapides graves suspendito, ita trahent quidem lapides, in oppositum autem trahit lignum, quod transversum positum est.*

(12) FACIAT. Docuit hucusque quomodo debeat æger constitui; nunc vero tradit quomodo Chirurgum consistere, atque agere deceat. Vult enim, ut Chirurgus erectus stet, sed tamen altero pede alicui altiori fulcro innitatur, dum componere ossa fracta aggreditur; sic enim magis tuto, atque stabilius suum opus perficiet. Cur, & qualis ex utroque pede super altiorem aliquam rem, imponi debeat, & ad quantam altitudinem, docet *Hippocrates in Chirurg. Officin. num.* 2., ubi ait; *Si vero stet, utrisque pedibus ex æquo insistere satis est. Agere vero oportet ita, ut altero pede inscendat, non eo, ad manum agentem, genu ad inguen sublato, velut in sede; sed & alii termini iidem sunt.* Ex his igitur Hippocratis verbis docemur firmissimam aptitudinem, ut fixi insistere possimus, dum ossa coaptantur. Jubet enim non eo pede inscendere, qui ad manum agentem est, sed contrario; ita nempe, ut si manus dextra operetur, pes sinister elatior sit; si sinistra, dexter: sic validius operationem Chirurgus administrabit, ut perpendenti facile innotescet. Altitudo autem fulcimenti tanta esse debet, quanta sufficiat, ut genu ad inguinis altitudinem respondeat. Reliqua vero circa manus actionem, visum, tactum, aliaque ad Chirurgum spectantia, eadem esse ait, atque ita exequenda, ut in eodem libro de *Chirurgiæ Officina* docuerat. Ut autem dilucidius hujusmodi Hippocratis operatio ad humeri fracturam extendendam intelligatur, inspici potest sche-

©BIU Santé

nat (13): facile autem dirigetur. Nam hæc extenſio bona eſt, ſi quis ipſam recte præparet (14). Deinde deliget faſciarum principiis ſupra fracturam injeſchema, quod *Comment. 2. text. 3. Galeni* ex interpretatione *Victoris Trincavelli* adjicitur; quam figuram *tab. 23. fig. 1. Scultetus* etiam expreſſit [*].

(13) COMPONAT. Facta debita extenſione, manuum volis Chirurgus huc illuc comprimendo, in ſuam ſedem oſſa fracta dirigere, atque componere facile poterit. Quid autem proprie manus vola ſit, *Vid. not.* (1) *cap.* 5.

(14) PRÆPARET. Jure Hippocrates extenſionem, quam propoſuit, ſi quis eam recte præparet, bonam eſſe dixit; quoniam quamvis operoſa admodum ſit, multique moliminis, in ea tamen omnes eæ conditiones optime expreſſæ ſunt, quæ neceſſario pro oſſis humeri fracti repoſitione requiruntur. Primum enim ibi docet, quod humerus in axilla firmari debet, ne decedat, extendentemque ſequatur; poſtea vero, quod extenſio fieri debet trahendo deorſum circa cubiti flexuram; denique, quod juſta figuratio eſt, cubitum flectere ad angulum rectum: quæ omnia quoties humeri fractura componenda eſt, diligenter exequenda. Veruntamen omnia hæc Hippocratis præcepta, etiam abſque ullis machinamentis, ſed tantum idoneorum miniſtrorum ope expediri poſſunt; uti Veteres ipſi jam fecerunt, & nos fere ſemper, non ſine effectu, conſueſcimus; & quamvis Hippocrates hunc ſolum curandi modum in hujus oſſis fractura propoſuerit; non inde tamen ſi ſine machinamentis, majorique ſimplicitate idem efficere poterimus, id prorſus ab Hippocratis conſilio alienum credere debemus; ob id enim hujuſmodi machinamentum ipſe tradidit, ut potiſſimum modum oſtenderet diligentiſſime, quo hæc fractura, etiam in caſu difficiliori, poterit reſtitui; non autem prohibere cenſuit, nos promptiori, faciliorique via in eundem ſcopum poſſe contendere; quin etiam Hippocratis diſciplinæ hoc maxime congruit: nam ipſe in ſuis ſcriptis paſſim monet, ut facilioribus ſemper, atque ſimplicioribus agamus, quemadmodum inferius in hoc eodem libro, ubi ſcripſit: *Siquidem igitur ſuffecerit extenſio, quæ per viros fit, nihil aliud laboris fruſtra inſumere oportet: imperitiam enim arguit machinas adhibere, ubi ipſis non eſt opus*: Vid. *not.* (12) *cap.* 18. ſic etiam in *lib. de Articulis cap.* 89., poſteaquam varia machinamentorum genera ad femoris luxationes reſtituendas propoſuerat, præſtantiſſimum hoc, honeſtiſſimumque monitum addidit, inquiens; *At vero in univerſa arte hoc plurimi facere præ omnibus oportet, ut id quod ægrotat ſanum facias. Si vero multis modis fieri poſſit ſanatio, ut eum qui minime moleſtus eſt eligas. Nam & virum bonum, & artis peritum, hoc declarat, qui populo imponere non ſtudeat.* Hac libertate legimus uſum fuiſſe *Galenum comment. 2. text. 3.* ubi ait. *Hoc tamen nos ſine eo ligno ſæpe præſtare ſolemus; nempe laqueis alæ circumjectis, quorum capita ad partem poſteriorem trahenda ſunt: & aliis laqueis item circumpoſitis, os fractum in utramque partem diſtendimus, ſi quando intentio, quam manibus molimur, imbecillior, quam par ſit videatur; nam quando ſperamus, hac ſola nos poſſe conſequi, quod volumus, ut in pueris, nihil nobis opus erit laqueis. Paulus Ægineta lib. 6.* tradit, quod *Soranus* ſolis miniſtrorum manibus utebatur; atque ægrum quandoque reſupinabat, quod maxime quidem decere, commodumque eſſe poterit, quoties vel nimis debilis, vel delicatus, doloriſque impatiens ſit æger; ait enim: *Sora-*

[*] *Vid. Tab. I. Fig. I.*

©BIU Santé

injectis: & reliqua omnia, quemadmodum prius monuimus, tractet (15): & eaſdem interrogationes faciat: & iiſdem ſignis utatur, an moderate habeat, aut ſecus. Et per tertium diem deliget, & magis comprimat: & ſeptima, aut nona die (16) cum ferulis deliget. Et ſi ſuſpicionem habeat, os non bene poſitum eſſe, intermedio tempore ſolvat, & ubi probe collocavit, rurſus deliget.

Soranus hunc in modum tradit: ægro in ſedili collocato, vel quod ſatius eſt, reſupinato, quo minus moleſtiæ ſentiat manu ſine ligata, juxta compagem, qua ipſa cum brachio conjungitur, & ex cervice ſuſpenſa, ut angulosa ipſius figura ſervetur, miniſtris duobus jubebimus, huic, ſupra fracturam, illi, infra digitos circumponant, atque ſic tenſionem perficiant. Raro autem miniſtrorum manus non ſufficere obſervavi in fracturis humeri reſtituendis; quoniam muſculi, qui in hoc os inſeruntur, non adeo craſſi ſunt, ac renitentes, ut facili negotio extendi non poſſint. *Col de Vilars tom. 5. cap. 14.* quoties ſolis manibus extenſio fieri nequit, atque laqueis utendum eſt, ægrum ſternere, & in latus fracturæ oppoſitum inclinare opportunius ducit; ait enim. *Si l'on ne pouvoit pas reuſſir à faire les extenſions neceſſaires avec les mains, ce qui eſt rare, on feroit coucher le malade ſur le coté oppoſé à la fracture; on mettoit deux &c.*

(15) TRACTET. Methodum generatim curandi omnes artuum fracturas, jam capitibus præcedentibus, ubi diſſeruit de oſſibus cubiti, atque radii fractura, docuit Hippocrates; nunc proinde, poſteaquam tradidit modum, quo oſſa humeri diffracta reſtitui debeant, reliquum curationis eo ipſo modo, quem prius ipſe docuerat, tractandum eſſe ait; dixerat enim *cap. 7. Hic ſermo veluti lex poſita eſt de fracturarum curatione, & quomodo tractare oporteat, & quomodo eventus ſequi ex juſta tractatione.* Omnia tamen, quæ jam præceperat, hic iterum in compendium referre non incongruum duxit.

(16) NONA DIE. Hippocrates ubi *cap. 5.* docuerat, quales interrogationes fieri debeant ægroto poſtquam fracturam deligaverimus, & quibus ſignis in parte affecta conſpicere poterimus, an mediocris ſit deligatio, & per tertium diem deligare, magis comprimendo; tum inde ſeptimo die, in oſſium cubiti fractura, ferulas adhibere juſſit. Hic autem de humero fracto ſcribens, addidit; *Aut nona die cum ferulis deliget*: quoniam, ut ait *Galenus* in hujus *textus comment. Muſculorum magnitudo, qui circa brachium ſiti ſunt, quandoque in cauſa eſt, cur longiori tempore opus ſit, ut partes, quæ circa fracturam ſunt, graciles prorſus, ac laxæ evadant.* Ferulæ autem, quæ circa humeri os fractum apponuntur, diverſas longitudines habere debent, ut commode membri ſtructuræ aptentur, parteſque excarnes, atque prominentes caveantur; ſicuti *Hippocrates lib. Chirurg. Officin. num. 9.* docuit. Paucis, ſed luculenter, doctiſſimeque has diverſas ferularum longitudines ita deſcripſit *Celſus lib. 8. cap. 10.*, inquiens; *Cum ad ferulas ventum eſt, extrinſecus eſſe earum longiſſimæ debent, a lacerto breviores, ſed ſub ala breviſſimæ.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT IX.

Brachii os fractum quadraginta diebus corroboratur. Victus eorum ratio. Brachii ossis incurvatio, quomodo præcavenda.

CORroboratur autem maxime os brachii in quadraginta (1) diebus. Postquam vero hos excesserit, solvere oportet, & minus comprimere, & paucioribus quoque linteis deligare (2). Ceterum victum quendam exquisitiorem, quam prius constituere oportet, & ad longius tempus (3). Ejus vero conjecturam facere oportet, ad tumoris, qui

(1) QUADRAGINTA. Diebus quadraginta os humeri fractum corroborari Hippocrates asserit, experientia confirmat: sed tamen huc quoque referre debemus monitum, quod *cap. 6.* ipse protulit, dicens; *Certum tamen nihil est: nam natura a natura, & ætas ab ætate valde differt. Vid. not.* (13) (14) *cap. 6.* Cubiti quidem fracturam triginta diebus consolidari dixerat Hippocrates; humeri autem os, quod majus est, longius tempus ad calli generationem requirit.

(2) DELIGARE. Postquam os brachii quadragesimum diem excesserit, deligationem solvere jubet Hippocrates, & paucioribus linteis iterum deligare, atque minus comprimere. Sed quoniam superius *cap.* 8. dixerat; *Et reliqua omnia, quemadmodum prius monuimus, tractet*: prius autem, ubi generalem doctrinam, & veluti legem ad omnes fracturas posuit, ita monuerat; *postquam autem solveris, aquam calidam affundere oportet, & postea deligare, paulo minus comprimendo, quam antea, & paucioribus linteis, quam prius*; ideo intellexit, quod hic quoque aquam calidam perfundere oportet, eadem de causa, eodemque modo, quo *not.* (15) *cap. 6.* adnotavimus. Quoad minus comprimentem deligationem, atque minorem linteorum quantitatem; *Vid. not.* (16) (17) *cap. 6.*

(3) TEMPUS. Victum exquisitiorem, quam prius proposuerat, ubi de ossibus cubiti disseruit, in hac humeri fractura constituere mox jubet Hippocrates; ibi enim dixerat; *Victur sufficit aliquanto simplicior: & obsoniis tenellis, quæ transitui mediocritatem exhibent: a vino vero, & carnis esu abstinendum*; ut in *cap.* 7. adjectisque adnotationibus observavimus. Hic autem, quum os humeri multo sit crassius cubiti, & radii; proindeque in ejusdem fractura major fiat vasorum, nervorum, atque membranarum, ejus intercurrentium substantiam, laceratio; ne ex hoc ulla primis diebus inflammatio excitetur, febris, atque suppuratio, exquisitiorem, parcioremque victum ægri sumere debent. Et quoniam ibi dixerat Hippocrates; *Verum parciore victu utendum est ipsis usque ad diem decimum*; ideo hic, ubi major cura requiritur, non modo *exquisitiorem victum*, sed etiam *ad longius tempus*, quam ad diem decimum, in eodem victu perseverandum esse præcipit. Post quod tempus, siquidem omnia bene cesserint, sensim æger reficiendus est, ut ibidem Hippocrates monuerat; *Postea tamen sensim progressu facto reficiendi sunt. Vid. not.* (6) *cap.* 7.

©BIU Santé

qui in ſumma manu eſt, robur reſpiciendo (4). Inſuper autem & ad hæc animum advertere oportet: quod brachium a natura ad externam partem incurvatum eſt (5), & diſtorqueri (6) ſolet, ſi non bene

(4) RESPICIENDO. Ut autem tenuitas, atque diuturnitas talis victus, pro ratione, ſecundum fracturæ qualitatem, ægrotique naturam, adminiſtraretur, in medium ponit, ut reſpiciamus ad manus tumorem, atque ad ægrotantis robur. Si enim tumor in manu ingens ſit, dolor adſit, vel gravis contuſio fracturæ acceſſerit; victus tunc exquiſitiſſimus eſſe debet, & ad longius tempus, eo ſcilicet uſque, quo hæc ſymptomata ſubſederint. Sin vero hæc non ſupervenerint, & ægrotus debilis ſit, tum eum maturius, ne vires exhauriantur, licebit reficere. Ætatem inſuper, atque ægroti conſuetudinem reſpicere convenit: puero enim, vel athletico homini multo cibo aſſueto aliquid concedemus; uti *Hippocrates Aphor.* 17. *ſect.* 1. de ægrorum cibo loquens, dixit; *Et quibus ſemel, aut bis; & plus, aut minus, & ex parte exhibere oportet, conſiderandum eſt. Dandum vero etiam aliquid eſt tempori, & regioni, & ætati, & conſuetudini.*

(5) INCURVATUM EST. Humerus in ſua extremitate ſuperiori, quæ caput humeri communiter vocatur, convexam habet prominentiam, quæ dimidium globuli repræſentat; hæc oblique eſt collocata, atque ad partem internam deflectit; ubi cum cavitate glenoidea ſcapulæ articulatur. Hoc ſemirotundum humeri caput, quod ſuperius cum centro oſſis humeri ad angulum acutum conjungitur, obliquitatem efficit, qua humerus, ut ait Hippocrates, ad externam partem incurvatur. Accedit etiam, quod in oſſe humeri ad externam partem, præcipue circa ejus medium, aſperæ quædam prodeunt prominentiæ, quæ muſculorum illuc decurrentium inſertioni inſerviunt, ex quibus fit, ut humeri os probe in ſceleto conſideratum, ad externam partem incurvatum, atque ſcabrum; in interna vero læve, atque ſimum videatur: cujuſmodi fabricæ elegantiſſimam rationem reddit *Galenus* in ſuis illis eruditiſſimis libris *de Vſu Partium lib.* 2. *cap.* 16. inquiens. *Os igitur brachii rationabiliter extrinſecus quidem magis giberoſum eſt: internis vero partibus magis ſimum. Melius enim fuit (ut etiam mox a principio dictum eſt) ad ſe invicem converſas fuiſſe manus. Quod ſi eſt, concavas quidem oſſium partes, ſe invicem aſpicere præſtitit, avertere vero foras ipſorum convexitates. Mox autem hujuſmodi conſtructio brachia efficit aptiora ad apprehendendum corpora convexa, & gibboſa: præparando ſimul locum vaſis, quæ ad totam manum feruntur.*

(6) DISTORQUERI. Si os humeri fractum non bene curetur, plerumque diſtorqueri, ait Hippocrates. Revera, cum propter humeri incurvationem ad eam partem, ut mox adnotavimus, tum propter muſculorum, qui in externa humeri parte inſeruntur, contractionem, atque nixum, id accidit. Omnes enim aſperitates, inæqualitateſque, quæ in externa humeri facie reperiuntur, muſculorum inſertiones ſunt, qui muſculi, ut Deltoides, Supraſpinatus, Coracobrachialis, aliique, facto oſſe, eorum contractione ad externam partem humerum producunt: facies enim humeri interna lævis eſt, neque oppoſitas habet muſculorum inſertiones, quibus contrario nitatur. Muſculi autem antagoniſtæ, ut & Biceps quoque, atque Brachialis internus, qui eorum directione humerum aliorſum deflecterent,

©BIU Santé

bene curetur. Sed & alia omnia ossa, quæ a natura ad hanc partem distorta sunt, etiam dum curantur, ubi fracta sunt, distorqueri solent (7). Ubi igitur tale quippiam in suspicionem venerit, lata insuper fascia brachium circumcirca complecti oportet, & circum pectus deligare (8); & ubi quiescere volet, inter cubiti flexuram, & costas, splenium quoddam multiplex convolutum, ac complicatum supponere: aut aliud quid, quod huic simile existat: hoc enim modo incurvatio ossis recta evadet (9). Cavere tamen oportet, ut ne nimis ad internam partem vergat (10).

rent, in ea angulari flexura cubiti, quam Hippocrates præcipit, laxi sunt, neque eorum contractilitate ossa ad se trahere possunt; hinc est, quod, ut Hippocrates monuit, os humeri fractum ad externam partem distorqueri soleat.

(7) SOLENT. Vult Hippocrates, quod hujusmodi animadversio, non solum fracturæ humeri, verum etiam omnibus aliorum ossium fracturis adhibeatur, ubi, vel secundum naturam os in aliquam partem incurvatum est, vel robustiorum musculorum insertiones id distrahere possunt. Ideo, ut in ceteris chirurgicis operationibus, atque curationibus, sic etiam in fracturis curandis summa Anatomiæ peritia, cognitioque in Chirurgo requiritur.

(8) DELIGARE. Superius *not.*(2) *cap.6.* adnotavimus, quod Hippocrates dixerat; *Crassissimam autem ferulam esse oportet, qua parte extat fractura*, quod monitum in hoc casu locum maxime habere debet. Sed nunc speciale adhuc aliud auxilium tradit pro humeri fractura. Ait enim, quod, si in suspicionem venerit, fracturam ad externam partem deflectere posse, tunc, præter ea, quæ in generali curatione fracturarum attulit, humerum insuper lata fascia circumcirca complecti oportet, & totum thoracem circumeundo, ita ad pectus humerum firmare, ut extrorsum decedere nequeat. Sic enim ossa in sua sede coercentur, & ii musculi, qui supra medium ossis humeri inseruntur, ut Deltoides, Coracobrachialis, aliique, fascia compressi, minus contrahentur.

(9) EVADET. Quamvis humanus thorax in sceleto consideratus ad conicam figuram quodammodo accedat, cujus basis inferius, ubi diaphragma inseritur, vertex vero superius sit; costæ enim, quæ thoraci figuram præbent, arcus sunt in superiori parte minores, qui sensim descendendo, majores semper evadunt, ita ut ampliſſimus sit thorax in sui parte inferiori: *Vid. Paavv. de human. Corpor. Ossibus Par.3. Cap.* 1.: os tamen humeri, quod ab ejus superiori parte descendit, ad perpendiculum thoraci appositum, sua inferiori extremitate, ubi cum cubito articulatur, latos illos infimarum costarum arcus non attingit. Claviculæ enim, quibus inter cæteros animantes solus homo donatus fuit, humeri supernam articulationem cum scapula ita a proximis costis remotam retinent, atque sustentant, ut licet extrorsum costarum inferiores arcus amplientur; attamen brachium, vertebrarum columnæ parallelum positum, cubiti flexura ad costas accedere nequit, quin os humeri oblique introrsum deflectat: idque eo magis evenit, quod breviores ibi postremarum costarum spuriarum arcuationes, thoracis amplitudinem ali-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 110 sur 355

©BIU Santé

qnatenus demittunt. Quoniam ergo in fractura humeri, ut os ad externam partem non incurvaretur, brachium circum pectus deligare jusserat Hippocrates; ne ex allata structura, brachium ad costas oblique inclinatum deligaretur, monet, ut inter cubiti flexuram, & costas, splenium quoddam crassum, ac complicatum supponamus, aut aliud quid, quod huic simile existat: sic enim os humeri erit in rectum, & fascia, quæ id circumplectitur, incurvationem ossis ad externam partem melius, atque validius impediet.

(10) VERGAT. Ne quis his suis præceptis abuteretur, & hac humeri deligatione imprudenter administrata, efficeret, ut nimis ad internam partem os humeri vergeret; atque sic, dum unum infortunium evitare studeret, in alterum ob inconsiderantiam incideret, hoc monitum subjunxit; *Cavere tamen oportet, ut ne nimis ad internam partem os vergat*. Ubique in suis scriptis Hippocrates ingenium Chirurgi tali prudentia ornatum requirit, ut præter artis præcepta, quibus optime instructus esse debet, sciat suo etiam marte, propriisque cogitatis, atque inventis, pro rerum circumstantiis, operationes conficere; nam ut ait *Cicero lib.* 5. *de Finibus*. *Omnibus artibus volumus attributam esse eam, quæ communis appellantur prudentia, quam omnes, qui cuique artificio præsunt, debent habere*. Hujusmodi monitum etiam *not.* (3) *cap.* 6. Hippocratem tradidisse adnotavimus.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT X.

Pes hominis ex multis, & parvis ossibus constat. Pedis ossium loco motorum compositio eadem, quæ manuum. Pedis ossium fractorum curatio. Quot diebus sanentur.

PES vero hominis ex multis, ac parvis ossibus compositus est (1), quemadmodum etiam summa manus (2). Franguntur quidem non ita

(1) COMPOSITUS EST. Multorum animalium pedes ex unica, solidaque ungula, ut equorum; vel bifida, ut boum, ceterorumque ruminantium, constructi sunt; ferarum vero, & illorum animantium, quorum pedes in digitos finduntur, ut & alitum, ex multis, ac parvis ossibus constant. Homo, quem *Plato* divinum animal vocat, ex iis est, quorum pedes in digitos dirimuntur; atque ideo ejus pedes, qui etiam præ reliquis animalibus longissimi sunt, (ut, & qui erectus stare, cælumque contemplari debeat) ex multis ac parvis ossibus, ut ait Hippocrates, sunt compositi. Ab Anatomicis in tres partes dividuntur, in Tarsum scilicet, Metatarsum, & digitos. Tarsus ex septem ossibus constructus est, quæ propriis nominibus distinguuntur, quorum primum Astragalus, sive Talus appellitatur, qui cum ossis tibiæ extremitate articulatur. Secundum Calcaneus, sive os Calcis dicitur; tertium os Naviculare, seu Scaphoides; quartum Cuboides; tria vero reliqua Cuneiformia nuncupantur. Horum omnium ossium figuras, & articulationes, non mei instituti munus est, hic sigillatim referre, quoniam jam satis, atque accuratissime apud Anatomicos descriptæ reperiuntur, quorum inter ceteros legi merentur *Vesalius*, & *Winslowius*. Verum ossium Tarsi, quemadmodum & Carpi figuræ, atque articulationes, conjunctioneſque inter sese, adeo inæquales, præruptæ, irregularesque sunt, ut tyrones monitos velim, quod horum ossium fabricam, neque in libris Anatomicorum, neque in eorum tabulis anatomicis, unquam satis addiscere, atque percipere poterunt; sed eos necesse est in sceleto illa prius considerare, manibusque versare; atque tum postea cum Anatomicorum descriptionibus conferre. Hæc equidem deberet studendi methodus esse, etiam in omnibus reliquis aliis ossibus: sed si difficulter veram aliorum ossium fabricam assequentur sine humani sceleti contrectatione; impossibilis quidem, sine ea, horum ossium erit constructionis perceptio. Tarsum Metatarsus sequitur, quinque ossibus, quæ digitos sustentant, compositus. Digitorum pedis maximus, Pollex dicitur, qui ex duobus constat ossibus; reliqui vero quatuor digiti, ex tribus conflantur, quæ ordinatim posita, phalanges nuncupantur. Digiti tamen parvi, ut & quandoque etiam secundi duæ extremæ ossium phalanges, quæ valde exiguæ sunt, in unum os concretæ non raro reperiuntur. Ex ossibus igitur Tarsi, Metatarsi, & digitorum, vigintisex ossibus pedem coagmentatum esse constat; atque ideo Hippocrates dixit; *Pes vero hominis ex multis, ac parvis ossibus compositus est.*

(2) MANUS. Summa manus, quemadmo-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 112 sur 355

©BIU Santé

admodum pedes, ex multis, ac parvis ossibus composita est; ossa enim Carpi, Metacarpi, & digitorum, multa, ac parva ossa sunt, quibus manus constituitur. Pedes tamen structuram, & configurationem, ut omnibus compertum est, a figura, & configuratione manus, diversissimam habent. Horum differentia, ex ossium præcipue Tarsi figura, compositione, atque magnitudine ab Carpi ossibus summopere diversa, procedit. Ossa enim Carpi octo numerantur, quæ exigua sunt, & in seriem conjuncta; Tarsi vero ossa & grandiora, & alio prorsus ordine disposita, & numero pauciora deprehenduntur; non enim octo, ut in Carpo, sed septem tantummodo numerantur, quamvis *Galenus lib.* 3. *de Usu Partium*, ubi diffuse, accuratissimeque humani pedis figuram, structuram, usum, facultatesque perpendit, Tarso quoque octo ascribat ossa; in quem errorem *Vesalius*, qui in suis scriptis nihil parcit Galeno, acriter insurgens *lib.* 1. *cap.* 33. ait; *Galenum in Pindaro irridendo magis, quam spectandis ossibus occupatum fuisse*. Verum etsi Galenus alicubi in anatomicis rebus defecerit, multa tamen, & præstantissima sunt, quæ in disertissimis ejus libris *de Anatomicis Administrationibus*, & *de Usu Partium*, legimus: atque si in aliquot errores incidit, non ingenii, aut solertiæ culpa fuit, sed penuria cadaverum humanorum; ferebat enim illorum temporum, Religionis causa, tum apud Græcos, tum apud Romanos, consuetudo, ne humana cadavera dissecarentur. Licet igitur, quum de Anatome loquitur, quandoque errarit *Galenus*, tanta nihilominus, & varia sunt, quæ reliquit, monumenta sagacitatis, atque doctrinæ, ut vel ab invidis, vel ab iis tantum, qui nunquam ejus opera pervolverunt, despiciatur. Porro ingratus etiam *Galeno Vesalius* fuit; nam nisi facem ei prætulisset vir Pergamenus, immortale illud *de Fabrica Humani Corporis* opus concinnare non potuisset. Gratum contra *Galeno* se præstitit *Realdus Columbus* in egregii *de Rebus Anatomicis* libri præfatione, dum inquit; *de Galeno autem non negaverim, illum non modo in Anatome mihi, cæterisque, sed in reliquis Medicinæ partibus ducem fuisse, infinitumque esse, quantum tanto viro Medici omnes post Hippocratem debeant*. Revera *Galeno* deerat copia cadaverum humanorum, hinc bruta sæpius, præcipue simias, exenterare coactus erat, secus atque, *Caroli Quinti Cæsaris* auctoritate, *Vesalio* contigit. Narrat idcirco Galenus, quod illis temporibus Alexandriæ tantum Medici, qui Anatomiam docebant, humanum sceleton possidebant, atque demonstrabant, quare tyronibus suasor fuit, ut sese illuc conferrent, ad veram humanorum ossium fabricam, connexionemque assequendam: ait enim *lib.* 1. *de Anatomicis administrationibus*. *Hoc autem sit opus, tuum hoc studium, ut non librorum modo lectura, verum sedula etiam inspectione, fideque oculata, cujusque ossis humani speciem, accurate perdiscas. Quod quidem in Alexandria multo facilius facies, ubi Medici ossium disciplinam auditoribus ante oculos exponunt. Enitendum itaque tibi censeo, ut in Alexandria commoreris, si non alterius, at hujus certe rei solius gratia. Quod si non assequaris, licebit vel in eum modum hominum ossa contemplari, quo ego quoque usus sum*. Post hæc enim narrat, ipsum diruta monumenta, sepulcraque Græcorum perlustrasse, exsiccatumque insepulti furis cadaver, quod extra viam procubuerat, perquisivisse, ut ossium humanorum fabricam consideraret: adeo accurata in *Galeno* erat anatomiæ addiscendæ cupiditas, adeo laboris indefessa patientia. Quamvis itaque *Galenus* in hujus textus Hippocratis commentario dixerit; *In manu autem reliqua est prima pars palmæ ex octo ossibus coagmentata*:

©BIU Santé

ita valde hæc ossa (3); si non una cum corpore, ab acuto aliquo, aut gravi,

tata: in pede vero prima palmæ pars, una cum calce, & talo, quæ omnia octo sunt; præstantissima tamen, multaque eruditione medica referta, omnia ejus in Hippocratem sunt commentaria. Fuit enim *Galenus* doctrinæ Hippocraticæ optimus propugnator, atque divulgator; maximaque sunt, quæ suis summis laboribus, atque sapientia promeruit. Alia etiam ratio referri potest, quæ hunc *Galeni* errorem maxime excusat. Quamvis enim Hippocrates in hoc textu ossium pedis numerum non declaraverit, sed tantum generatim dixerit; *Pes hominis ex multis, ac parvis ossibus compositus est, quemadmodum etiam summa manus*; attamen *in libro de locis in Homine* sigillatim eundem ossium esse numerum in manu, atque in pede designat; ait enim. *Et in pedibus articuli multi, quemadmodum & in manibus sunt. Quot enim ossa, tot sunt articuli. Et in digitis pedum eodem numero sunt, ac pari modo habent.* Rationem autem, qua eundem in manus, ac pedis ossibus numerum Veteres protulerint, hanc esse autumat *Franciscus Perla Comment. in lib. de loc. in Hom: lib. 1. text. 39.* inquiens. *At in more fuit priscis authoribus in Tarsi ossiculis, malleola etiam interdum annumerare, quasi in unoquoque pede duo malleola ab unico osse constituantur, unde octo ossa ipsimet Tarso assignarunt, ut fecit Galen. lib. 2. de Fract. text. 8., & Rufus Ephesius, notatque Riolanus comment. in Galen. lib. de Ossibus cap. 24.; ex quo & Hippocratem id ipsum voluisse existimandum est, dum æqualem ossium numerum manibus, pedibusque assignavit.* Idcirco Galenum quoque octo in Tarso ossa recensuisse putamus. Hippocrates insuper *lib. de ossium natura* scripsit; *Manus ossa, septem & viginti numerantur, pedis quatuor, & viginti*: sed etiamsi *Foesius tom. 1. pag. 326.*, ubi humani corporis ossium numerum ex veterum sententiis recenset, eorumque varium ossa dividendi modum commemorat, scripserit; *Verum ista Medicinæ pars, non adeo exacte a Veteribus fuit exculta, aut ornata*; nihilominus apud *Oribasium lib. 15. Collectorum Medicinalium cap. 23.* accuratam legimus ossium Tarsi, Metatarsi, atque digitorum pedis descriptionem, vix ut majori a Recentioribus diligentia exprimi potuisset. Hanc autem manuum cum pedibus congruentiam apposite ad hunc Hippocratis textum describit *Celsus lib. 8. cap. 1.*, ubi ait; *Ossa pedis ad eorum, quæ in manu sunt, similitudinem instructa sunt, plantæ palmis, digiti digitis, ungues unguibus respondent.*

(3) Hæc ossa. Ossa pedis, quemadmodum & manus, quoniam parva sunt, si quis ex alto ceciderit, vel aliquod durum, & grave pondus in ea impegerit, non facile franguntur; sed potius vi, atque ictus impetu, eorum connexiones dehiscunt, dilacerantur ligamenta, atque suo loco abscedunt; adeo ut illata eis vis, emotiones potius, aut luxationes, quam fracturas efficiat. Corpora enim dura, parva, & elastica, si ab alio majori, duro, elasticoque corpore percutiantur, in motum propelluntur: vel si in aliquod durum, firmumque corpus impegerint, resiliunt, pro motus quantitate, qua in id impulsa fuere; uti constat ex mechanicis: ideo pedis ossa in utroque casu facilius de sua sede avulsionem, quam fracturam patiuntur. Contrarium autem in majoribus ossibus, ut tibia, femore, aliisque accidit; nam ea percussa, motus illati directionem non sequuntur, neque in corpus durum

©BIU Santé

gravi, vulnerato (4). Vulnerata igitur quomodo curare oporteat, in ulcerationum parte refertur (5). Si vero quid e loco ſuo motum fuerit, aut digitorum articulus, aut aliud quoddam ex oſſibus ſummi pedis, unumquodque in ſuum locum cogere oportet, quemadmodum & ea, quæ in manu ſunt (6). Curare vero oportet cerato, & ſple-

rum illiſa reſiliunt; ſed omnem quantitatis motus impetum, & vim ſuſtinent, unde facilius franguntur. Hinc hominis manus, & pedes, quoniam ex multis, & parvis oſſibus compoſita ſunt, *non ita valde franguntur*, ut dixerat Hippocrates.

(4) VULNERATO. Evenit quandoque, ut inſtrumentum percutiens, vel adeo acutum ſit, vel adeo grave, ut oſſa pedis frangantur: verum tunc fracturam ſemper cum ſuperincumbentium partium mollium vulnere fieri, Hippocrates affirmat. Equidem pes hominis, excarnis admodum eſt, atque ejus oſſa, in ſuperiori ſpeciatim parte, ſola cute, fere nulla pinguedine, aliquot tendinibus, atque membranis gracillimis contegitur; ideo ſi acutum inſtrumentum, ut acinaces, vel ſecuris eum valide percuſſerit, vel corpus grave, durumque, ut ſaxum, vel onuſti plauſtri rota contriverit, vel globulus aliquis a tormento bellico explosus feriet, franguntur tunc quidem oſſa, ſed ſuperincumbentia quoque tegumenta dilacerantur; corpus enim molle, inter duo duriſſima corpora percuſſum, debet diffindi. Idcirco pedis oſſa ſæpiſſime luxari, rariſſime vero frangi, quin vulnus quoque acceſſerit. Hippocrates affirmat.

(5) REFERTUR. De oſſium fractura ſimplici, & quam vulnus non concomitatur, ſermonem in præſentia Hippocrates habet; deinceps vero de fracturis cum vulnere loquuturus. Quum autem in pede, atque manu fere nunquam citra vulnus accidere fractura ſoleat; ideo hujuſmodi fracturarum curationem docere diſtulit ad eum locum, ubi de fracturis cum vulnere diſſeret; interea tamen ad pedis, vel manus oſſa dumtaxat diducta, vel luxata, quibus vulnus non ſolet accedere, orationem modo divertit.

(6) IN MANU SUNT. Mirum alicui videri fortaſſe poterit, quod Hippocrates, qui de fracturis in hoc libro dicere inſtituerat, ad pedis, manuſque luxationes ſermonem direxerit; ſed (præter rationes, quæ *not.* (1) *cap.* 40. adducuntur) perpendenti, quod hujuſmodi oſſa facilius luxantur; atque etiam, quod quoties franguntur, ſemper fracturam luxatio quoque concomitatur, Hippocratem de ſuo inſtituto non receſſiſſe apparebit. Etenim dum oſſa ſuo loco dimota reponuntur, fragmenta quoque, ſi aderunt, in ſuam ſedem cogentur; ideo in horum oſſium luxatorum doctrina, fractorum etiam curatio continetur. Sic *Palladius Schol.* in hunc Hippocratis textum, ait. *Quærunt nonnulli, cur quum de fracturis diſſerat, luxationum mentionem faciat? Idque fieri dicimus, quia hic plerumque luxationes, non fracturas, fieri contingat, quoniam oſſicula parva ſunt, & diffugiunt, aut quia etiam ſi fracturam patiantur, omnino ad ipſam propter eandem cauſam luxatio etiam conſequatur.* In hoc igitur textu ait Hippocrates. *Si quid e loco ſuo motum fuerit, aut digitorum articulus, aut aliud quoddam ex oſſibus pedis; unumquodque in ſuum locum cogere oportet, quemadmodum & ea, quæ in*

©BIU Santé

in manu ſunt. In pede quidem noxam patientur, vel oſſa digitorum, vel Metatarſi, vel Tarſi: in manu autem, digitorum, Metacarpi, & Carpi oſſa æque luxari, ac frangi poterunt. In libro, qui *Mochlicus* inſcribitur, luxatorum digitorum curationem ſic tradit *Hippocrates*. *Digitorum vero luxatio patet, quæ nec ſcribenda eſt, quos in menſa poſitos recta diſtendito, quodque prominet trudito, & retrudito. Medela conveniens linteis, faſciis, ſuperligatione peragitur; qui ſi non reponantur, foras extuberant, callumque obducunt.* (Ex interpretat: *Fabii Calvi pag.* 654.) Luxationem igitur, vel fracturam digitorum adeo patere, atque facile cognoſci ait Hippocrates, ut non egeat deſcriptionis. Quum enim digitorum oſſa ſolis communibus tegumentis, atque gracillimis, complanatiſque tendinibus, in externa tantum, & interna eorum facie, contegantur, ipſorum fracturæ, atque luxationes in conſpectum facile prodeunt. Docet autem repoſitionem fieri, eos recta diſtendendo, & os quod eminet, digitis pollice, & indice comprimendo, ac confirmando: quod ut facilius, majoreque vi effici poſſit, ſuadet etiam, ut luxatus digitus ſuper menſam diſtendatur; quam operationem delineavit *Scultetus tab.* 24. *fig.* 2.: Quoad medelam, deligationemve, accuratiſſime hanc deſcribit *Paulus Ægineta lib.* 6. *cap.* 101., ubi de manus digitis loquens, ſic ait. *At ſi acies digitorum, aut digitus ſimpliciter confractus eſt, ſiquidem magnus, & pollex appellatus fuerit, poſt commodam deligationem ab inferiore parte, ipſum utique cum manu ligabis, ne dimoveatur: ſi ex aliis quiſpiam, vel index, vel parvus digitus, proximo colligabitur: ſin aliquis ex mediis, iis qui utrinque habentur, vel etiam omnes deinceps ligari una debent, melius enim conquieſcunt: quemadmodum ſi confracti ferulis quoque colligentur.* Quapropter *Paulus Ægineta*, quomodo digitorum manus fracturæ debeant deligari, optime docet; ubi animadvertendum eſt, quod pollex digitus cum proximo digito colligari nequit, ne nimis introrſum deflectat; ſed in parte inferiori cum manu eſt deligandus, ut ſtabilius contineatur; totus autem digitus ſpleniis, feruliſque ex parvis tabellis, vel craſſiori carta confectis, optime muniendus eſt; uti ait *Col de Vilars tom.* 5. *capitr.* 19. *On peut auſſi le garnir de carton particulierement le pouce qui ne peut ſe lier aux autres doigts. Enſuit on place la men dan l' echarpe.* Monet etiam Hippocrates, quod *ſi digiti non reponantur, foras extuberant, callumque obducunt*. Oſſa enim digitorum ad internam manus partem naturaliter incurvantur ad prehenſionis commoditatem; atque etiam eorum articulationes ita conſtructæ ſunt, ut ad internam partem prorſus deflecti, ad externam vero tantummodo in rectitudinem extendi digiti poſſint. Ginglimoidea enim horum articulatio exiguam habet eminentiam ad ſuperioris oſſis externam partem, quæ extenſioni remora eſt, eundemque præſtat uſum, quem in olecrano obſervavimus *not.* (16) *cap.* 2.; ideo ex ejuſmodi articulationis digitorum ſtructura, ſi luxatus, vel fractus digitus non reponatur; *Foras ad externam partem oſſa extuberant, ibique callum obducunt*. Hanc digitorum expulſionem ad externam partem impellunt quoque, magiſque provehunt muſculi Lumbricales, Sublimis, atque Profundus, qui eorum tendinibus in internis faciebus phalangum digitorum inſeruntur, eorumque contractilitate digitos ad internam partem deflectunt, antagoniſtæque muſculi extenſoris communis digitorum (qui tendines laxiores habet, ad digitorum flexionem concedendam) longe ſuperant reſiſtentiam: ex quo etiam evenit, ut ultro, & in naturali ſtatu, omnes manuum digitos,

©BIU Santé

tos, pollice tantum excepto, inflexos tenere commodiſſime ſoleamus. Si vero oſſa Metacarpi, vel Metatarſi fracta fuerint, extenſione per miniſtros adminiſtrata, Chirurgus vel digitis, vel manuum volis adhibitis in ſuam ſedem reponat; poſtea vero, ut docuit Hippocrates, unctione, faſciis, atque ſpleniis curandum eſt: primis tamen diebus leniter conſtringendo, ne his partibus, quæ plurimis, robuſtiſſimiſque ligamentis, (ut præcipue in Metatarſo) tendinibus, atque nervis colligantur, dolor, atque inflammationes excitentur. Ferulas autem raro his oſſibus adhibere oportet, quoniam aliquo ex his fracto, id a proximis integris oſſibus in ſua ſede retinetur, prohibeturque membrum, ne muſculorum actione contrahatur, & fragmentorum unum ſuper aliud efferri poſſit: proinde hic quoque illud *Celſi* monitum adhibendum, dum de oſſium brachii fractura loquens, ait; *Ubi alterum integrum eſt, plus opis in eo quam in faſciis, feruliſque eſt.* Si ergo manus volam, aut pedis plantam ſatis multis ſpleniis æquaverimus, aliaque dorſo quoque, oppoſitæ ſcilicet parti, adhibuerimus, ſupervolutis faſciis, in ſua ſede fractura his optime retinebitur. Verum ſi forte univerſa, vel Metacarpi, vel Metatarſi oſſa fracta fuerint; in hoc caſu ferula etiam adjicienda eſt, ne membrum incurvetur, ejuſque actiones poſtea lædantur. Ad Metacarpum fulciendum una ſufficiet ferula, quæ tantæ debet eſſe magnitudinis, ut totam manus palmam, digito pollice excepto, occupet; dein anguſtior facta, Carpum, atque Cubitum percurrat, faſciaque deligetur. Ferula igitur, quæ Metacarpi fracturæ admovetur ab oſſe cubiti ſtrictior, ad totam manus palmam latior ſit, quæ non ultra primas digitorum articulationes, ſuper ſplenia, protendi debet, digitiſque aliquatenus inflexis, eodem modo manus poſtea collocanda, quemadmodum docuit Hippocrates de fractura cubiti. Ad oſſium vero Metatarſi fracturam, pedis planta ſpleniis prius æquata, ferula ejuſdem figuræ eſt adhibenda, qualis ſoleæ calceamentorum figura eſt; atque ægrotus in lecto ſupinus debet decumbere, cavendumque, ne digitorum extremitates nimio ſtragulorum pondere comprimantur. Qualis digitorum manus fractorum figuratio, qualiſque digitorum pedis eſſe debeat, elegantiſſime docet *Paræus lib.* 14. *cap.* 19. his verbis. *Cæteris ad curationem peractis, glomere linteo vola manus complenda eſt. Sic enim oſſa fracta non modo facilius ſuo ſtatu continentur, ſed & digiti ipſi in figura media conſervantur, plane ut nec omnino explicati ſint, nec in pugnum compreſſi. Si alia in figura contineantur, qui concreſcet callus, actionem manus, quæ in comprehendendo eſt, vel depravabit, vel abolebit penitus. Res aliter in fractis pedum digitis habebit. Recti enim illi, & explicati continendi ſunt, ne ingrediendi, ſtandique libertas præpediatur.* Oſſium autem Carpi, & Tarſi fractura rariſſime contigit; ſed plerumque, ob eorum parvitatem, atque duritiem, ejuſmodi oſſa a valentioribus ictibus conteruntur, nec abſque vulneratione, ut ex Hippocratis ſententia ſuperius *not.*(3), & (4) adnotavimus; atque tum majorem curam vulnus, quam fractura exhibet: periculum enim eſt, ne in gangrænam vulnus faceſſat, ægerque de medio tollatur. De hiſce vulneribus inferius Hippocrates docebit, dixit enim; *Vulnerata igitur quomodo curare oportet, in ulcerationum parte refertur.* Horum vero oſſium luxatorum, atque fractorum curationem in *Mochlico*, atque in libro *de Articulis* diffuſe *Hippocrates* docet.

(7) Exce-

©BIU Santé

& ſpleniis, & linteis velut etiam fracturas, exceptis ferulis (7), eodem modo comprimendo, & per tertium diem deligando. Interrogetur item is, qui deligatur ſimiliter, velut in fracturis, & de compreſſione facta, & an laxa ſit deligatio (8). At vero ſana fiunt in viginti diebus perfecte omnia, exceptis his, quæ cum tibiæ oſſibus communionem habent, & cum ipſa e directo (9). Conducit autem hoc tempore decumbere (10). At non tolerant contemnentes morbum: verum priuſquam ſani fiant, obambulant (11).

(7) EXCEPTIS FERULIS. Jam nota præcedenti obſervavimus, quod fere nunquam ferulis opus eſt in fracturis oſſium manus, atque pedis; vidimus enim ex *Paulo Ægineta*, quod fractus digitus a proximo integro digito, uti & fractum Metacarpi, vel Metatarſi os ab aliis propinquis oſſibus integris ſatis ſuſtinentur; adeo ut ſolis faſciis, atque ſpleniis curatio perfici poſſit: hinc jure optimo in hoc textu ait Hippocrates, quod curare oportet *velut etiam fracturas exceptis ferulis*. In eo tamen caſu, in quo vel plurimi digiti, vel omnia Metacarpi, aut Metatarſi oſſa fracta fuerint, ferula, veluti ſuperius innuimus, adhiberi debet, ut in naturali figuratione oſſa retineantur; ut docet *Guido a Cauliaco Tract.* 5. *Doctrin.* 1. *cap.* 8. inquiens. *Raſceta pedis raro frangitur, & quando frangitur, difficilis eſt curationis, ut dicit Avicenna, & ſæpe adducit accidentia mala; de qua dicit Albucaſſis, quod reſtauratur ponendo pedem ſupra terram, & calcando cum pede tuo; emplaſtretur, & ligetur cum haſtella lata ſecundum ventrem, & ſoleam pedis: & compleantur concavitates, ut de manu fuit dictum*. Hujuſmodi ſoleam *Celſus* etiam deſcripſerat, remoramque nominaverat; quam etiam *Heiſterus tab.* 9. *fig.* 6. delineavit.

(8) DELIGATIO. Si quis recte attenderit omnia præcepta, quæ Hippocrates docuit capitibus præcedentibus, ubi generalem fracturarum curationem tradiderat, optime intellexerit, quomodo fracturis poſt oſſium repoſitionem, faſciæ, ſpleniaque injicienda ſint: quare per tertium diem deligandum: quid in ipſo membro deligato conſiderandum: de quibus rebus æger interrogandus. Hic tamen peculariter, an laxa ſatis ſit deligatio, ſedulo animadvertendum eſt: exiles enim pedis, atque manus partes a ſtrictiori deligatione plus ceteris aliis partibus afficiuntur; hiſque facilius ſuppurationes admodum doloroſæ, quæ optimam curationem impediunt, vel ſiderationes ſuperveniunt.

(9) E DIRECTO. Omnia hucuſque memorata manus, atque pedis oſſa, diebus viginti ſana perfecte fieri conſueſcere, Hippocrates affirmat. In pede tamen ea oſſa, quæ cum tibia communicationem habent, vel ipſam directe reſpiciunt, Aſtragalus ſcilicet, & Calcaneum, excipiuntur. Hæc enim, quoniam majora ſunt, longius etiam tempus requirunt, ut conſaneſcant.

(10) DECUMBERE. Oſſium manus fractura mitella de collo ſuſpenſa excipi poteſt, atque circumferri, quin hujuſmodi oſſa, nec dimoveantur, neque ullum aliud malum conſequatur; quemadmodum ſuperius de oſſium brachii fractura Hippocratem monuiſſe adnotavimus. Quum tamen pedes ſuſtinere debeant pondus corporis, oportet idcirco æger ad finem uſque morbi decumbat; ne, callo nondum ſatis firmiter indurato, de ſua ſede fractura deflectat.

(11) OBAMBULANT. Si fractum os femo-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 118 sur 355

©BIU Santé

moris, vel tibiæ fuerit, quoniam tunc corpus ſuſtineri nequaquam poteſt, quin etiam ſimplici cruris motu, dolor excitabitur acutiſſimus ab oſſium fragmentis, quæ circumpoſitas carnes ferient, atque dilacerabunt; neceſſitate coactus ultro tunc æger in lecto decumbet. Ubi vero aliquod ex digitorum pedis, vel Metatarſi, vel Tarſi oſſibus fractum fuerit, pes ipſe, ac totum crus huc illuc moveri adhuc ſine multa moleſtia poteſt, atque etiam vel calcaneo, vel digitis innixis, prout offis fracti ſitus, dolorque monebit, progredi quoque aliquo modo licebit: uno enim ex multis, quæ pedem componunt, oſſibus fracto, cetera eorum integritate totum onus ſatis ſuſtinebunt, pediſque naturalem figuram tutabuntur. Hinc eſt, quod, ut Hippocrates ait, ægroti in oſſium pedis fractura, quandoque decubitum omnium dierum, qui ad oſſium ſanationem requiruntur, non tolerant, morbum contemnunt, & priuſquam ſani fiant, obambulant; quapropter plurimi non perfecte ſanantur.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XI.

Pedum fracturæ propter neglectum decubitum, perfecte curari nequeunt. Tibiæ ossa, cur diuturniorem cæteris pedis ossibus curationem requirant. Aquæ calidæ in articulorum læsionibus usus.

ET propterea plurimi non perfecte sanantur, sed dolor ipsos sæpe merito commonefacit: totum enim corporis pondus pedes vehunt. Quum igitur nondum sani iter faciunt, articuli moti male curantur; ideoque alias, atque alias hi, qui ad tibiam sunt dolent (1). Quæ vero cum tibiæ ossibus communionem habent (2), & majora (3) aliis sunt, & ubi hæc mota sunt, diuturniorem medelam requirunt (4). Curatio tamen eadem est. Verum linteis, & spleniis pluribus uti oportet (5): & in totum hinc, atque illinc deligare,

(1) DOLENT. Si quis incedere tentaverit, antequam pedis ossa luxata, aut fracta, bene firmata, roborataque sint; tunc pondere corporis de sua sede ea iterum propelli, dolor excitari, malaque curatio subsequi, poterunt. Quoties enim pedis os præter naturam deflexum est, mox libera, naturalisque progrediendi facultas perturbatur; ligamenta præterea, quæ in pede robustissima sunt, musculi, tendines, nervique a prorumpente osse vexantur, atque premuntur; unde dolores quoque alias, atque alias, & circa tibiam secundum læsi ossis partem, situmque suboriuntur, ex quibus claudicatio, pravaque pedis figuratio, etiam per totum vitæ decursum perdurans, oriri solet.

(2) HABENT. Astragalus scilicet, sive Talus, qui illud est Tarsi os, quod cum ossibus tibiæ communionem habet, atque articulatur.

(3) MAJORA. Excepto Calcanei, sive Calcis osse, Astragalus major est reliquis omnibus Tarsi ossibus.

(4) REQUIRUNT. Astragalus, ubi articulatur cum extremitate ossium tibiæ, luxari facile potest; frangi vero difficillimum est, nisi a violentissima causa; sed tum proxima etiam ossa franguntur, atque luxantur, periculosumque vulnus accedere solet cum tendinum, atque ligamentorum, quæ articulum connectunt, dilaceratione. Levior enim ictus astragulum frangere nequit; quoniam sub extremitate ossium tibiæ, & fibulæ reconditus est, circumpositaque ossa, ligamenta, atque tendines, eum undique protegunt. Quantum autem difficultatis, atque periculi sit, ob partium circumpositarum vulnus, atque lacerationem, si Astragalus frangatur, alias Hippocrates docebit: hic tamen admonet, quod hoc os diuturniorem ceteris Tarsi ossibus medelam requirit.

(5) OPORTET. Quum ea pedis ossa, quæ cum tibia communicationem habent, propter varias eorum figuras, atque inæqualitates, fenulas non admittant; ideo ut in sua sede retineantur, pluribus spleniis, atque linteis utendum esse docet Hippocrates. Quem-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 120 sur 355

©BIU Santé

gare, comprimere item velut alia omnia, ea maxima parte, qua emota ſunt, & primas quoque linteorum obvolutiones eodem modo facere (6). In unaquaque vero reſolutione, multa calida aqua uti oportet (7). In omnibus enim circa articulos læſionibus, multa (8) aqua cali-

admodum autem *cap. 6.* dixerat; *Craſſiſſimam ferulam eſſe oportet, qua parte extat fractura*; ſic modo intelligere debemus, quod pluribus linteis, craſſioribuſque ſpleniis pars illa pedis præcipue comprimenda eſt, qua extat fractura. Cavendum tamen ſemper eſt, ne ſtricte nimis deligetur; quoniam articulis ſtricta deligatio maxime nocet; nam facilius ob carnearum partium tenuitatem, humorum in eis interceptio fit, ex quo necroſes, non ſine ægroti vitæ diſcrimine, excitari poſſunt.

(6) FACERE. Non modo craſſius ſplenium, ut fractum pedis os, vel luxatum in ſua ſede retineatur, adhibendum; verum etiam faſcias ita injiciendas eſſe cenſet Hippocrates, ut primas convolutiones ſuper eam partem, qua os exciderat, faciamus: & in totum hinc, atque illinc deligemus, quo æqualiter, & in neutram partem, veluti adnotavimus *not.* (19) *cap.* 5., comprimatur. Hoc maxime confert ad oſſium pedis fracturas, & luxationes, ob rationes, quas affert *Galenus* in hujus textus commentario, inquiens; *At ubi pes deligandus eſt, æquabilis deligatio eſt adhibenda, quum oſſa ex ſua ſede prolapſa, non in latus, ſed in ſuperiorem, vel inferiorem partem excidere conſueverint.*

(7) OPORTET. Jam in *cap. 6.* ubi generalem fracturarum curationem docuit Hippocrates, poſteaquam per debitum tempus ferulas adhibuerimus, faſcias ſolvere, & aquam calidam membro affundere juſſit, ut, oſſibus conferruminatis, priſtina fibrarum flexibilitas muſculis, tendinibus, atque ligamentis, ob diuturnam deligationem rigidis factis, atque concretis, reſtituatur; nec non referentur vaſa, humorumque libera circulatio expediatur. In hoc autem textu iterum commemorat, ut multa aqua calida utamur. Quare vero, & quomodo aqua calida utendum ſit, jam *not.* (15) *cap. 6.* adnotavimus.

(8) MULTA. Animadvertendum hic eſt, quod Hippocrates non modo aquam calidam, ut alias, in hoc textu affundendam monet; ſed addidit etiam, quod *Multa aqua calida affundenda eſt*, cum in pedis, tum in omnibus hujuſmodi circa alios articulos læſionibus; ita ut hoc præceptum largiter, & copioſius aquam calidam affundendi, æque in fracturis, aut luxationibus aliorum etiam omnium articulorum exequi debemus. Plerique enim articuli, quoniam ex ſolis fere oſſibus, tendinibus, atque ligamentis compoſiti ſunt, ceteris aliis partibus, quæ craſſis muſculis, multaque pinguedine obteguntur, citius rigeſcunt: a longiori enim faſciarum compreſſione, atque immobilitate, ſubaridæ partes illæ una ſimul omnes facile concreſcunt, naturalemque lubricitatem amittunt. Ut igitur in articulis rigeſcentibus, qui morbus *Ancyloſis* nominatur, fibræ relaxentur, naturaleſque ſucci, mucique, ex quibus partium flexibilitas, mobilitaſque pendet, revocentur, multam aquam calidam perfundemus; ut ait *Van-ſwiet. comment. in Boerrh. aphor.* 35., inquiens; *Hæc enim aquæ, & imprimis tepidæ virtus eſt, ut partes animalium duriſſimas poſſit emollire: ſic cornua, ungues, imo ipſa oſſa aqua tepida poſſumus mollia reddere.* In libro *de Humoribus cap.* 11. ſcripſit quo-

©BIU Santé

calida affundenda eſt. Cæterum compreſſiones, & laxationes in iiſdem temporibus eadem ſigna oſtendunt, quæ in ſuperioribus (9); & religationes eodem modo fiant. Sani vero perfecte hi fiunt in quadraginta maxime diebus, ſi decumbere ſuſtinuerint (10): ſin minus,

quoque *Hippocrates*. *Sed & calida aqua attenuat, ac mollit..... Articulos induratos, aut ab inflammatione aliquando obortа, aut diſtortione, operæ precium eſt ſanare aqua calida in utriculum infuſa*. Verum *Petitus*, aut a fracturarum callo, qui circumfuſus, lateque nimis expanſus tendines, ligamentaque una cum fractis oſſibus conglutinat; aut a ſinovia articulorum ſinus nimis replente, duramque in maſſam concreta, ancyloſin fere ſemper exoriri autumat *lib. Maladies des os Chap.* 15. *tom.* 1. Sed raro ex his cauſis ancyloſis fit; plerumque enim a ſtrictiori potius circa articulos faſciarum convolutione, diuturnaque articulorum immobilitate, evenire ſolet ancyloſis: quippe tunc tendines una cum eorum vaginis, ſuppoſitiſque ligamentis anularibus, capſularibuſque, aliiſque membranoſis partibus circumpoſitis diu compreſſi, conjunctique hærent, & mucus, oleoſumque illud pingue, a *Clopton Havers* diligentiſſime deſcriptum, quod eas partes lubricat, mollitque, diſſipatur; unde areſcunt, omnia in unum conglutinantur, rigeſcunt, immobileſque ſuper articulis defixi, oſſium articulationes, atque flexibilitatem impediunt. Ut copioſe, largiterque in hujuſmodi caſibus commode aqua perfundi poſſit, machinamentum illud adhibere poſſumus, quod ſtillicidium a Latinis, a Barbaris ducia, a Græcis embroche nuncupatur. *Galenus lib.* 13. *de Meth. Meden. cap.* 24. his verbis laudat uſum ſtillicidii. *Quod ſi humidum ſit, quod applicandum eſt: id ex alto affundas, ac veluti fontis ritu illidas, quippe penitus intro ab ictu magis compellitur*. Modus parandi ſtillicidia, atque methodus utendi, ob frequentem eorum uſum, omnibus innoteſcit; atque de his legi merentur *Baccius*, *Falloppius*, aliique. Poſtquam *Le Dran obſervat.* 93. & 94. ſtillicidii utilitates in ſanatis ancyloſibus oſtenderat; ſic monet. *Il eſt vrai, que tous les malades n' en reçoivent pas le meme ſoulagement; mais aprés quelques Douches, ſi la maladie commence à ceder, il n' en faut pas compter le nombre*. Ideo Hippocrates in hoc textu dixit; *multa aqua calida*: ſcilicet pluries, perque longum tempus in læſionibus circa articulos affundenda eſt. Non tamen ſemper artificioſis illis ſtillicidiis, ſive duciis in articulorum fracturis, vel luxationibus, opus eſt; ſed eis tantum utendum in pertinaciori ancyloſi: quandoquidem interdum aqua calida pluries, ſpongiis tantummodo, ſuperfuſa, naturalem articulis flexibilitatem reſtituere conſuevit.

(9) IN SUPERIORIBUS. Eodem videlicet modo in oſſium pedis fracturis, aut luxationibus faſcias debebimus deligare: eadem juſtæ deligationis ſigna conſiderare: iiſdem temporum intervallis faſcias ſolvere: iiſdemque cautionibus iterum deligare, veluti ſuperius *in cap.* 5. Hippocrates docuerat, noſtriſque animadverſionibus perpendimus.

(10) SUSTINUERINT. Si æger in lecto firmus decubuerit, hæc oſſa pedis, quæ cum *tibia communicationem habent, & majora aliis ſunt*, aſtragalum ſcilicet, vel etiam os naviculare, quadraginta dierum ſpatio ſana perfecte fieri Hippocrates docet. Verum hic quoque attendere debemus id, quod in capite ſex-

©BIU Santé

nus, eadem patiuntur, quæ prius relata ſunt, & adhuc amplius (11).

ſexto præcepit, quum dixerit; *Certum tæmen nihil eſt: nam natura a natura, ætas ab ætate valde differt. Vid. not.*(12)(13) *&* (14) *cap. 6.* Quin etiam ipſa fracturæ qualitas, ſi admodum ſcilicet os contritum, vel in plura fruſtula fuerit fractum, longius ad ſanationem tempus requiret.

(11) AMPLIUS. In *not.* (11) *cap.* 10. animadvertimus, quod in oſſium pedis fracturis, vel luxationibus immature quandoque, & ante debitum tempus, ambulare tentant ægroti; atque ideo Hippocrates ibi ſubjunxerat, quod *propterea plurimi non perfecte ſanatur*. Damna, quæ, hac de cauſa, motos, maleque curatos articulos ſequi ſolent, *not.* (1) *cap.* 11. relata ſunt; quibus etiam majora in iſtis pedis oſſibus, quæ cum tibia communicationem habent, evenire, Hippocrates præclare aſſirmat; nam ab libera horum oſſium articulatione præcipuus pedis uſus dependet. Hoc Hippocratis juſtiſſimum monitum his verbis confirmat *Celſus lib.* 8. *cap.* 22. inquiens; *Et in hoc quoque caſu diutius in lectulo perſeverandum eſt, ne is talus, qui totum corpus ſuſtinet, parum confirmatis nervis ferendo oneri cedat, rurſuſque prorumpat*. Animadverſione etiam dignum eſt id, quod ibidem de talo luxato ipſe monet; ait enim. *Calceamentis quoque humilioribus primo tempore utendum, ne vinctura talum ipſum lædat*. Sed ſi illorum temporum calceamenta, vinctura tantum, lædere potuerunt; noſtris temporibus, in feminis præcipue, craſſius quoque illud calceamenti ſegmen, quod calcaneo ſupponi conſueſcit, talum multo magis lædere poteſt, atque eum impellere, ut rurſus prorumpat: proinde, juxta Celſi monitum, *calceamentis humilioribus*, primo tempore, quo ægri incedere incipient, uti debebunt.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XII.

Calcanei ex ſaltu vehementi læſi curatio.

PORro quicunque ſaltu de alto quopiam loco facto, in calcaneum vehementer ſe fulciverunt, his oſſa quidem diſparantur (1), venulæ vero ſanguinem effundunt, carne circa os contuſa (2); tumor autem accedit, & dolor multus (3). Os enim hoc parvum non eſt, & ſu-

(1) DISPARANTUR. Calcaneum, ſive calcis os, omnium pedis oſſium maximum eſt, & poſteriorem pedis baſim conſtituit. Eius facie ſuperiori cum Aſtragalo, anteriori vero cum oſſe Cuboide conjungitur, atque articulatur. Hoc unum eſt ex illis Tarſi oſſibus, cujus vera figura, atque articulationes, neque ex libris, neque ex tabulis Anatomicorum, ut *not.* (1) *cap.* 10. animadvertimus, intelligi poſſunt; ſed tantum in Archetypo hominis ſceleto id tyrones poterunt percipere. Quamvis hoc os cum aſtragalo, atque oſſe cuboide articuletur, pluribuſque, iiſque validiſſimis ligamentis eis cohæreat; attamen cum malleolo quoque interno, atque oſſe ſcaphoide per aliquot horum ligamentorum continuationes conjungitur; quorum accuratiſſimam dedit deſcriptionem *Winslowius Lib. de Oſſibus Recen.* Ita vero cum Aſtragalo, atque Cuboide per facies quaſdam cartilagineas, inæqualeſque calcaneum articulatur; ut obſcuriſſimum hæc oſſa motum inter ſe habeant: cujuſmodi articulationes, *ſynartroſis*, ab Anatomicis perinde nominantur. Quum igitur calcaneum veram non habeat articulationem, ſed tantum per ſuperficies conjungatur, ideo dixit Hippocrates: *Quicunque ſaltu de alto quopiam loco facto, in calcaneum vehementer ſe fulciverunt, his oſſa quidem diſparantur*; nam non vera luxatio, ſed oſſium dumtaxat diſjunctio fit; quare id a Græcis Diaſtaſis vocatur.

(2) CONTUSA. Nequit calcanei diſjunctio ab aliis tarſi oſſibus fieri, quin validiſſima illa ligamenta, quæ ea connectunt, diſtrahantur, atque dilacerentur, circumpoſitæque carnes contundantur; ex quo venulæ, quæ eas perreptant, diſrumpuntur, ſanguinemque, ut Hippocrates ait, effundunt. Similem ob cauſam, ex ſaltu ſcilicet de alto loco facto, ingentem ſanguinis effuſionem ſe vidiſſe narrat *Dionis Cours d' Operations de Chirurgie demonſtration. 9. pag.* 650., inquiens. *Un Officier des cent Suiſſes du Roy voulant ſauter d' une barque ſur le poſt trouva un pavé inégal, e panchè, qui lui fit une entorſe des plus furieuſes, que j aye jamais veues; la peſanteur de ſon corps, qui eſt de plus puiſſans, contribuà à la rendre plus grande, il ſe fit une extravaſion de ſang dans tout le pied, e toute la jambe, ce qui m' obligea de le ſegner cinq fois; j aprehenday meme la mortification par l' engorgement, qui etoit dans toute la jambe.*

(3) MULTUS. Ex ligamentorum, aliarumque partium circa os contuſione, atque ex ſanguinis effuſione, duo hæc ſymptomata, quæ Hippocrates modo exponit, conſequi certo debent: *tumor* ſcilicet, *& dolor multus*. Contuſio enim eſt unitatis ſolutio citra externam rupturam; ex qua ſolutione ſanguis effunditur in ſpatia, quæ vaſis adjacent, quo

©BIU Santé

& ſupereminet quidem ſub tibiæ rectitudinem (4). Communionem vero habet cum venis, & nervis principalibus (5). Tendo autem poſterior huic oſſi annectitur (6). Hos curare oportet cerato, & ſpleniis, & lin-

quo collecto in illum inde tumorem, qui Ecchymoma, ſive Ecchymoſis nuncupatur, contuſæ partes exurgunt. Hac autem intumeſcentia fibræ ſemiaceræ, contuſæque diſtenduntur, unde *dolor multus* inſequitur.

(4) RECTITUDINEM. Os calcanei poſterius, ad tres fere digitos tibiæ rectitudinem ſupereminet, atque exporrigitur ad hominis lapſum ſupinum prohibendum. Quum itaque hoc os parvum non ſit, in ejus violenta disjunctione ab aliis oſſibus, amplior quoque partium circumligantium contuſio fiet, majorque ſanguinis effuſio. Quo enim majus eſt os, & quo pluribus aliis oſſibus inſidet, atque connectitur, eo validioribus, pluribuſque ligamentis refertum eſt. Hinc Hippocrates & contuſiones, & ecchymoſim, intenſumque dolorem in calcanei disjunctione oriri debere dixit; quia *hoc os parvum non eſt*.

(5) PRINCIPALIBUS. Facies lateralis interna oſſis calcanei, quæ malleolo interno ſubjacet, intro depreſſa eſt, & quaſi excavata. Hanc excavationem arteria Tibialis, nervorum diſtributiones, atque tendines muſculorum Peronæi, & Tibialis poſtici, ſubeunt: adeo ut ejuſmodi excavatio ad tutum vaſorum, nervorumque tranſitum facta comperiatur. Per externam quoque calcanei faciem tendines muſculorum Peroneorum anticorum, atque vaſa omnis generis ad extremitates pedum deſcendunt: quare Hippocrates dixit, quod calcaneum *communionem habet cum venis, & nervis principalibus*.

(6) ANNECTITUR. Retrorſum, ubi in amplam apophyſim calcaneum prominet, magnus ille tendo omnium fortiſſimus inſeritur, Achillis tendo, ſive chorda, nominatus, qui ex muſculis Gaſtrocnemio, Plantari, atque Solari ſuram conſtituentibus provenit. Hic eſt ille *tendo poſterior*, quem nominat Hippocrates; adeoque jure optimo dixit, quod calcaneum *communionem habet cum venis, & nervis principalibus*. Quod autem per nervos ſecundum Hippocratem, etiam tendines intelligantur; *vid not.* (20) cap. 3. Animadvertendum vero hic eſt, quod ex ſaltu de alto quopiam loco facto; qui in calcaneum vehementer ſe fulciverunt, his oſſa diſparantur, ut Hippocrates monet; ſi autem non in calcaneum, ſed pede extento in extremam pedis plantam ſe fulciverunt, his pro oſſium tarſi disjunctione, tendinis Achillis ruptio accidere quandoque ſolet. Signa præcipua, quæ hujus tendinis ruptionem indicant, ſunt lacerationis ſenſus, quem æger momento diruptionis percipit; difficultas progrediendi; & quod maximum eſt, ſpatium, ſive fovea ſub cute, ubi ille ſubtendebatur: dirupti enim tendinis ſuperior pars ſurſum a contractilitate muſculorum ſuræ trahitur, & ab alia parte inferiori recedit; unde ſpatium illud oritur, quo certo tendinem diruptum eſſe conſpicimus. Dolor non adeo magnus eſſe plerumque ſolet, qua tamen in re hanc differentiam, ſive diſtinctionem tradit *Petitus Malad. des Os Tom. 2. chap. 15.*, inquiens. *De trois perſonnes, a qui j ai vû la rupture complette du tendon d'Achille, aucune n' a ſenti de douleur, ni en ſe rompant ce tendon, ni après ſe l'etre rompu; e le Deux ruptures incomplettes rapportees, l' une par Ambroiſe Parè, l' autre dan ce memoire, ont été tres douloureuſes.*

Abſo-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 125 sur 355

©BIU Santé

Perfecta igitur tendinis ruptura parum doloris afferre ſolet, vehementiſſimum autem, quum imperfecte, vel dimidiato diſciſſus tendo fuerit: hujus ſymptomatis rationem dedit *Boerhaav*, dum inter multiplices doloris cauſas, hanc quoque refert. *Vis naturalis contractionis paucioribus fibris ſuſtentata, dum quædam ſolutæ ſunt.* Vid. luculentiſſimum *Van-ſwiet. comment. in aphor.* 164. & 224. Quoad curationem ruptionis hujus tendinis multum, varieque ab auctoribus diſceptatum eſt, qui diverſas curandi methodos protulere. Alii enim eum ſutura conjungere ſuadent, multaque hujuſmodi curationis feliciſſima affeſunt exempla; uti *Cowperus*, *Thibautius*, *Donis*, *Kiſnerus*, aliique; & *Guido a Cauliaco in ſua Chirurgia magna Tract.* 3. *Doctrin.* 2. *cap.* 4. ſic ait. *Ego vidi, & audivi in multis nervos, & tendones inciſos, & eos ita reſtauratos cum ſutura, & aliis auxiliis, quod erat poſtea incredibile, ipſos fuiſſe inciſos.* Verum ubi ruptus tendo eſt, integra manente cute, audaciſſima quidem, periculique plena res eſſet cutem vulnerare, tendinemque conſuere, (data etiam in ipſis inſenſibilitate *Halleriana*) aeri, inflammationi, corruptioni, aliiſque periculis exponere; nam experientia perſæpe conſtat fuiſſe plurimos abſque ſutura in ſtatum priſtinum reſtitutos, quales ſunt caſus, quos *Petitus loc. cit.* affert, ubi de ſaltatore, atque de femina narrat, quibus Achillis tendo diruptus fuerat, & de alio Adoleſcente novem annorum, cui, qnum crure inflexo ceciderit, robuſtus ille tendo, qui ex qnatuor muſculis Recto, Crurali, Vaſto interno, & Vaſto externo procedit, prope tuberculum anterius tibiæ inſertus, dirumpebatur, integra cute; hos omnes abſque ulla ſutura, ſolis faſciarum deligationibus, opportunaque partis compoſitione ad priſtinam reſtituiſſe ſanitatem affirmat. Similem caſum nuper videre mihi contigit in Nobiliſſimo Viro, cui, dum in unum pedem, eumque extenſum, per conclave joco inſiliret, Achillis tendo ejuſdem crutis diruptus fuit. Hunc feliciſſime abſque ſutura, eademque methodo, quam *Petitus* docet, Clariſſimus Chirurgus Romanus curavit. In diruptionis ſitu, ex disjunctione extremitatum tendinis dirupti, cavum duos latos digitos excipiens ſub tegumentis perſentiebatur. Etiamſi idonea deligatione, optimaque cruris figuratione extremitates dirupti tendinis ad mutuum contactum accedere cogerentur; nunquam adeo acceſſerunt, quin intervallum ſemper, cavumque permaneret. Spatio tamen duorum circiter menſium cavum illud nova ſenſim ſubſtantia replebatur; ita ut poſt tertium menſem non modo penitus repleretur, ſed etiam in nodoſam, validamque ſubſtantiam locus ille aliquatenus extuberaret; nobiliſque Vir, abſque ſcipionis auxilio, quolibet fere ut antea poſſet incedere. Ubi vero tendo aliquis vulnere diſſectus fuerit, quoniam Chirurgi manibus ultro ſeſe offert, atque patet, aerique expoſitus inflammationi, atque ſuppurationi eſt obnoxius, an tunc ſuendus ſit, nec ne, pro neutra parte auderem decernere; ſed tum, pro vulneris qualitate, & ſitu, tendinifque uſu, quid agendum ſit, prudens Chrirurgus ſtatuere poterit: plurimæ enim graviſſimorum Auctorum hiſtoriæ proſtant, quibus tendines ſutura feliciter ſanari poſſe cognoſcimus. Verum ſi vel vehementi conatu, vel caſu, integra manente cute, aliquis tendo diſſiliat, quemadmodum accidere poſſet Achillis tendini, quoties, uti ex hoc Hippocratis textu perpendimus, quis ſaltu de alto quopiam loco facto, in pedem ſe fulſerit; tunc equidem nequaqaam ſutura utendum eſſe cenſeo; obſervationes quippe docent, etiam ſine ſutura ad integram ſa-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 126 sur 355

©BIU Santé

nitatem, abſque ullo priſtini uſus defectu, eum poſſe perduci. Si quis autem ex me quæreret, quomodo diſſitæ ſecti tendinis extremitates citra mutuum contactum conjungi, conglutinarique poſſint; reſponderem, quod admiranda Omnip. Dei rerum omnium Conditoris Sapientia, animantium corpora tali ſtructura fabricata voluit, ut per inditas leges phyſicas, atque mechanicas, cavum, quod diruptus tendo reliquit, generatione novæ ſubſtantiæ repleretur, quæ ſubſtantia ad utramque diſciſſi tendinis extremitatem conjuncta, cum natura peculiaris ſtructuræ partis, tum natura humorum ibi in tendinis nutritionem deſtinatorum, adeo etiam valida, robuſtaque fieret, ut veluti novus ſubtextus tendo ad priſtinum uſum iterum poſſet aptus evadere; hanc reparatam ſubſtantiam, cicatricem tendineam appellari poſſe cenſeo. Similem etiam fieri in oſſibus reparationem monſtrat experientia. In fracturis enim oſſis cranii, ubi aliquod fragmentum abſceſſit, & dura meninx denudata eſt, quo alternus arteriarum pulſationis motus perſpicitur; vel poſt ablationem oſſis in ejuſdem terebratione, paulo poſt cavum illud quadam, veluti molli carne, repletur, quæ poſtea in membranoſam ſubſtantiam convertitur; deinde in cartilagineam; donec tandem poſt aliquot menſes oſſeam penitus duritiem acquirat. Non raro oſſis quoque tibiæ fragmentum ad duos, vel tres digitos longum tota ſubſtantia abſcedere obſervatum fuit; attamen crure in naturali longitudine ferulis, machinamentiſque poſito, deperditam oſſis ſubſtantiam reparavit Natura, & id crus ſatis firmum corporis fulcimentum, alterique æquale permanſit. Et quoniam hujuſmodi ſubſtantia, quamvis vere oſſea ſit, non tamen eundem lamellarum ordinem, non idem medullæ cavum habet, ut in oſſe integro fuerat, ſed ſtructuram multo magis compactam, oſſeaſque lamellas irregulariter contextas, coagmentataſque; ideo & hanc poſſe oſſis cicatricem appellari autumo, quemadmodum ſenſit *Celſus lib.8.cap.4.*, qui de calvariæ curatione agens, ita ſcripſit. *Hac ratione ſæpe rimæ callo quodam implentur, eſtque ea oſſis velut cicatrix; & latius fracta oſſa, ſi qua inter ſe non cohærebant, eodem callo glutinantur.* Neque, ut nonnulli putant, *Hippocratem Aphoriſm.19. Sect. 6.* dum ait: *Ubi diſciſſum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ pars tenuis, aut præputium, neque augetur, neque coaleſcit;* diſcordare cenſendum cum hucuſque allatis experimentis, quibus oſſa, & tendines augeri, atque coaleſcere vidimus. Sapientiſſimus enim Hippocrates, quum exercitatiſſimus Chirurgus fuerit, pluries experientia hujuſmodi fracturas coaleſcere viderat, uti ex hoc libro de fracturis apparet; atque cartilaginum quoque, tendinum, nervorum, genæ, atque præputii vulnera millies curaſſe, atque ad cicatricem perduxiſſe credendum eſt: quemadmodum has partes diſciſſas glutinari, atque ad cicatricem perduci aperte docuit *Celſus*, cum ſcripſerit *lib. 5. capit. 26. Poteſt caro alia parte dependens, alia inhærens, ſi tamen etiamnum integra eſt, & conjunctione corporis fovetur, glutinari. In his vero, quæ glutinantur, duplex curatio eſt. Nam ſi plaga in molli parte eſt, ſui debet, maximeque ſi diſciſſa auris ima eſt, vel imus naſus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis, vel venter.* Proinde Hippocratem, commonendo, quod hujuſmodi partes diſciſſæ, *neque augentur, neque coaleſcunt*, intellexiſſe puto, quod ita diſciſſæ fuerint, ut mutilatio ſequuta ſit; partes enim mutilatæ *non* equidem *augeſcunt*, niſi in polypis, nonnulliſque aliis inſectis; (quin & in iis etiam tales novarum partium regerminationes ideo fieri, nuper docuit experien-

©BIU Santé

& linteis, & aqua plurima (7) calida, & linteis pluribus (8). & ab his opus

rientiſs: in Hiſtoria Naturali *Dromeus de l' Isle*, quod polypi, non vera animantia, ſed aliorum minorum animantium, quædam veluti capſulæ, ſive habitacula ſint;) neque *coaleſcunt*; quamvis mutilatas quaſdam corporis partes iterum conglutinare, immo etiam deperditas miro artificio reſtituere tentaverit *Gaſpar Taliacotius*; uti videre eſt in ſuo libro, quem inſcripſit, *Chirurgia nova Curtorum*. Vel Hippocratem de partibus ita diſciſſis locutum fuiſſe putandum, ut propendentes, vix per tenuem particulam corpori inhæreant, unde tantum vitæ, nutrimenti, atque ſanguinis circulationis in diſciſſa parte non ſuperſit, quantum requiritur, ut iterum coaleſcere poſſit. Sic pluries oſſis olecrani extremitatem diſciſſam, atque per cutis particulam propendentem vidi; uti pariter cartilagineam naſi, atque aurls partem, quæ quamvis in ſuam ſedem reſtituta, & faſciis, aliiſque idoneis auxiliis fuiſſent retenta, quandoque tamen vitalis actionis defectu non coaluerunt; ſed putrefacta exciderunt. Nervi autem, atque tendines diſciſſi, adeo interdum diſparantur, ut nequeant iterum in continuum corpus coaleſcere, ſed in partium adjacentium cicatrice concreſcant. Mirum profecto mihi videtur, quod Hippocratis Commentatores plerique ad hypotheſim partium ſimilarium, atque ſpermaticarum hujus aphoriſmi ſenſum, atque explicationem referant. Et quamvis *Galenus* in hoc explanando aphoriſmo ſupra ceteros Hippocratis mentem expoſuerit; attamen oſſa fracta non coaleſcere in ſui ſubſtantia affirmat, ſed tantum per adnatum callum confirmari: ait enim: *Si quis velit inſpicere diſſecando, videbit manifeſte a callo quodam, veluti vinculo circumſcripto partes oſſium diſciſſas eſſe conſtrictas, quas ſi abraſerint, fracturæ profundum videbunt non glutinatum*. Sed de hac Galeni ſententia, *vid. quæ not.* (11) *cap.* 6., adnotavimus. *Jacobus Forolivenſis*, qui claruit ann. 1430., & ex antiqua translatione *Conſtantini Aphricani*, (qui juxta *Vander Linden*, vixit circa annum 1080.) Hippocratis aphoriſmos commentariis, & quæſtionibus diſertiſſimis illuſtravit, in hujus aphoriſmi expoſitione ſic ait: *Primo nota. Per inciſionem intelligendum eſſe ſolutionem continuitatis, quæ cum deperditione notabilis partis, vel ubi ſolutio valde magna, eſt, & penetrans*. Eoque etiam magis hujus Hippocratis aphoriſmi ſenſum ita intelligi debere puto, quod neque augeri, neque coaleſcere eas partes recenſuit, quæ natura prominent, atque mutilationibus magis obnoxiæ ſunt; vel quæ in diſciſſionibus maxime diſparantur; ut in præputio accidit, & genæ particula tenui: quam genæ particulam tenuem, palpebram, & labrum eſſe docet *Heurnius Adnot.* 4. ad hunc aphoriſmum. Si autem de nova partis textura, non ſimilari, ſed adſcita, & diverſam a naturali ſtructuram habente, Hippocrates locutus fuiſſet; hoc non modo de iis partibus, quas in hoc aphoriſmo recenſet, ſed de qualibet alia parte vulnerata idem dicendum eſſet; quoniam ubique diſſimilem ſtructuram a naturali cicatrices habere videntur: velut in ipſo phlebotomiæ vulnuſculo ſemel inflicto, cicatricis diſſimilitudinem perpetuo in cute cernimus.

(7) PLURIMA. Ut eadem methodo, iiſdem remediis, iiſdem auxiliis, quæ ſuperius in curatione generali fracturarum *cap.* 5. & 6. copioſiſſime tradiderat, hanc quoque calcanei disjunctio-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 128 sur 355

©BIU Santé

opus eſt etiam aliis (9) quam optimis, & leniſſimis; & ſi quidem mollis fuerit a natura cutis circum calcaneum, ſic ſinere oportet: ſi vero craſſa, & dura, veluti quidam habent, incidere oportet æqualiter, & attenuare, ita tamen, ut ne vulneretur (10). At vero talia bene deligare, non cujuſvis eſt; ſi enim deliget quis, quomodo alia circa malleolos deligantur, ita ut aliquando circum pedem, aliquando circum tendinem, faſciæ circumdentur: hæ conſtrictiones calcaneum

ctionem, vel etiam fracturam, curemus, monet Hippocrates. Cur autem aqua plurima calida utendum eſſe dixerit; vide quæ de articulorum fracturis *not.* (7) *cap.* 11. adnotavimus.

(8) PLURIBUS. Non ſine ratione addidit Hippocrates, quod *linteis pluribus curare oportet*; calcaneo enim ob loci inæqualitatem ferulæ nequeunt adhiberi, quemadmodum monet etiam in *Mochlico*; ideo, ut quo magis fieri poterit, in ſua ſede oſſa retineantur, pluribus linteis cerato illitis curare oportet. Quantum autem firmitudinis lintea cerato illita acquirant, adeo ut ferularum vices ſuſtinere poſſint, vidimus *not.* (21) *cap.* 5., quapropter ad curationem oſſis calcanei, ubi ferulæ nequeunt coaptari, dimotæ partes majori linteorum quantitate in ſua ſede ſuſtentandæ ſunt.

(9) ALIIS. Præter ea omnia, quæ in generali curatione fracturarum, atque etiam præter ea, quæ nominatim in articulis agenda eſſe Hippocrates ſuperius docuerat; nunc ſpeciatim plurimis etiam aliis auxiliis opus eſſe monet pro oſſis calcanei curatione. Hunc Hippocratis locum ita interpretatus eſt *Fabius Calvus*. *Plurimiſque rebus aliis, optimis his, opus eſt.*

(10) NE VULNERETUR. Pedes hominis, ubi veſtigiis inſiſtunt, non in planum æquale complanati ſunt, ut ſemilunares equorum ungulæ; ſed eos ad commodiorem inceſſum, & ad faciliorem per acclivia, perque aſpera loca gradum, necnon ad apprehenſionem, expeditumque motum, inæquali ſuperficie Natura conſtruxit. Tribus punctis, quemdmodum tripetiæ, pes quilibet fulcitur. Horum punctorum alterum eſt apophyſis inferior, & poſterior extremitatis oſſis calcanei; duo reliqua, ſunt prominentia capitis majoris oſſis metatarſi, ubi cum prima digiti pollicis phalange articulatur; & oppoſitæ prominentiæ capitum ipſius oſſium metatarſi, quarti, & quinti, ubi primæ phalanges digiti minimi, & quarti conjunguntur. Quum igitur tribus his in locis totum corporis pondus planta pedis ſuſtineat; reliquæ vero pedis partes excavatæ ſint, ſequitur, quod longo uſu, plurimaque deambulatione hæ partes in corneam ſubſtantiam occalleſcant; præcipue calcaneum, in quod tota corporis gravitas fere ad perpendiculum inſiſtit. Quoties itaque nimis duro, craſſoque callo calcaneum obtectum reperiemus, ut cutis diſtendi poſſit, ſi aliquis tumor, vel inflammatio ſupervenerit, ne gangræna afficiatur, atque etiam, ut medicamenta operentur, æqualiter id callum incidere, atque attenuare præcipit Hippocrates; ſed tamen ita, adeoque ſuſpenſa manu incidendum, ut ſubdita cutis viva non vulneretur. Sin vero circum calcaneum cutis mollis, flexibiliſque fuerit, quemadmodum eorum eſſe ſolet, qui delicate vivunt, commodiſque indulgent, tunc, ait, *ſic ſinere oportet*.

©BIU Santé

neum ſeparant, qua parte contuſio facta (11) eſt. Atque ita periculum eſt, ne calcanei os corrumpatur (12): & ſane ſi corruptum fuerit, per omne ævum morbus durare poteſt (13). Nam & alia (14), quæ

(11) FACTA EST. Quoties vel vulnus aliquod, vel tumor, vel quivis alter morbus circa calcaneum oritur, ut medicamenta, linteaque in parte affecta retineantur, faſciam circumdare conſueſcimus ab altero malleolorum principium injiciendo, poſtea ſuper articulationem tibiæ cum talo eam anterius ducimus, & in oppoſitum latus ſuper dorſum pedis deſcendendo, plantam tranſverſim obvolvimus; contrario dein ductu ſuper anteriorem tibiæ articulationem iterum aſcendendo, ad alterum malleolum ducimus, atque ulterius, ſuper Achillis tendinem, delabendo, ad eum locum faſciam reducimus, unde orſi fuimus: adeo ut in anteriori pedis parte hujuſmodi faſciæ diſtributiones ita decuſſentur, ut litteram X repræſentent. Verum præter deſcriptas, quandoque alias etiam convolutiones in orbem circa metatarſum, quemadmodum circa malleolos quoque, ducere conſueſcimus. Has deligationes, quæ in morbis circa calcaneum adhiberi ſolent, pro eo caſu, de quo hic agitur, minime opportunas eſſe, curationique adverſari, Hippocrates monet. Calcanei enim os, quum disjunctum, vel fractum fuerit, faſciis debet in ſua ſede retineri, quod minime efficitur, *aliquando circum pedem, aliquando circum tendinem* Achillis faſciam circumvolvendo: neque influxiones humorum intercipiuntur; quemadmodum *cap.* 5. oportere adnotavimus; ſed, ut ait *Galenus* in hunc textum; *Prædictus deligandi modus ſanguinem ad calcem exprimens, ipſum ſeparat, quum oporteat totum contrarium fieri, ut nimirum ad vicinas partes deligatio ſanguinem expellat*. Idem *Galenus libro de Faſciis tab.* 134. calcis deligationem his verbis docet. *Faſcia circa talos dari in orbem debet, & ab eo loco ex poſteriori parte ex altero nervi lati latere obliqua ad alterum latus duci, mox circa calcem obvolvi, indeque ad partes ſuperiores pedis attrahi, atque eadem ratione circumageuda deinde eſt. Aptatur ad deligandum calcem.*

(12) CORRUMPATUR. Præfata deligatio, quæ aliquando circa pedem, aliquando circum tendinem Achillis fit, præterquam, quod non os ſuſtinet, ſanguinem etiam, cæteroſque humores in calcaneum exprimit, ex quo maximus oritur tumor, durities, atque inflammatio; unde ſuppurationes, aut gangrænæ ſequi poſſent, quibus os etiam corrumperetur.

(13) POTEST. Omnis oſſis corruptio, ſive caries, longæ difficiliſque curationis eſſe ſolet: longiſſimæ autem, quæ in articulis, vel oſſibus ſpongioſis oritur, quale eſt os calcanei. Si ergo calcanei os corruptum fuerit, tum ob difficultatem exfoliationis, ſive ſeparationis oſſis corrupti, quod niſi penitus abſceſſerit, ulcus ſordidum, fætidum, vel etiam fiſtuloſum, perpetuo fovet; tum ob claudicationem, quæ ex corruptione calcanei conſequi poſſet, *per omne ævum*, totam ſcilicet vitam hominis, morbus poteſt durare.

(14) ALIA. Non modo in fractura, aut disjunctione ob indebitam faſciarum deligationem os calcanei corrumpi ſolet; ſed ex aliis etiam cauſis, quæ a deligatione non dependent, ejus corruptio, ni optime præcaveatur, oriri poteſt; quas omnes nunc ordine recenſet Hippocrates.

©BIU Santé

quæ non ex tali modo ſunt ipſum corrumpunt; ſed in decubitu denigrato calcaneo ex figuræ neglectu (15): aut in tibia vulnere facto periculoſo, ac diuturno, & communionem cum calcaneo habente, aut in femore, aut ubi ex alio morbo diuturnus decubitus contingit (16). Attamen & talibus diuturnæ, ac moleſtæ affectiones fiunt, & quæ ſæpe refringantur, ſi non bona diligentia. & multa quiete curen-

(15) NEGLECTU. Poſterior calcanei facies, ubi Achillis tendo inſeritur, adeo extrorſum prominet, ut in ſupino decubitu, totum cruris pondus ſuſtineat. Hæc enim oſſis calcanei pars, quæ in pueris epiphyſis eſt, duos integros digitos oſſium tibiæ, & fibulæ rectitudinem excedit, ejuſque in ſuperficie aſpera ineſt inæqualitas, quam calcanei tuberoſitatem vocat *Winslowius*. Si igitur hujus oſſis figura negligatur, neque apta collocatione a totius cruris pondere calcaneum defendatur, aſſidua hujus duri, ſcabrique corporis preſſione in unum, idemque punctum, ſanguinis circulatio intercipietur, ex quo, veluti in gravioribus contuſionibus accidit, mortificatio, ſive necroſis fiet; unde, præter carnes, ipſum quoque os, ut ſuperius monuit, corrumpi poteſt. Quamobrem non ſolam deligationem male adminiſtratam, verum etiam figuræ neglectum in decubitu calcaneum denigrare poſſe, Hippocrates docet. Sic dolores ingentes in ſe ipſo expertum fuiſſe in calcaneo, notat *Paræus lib.4. cap.23.* dum in cruris fractura, quam paſſus fuit, non ſatis calcanei figuræ proſpiciebatur.

(16) CONTINGIT. Aliæ etiam cauſæ, ut grave vulnus in tibia, vel femore, vel alius quiſpiam morbus, ex quo diuturnus decubitus in calcaneum ſit, eam denigrationem inducere poſſunt. Unde non modo in fractura, vel disjunctione hujus oſſis, ſed etiam in aliis morbis, in quibus ægri perpetuo debent ſupini decumbere, calcanei poſterior pars ab aſſidua preſſione defendenda eſt. *Galenus* in hujus textus commentariis, quomodo debeat calcaneum defendi, his verbis docet. *Attollendus eſt, faciendaque e lana molli rotula, quam ſtrophium nonnulli vocant, quæ pro ratione magnitudinis calcis ſinum in ſe habent; ſupraque eam firmandus ita calx eſt, ut inferior ejus pars ſuſpendatur: atque ita & ſine colliſione maneat, & perſpiret, & ſine calefactione conſervetur.* Hujus annuli, ſive ſtrophii figuram ad calcaneum defendendum expreſſit *Heiſterius tab. 9. fig. 7.* Hoc idem in hujus textus ſcholiis ſuadet *Palladius*; ait enim. *Videndum, ne calx lecto incumbet; inde enim putredines orirentur. Verum inter medium aliquod, velut ſcrobe elaborare oportet, ut in cavitatem illam calx imponatur.* Hujuſmodi denigrationem non ſolum in calcaneo, ſed etiam in aliis pluribus corporis partibus, ubi oſſium apophyſes extant, præcipue in macilentis, diuturnus decubitus inducere ſolet. Sic in oſſe ſacro, trochantere majori oſſis femoris, Ilei criſta, proceſſu coracoideo ſcapulæ, aliiſque ſimilibus locis, denigrationes, & corruptiones ex aſſiduo harum partium decubitu, non raro etiam cum oſſis corruptione, ſæpe obſervavimus. Unde præfatis auxiliis, mutatione loci, frictionibuſque cum remediis corroborantibus, & vivificantibus hæ omnes quoque partes a denigrationibus ſumma cura ſunt defendendæ.

©BIU Santé

curentut (17). Quare etiam ea, quæ ex tali modo corrumpuntur, ſupra aliquam læſionem, magna corpori pericula inducunt (18). Febres enim peracutæ oboriuntur (19), continuæ (20), tremulæ (21), ſingultuo-

(17) CURENTUR. Corruptiones, quæ in ea calcanei parte accidunt, diuturnæ, ac moleſtæ eſſe ſolent, quia partes illæ tendineæ, quæ ab Achillis tendine procedunt, aliaque ligamenta, quæ os calcanei obtegunt, exſuccæ, duræque ſubſtantiæ ſunt, atque ideo difficulter, & non niſi longum poſt tempus ſuppurant, atque abſcedunt. Moleſtior adhuc, diuturniorque affectio erit, ſi os etiam corrumpatur, ob rationes, quas *not.* (13) adnotavimus. Præterea hujuſmodi affectio, quoque poſt ſanationem ſolet refringi. Quum enim totum corporis pondus calcaneum debeat ſuſtinere, ibique Achillis tendo inſeratur, qui maxima vi calcaneum trahit ad pedis extentionem, ni diligens curationis ratio, & longa quies ſatis firmam, ſolidamque induxerit cicatricem: & corporis pondere, ac preſſione, & illius tam craſſi tendinis diſtentione, ac vi, refringetur cicatrix, ſanatuſque morbus iterum pullulabit.

(18) INDUCUNT. Neque in diuturnam tantummodo, moleſtamque affectionem, ſed in vitæ quoque diſcrimen calcanei corruptione ægrotum interdum adduci poſſe, Hippocrates monet.

(19) OBORIUNTUR. Ex variis illis cauſis, quæ inflammationem in aliqua corporis parte producere poſſunt, *pondera incumbentia* recenſentur: vid. *Boerhaav. aphor.* 375. qualis eſt caſus, de quo hic agit Hippocrates. Pluries enim circum necroſim, quam diuturnus decubitus vel induxit, vicinæ partes inflammatione, vel eryſipelate afficiuntur, ex quo ſemper febres peracutæ, utpote, quæ de genere inflammatorio ſunt, proficiſcuntur.

(20) CONTINUÆ. Febris illa, quæ a peculiari alicujus partis inflammatione, vel eryſipelate provenit, febris ſymptomatica nuncupatur; cujuſmodi febres ſemper continuæ ſunt. Sic *Fernelius Patholog. lib.* 4. *cap.* 8. ait: *Symptomatica febris omnis in continuarum eſt genere, neque ulla unquam viſa eſt intermittens.* Ea igitnr febris, de qua hic agit Hippocrates, quia ſymptomatica eſt, continuata eſſe debet.

(21) TREMULÆ. Maximum malum, præter circumjacentium vivarum partium inflammationem, quod in hac calcanei necroſi ſequi poſſet, ingreſſus eſſet particularum putridarum in ſanguinem, qui lethalia ſymptomata excitaret, ideo *Boerhaav. aphor.* 433. unam ex indicationibus curationis in gangræna hanc eſſe poſuit; *putridi ingreſſum in venas impedire.* Inter venena putres ſphacelorum particulas numerat *Hoffmannus Med. Rat. cap,* 2. §. 25. *de Venenis*, ait enim. *Quemadmodum nulla res magis vitæ, & conſervationi corporis infenſa eſt, quam putredo, qua non modo ſolidorum ſtructura, & fluidorum mixtio, ſed & partium, quæ impetum, & motum faciunt, vis motrix deſtruitur; ita ſphacelatio, ſive putrida, & fœtida partis ſolidæ cujuſdam deſtructio intra corpus producta eaſdem vires obtinens recte perniciale, & mortiferum venenum dici meretur, maxime cum repente ſerpendo ſe multiplicet, & putrida contagione vicinas partes opprimat.* Veriſſimum quoque eſſe, atque nuper ſpectatiſſimo, nobiliſſimoque Equiti Romano, qui triginta horarum ſpatio occubuit, id contigiſſe vidi, quod idem *Hoffmannus* adnotat in ſcholio præfati paragrahi, inquiens: *Et quod tam ſubito mors morbo, ſic dicto, nigro correptos oppri-*

©BIU Santé

tuoſæ (22), mentem contingentes (23), paucis diebus durantes, ac occidentes (24). Fieri etiam poſſunt venarum ſanguifluarum livores (25), vena-

opprimat, nulla alia videtur cauſa, quam quod extravaſatus ſanguis in colo ejus ſtercoreo quaſi fermento in fœtidiſſimam putrilaginem conjiciatur, a qua corporis vires repente peſſum eunt, & plane extinguuntur. Quoties igitur venenum putredinis ſanguini commiſcebitur, omnes humores inficiet, ſolida labefactabit, ex quo ſucci nervorum influxus in muſculos perturbabitur, unde tremor, aliaque mala proſequuntur, quæ mox adjicit Hippocrates.

(22) SINGULTUOSÆ. Multum, varieque inter Medicos de ſingultus ſede diſputatum eſt; alii enim eum in œſophago, alii in ſtomacho, alii in diaphragmate poſuerunt, in utriſque alii. Noſtri autem Inſtituti ratio non ſinit, ut longa diſputatione hujus ſymptomaris ætiologiam enucleare tentemus, quæ adeo obſcura eſt, ut ipſe *Sydenamius* ingenue fateatur, ſe ſibi de ſingultus cauſa diſquirenti ſatisfacere non potuiſſe: nequit tamen non concedi, quod ſingultus reſpirationis organa potiſſimum afficiat, in primis diaphragma. Sternutatio, oſcitatio, pandiculatio, ut & ſingultus, affectiones ſunt de genere convulſivo, & ſpeciatim ſunt nixus, quibus aliquid moleſtum, & ad corporis integritatem nocivum depellere natura conatur. Si ergo putridum virus gangrænoſum venas ingrediatur, ſanguini commixtum ad nervos diaphragmatis, vel ſtomachi deferatur, eoſque afficiat, ſingultus excitabitur; quo conamine nervi noxium humorem de ſua ſede, naturali mechaniſmo, excutere nituntur.

(23) CONTINGENTES. Idem morbus, eademque cauſa, pro diverſitate actionis illius partis, quam occupat, diverſos edit effectus. Sic pulmone affecto, tuſſis, vel ſpirandi difficultas oritur; idem vero morbus in ventriculo vomitum, in veſica urinaria iſchuriam excitaret; ideo illa eadem materia morboſa, quæ tremorem, atque ſingultum alibi intulit, ad cerebrum delata, mentem afficiet, deliriumque concitabit. In hujus textus commentariis ita ſcripſit *Galenus* ad hæc ſymptomata. *Conſequens eſt, ut propter cor febres ſuboriantur; deliria propter cerebrum, tremores convulſioneſque propter muſculos; ſingultus vero propter ſtomachum, utpote qui plurium nervorum particeps ſit.*

(24) OCCIDENTES. Omnes morbi, cum ex partis affectæ qualitate, tum ex ſymptomatum magnitudine æſtimantur. In hac febri, quam ex calcanei corruptione excitari narrat Hippocrates, partes, atque viſcera afficiuntur nobiliſſima, pravaque ſymptomata ſuboriuntur; ideo in manifeſto vitæ periculo ægrotum verſari præſagiemus. Quod febres adeo pravis ſtipatæ ſymptomatis paucis diebus occidant, dixit quoque *Hippocrates in libro Prognoſticorum*, ubi de febribus in genere ita ſcripſit: *Simpliciſſimæ enim febres, ac ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citius deſinunt: deterrimæ vero, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die, aut citius interimunt.*

(25) LIVORES. Febres peracutas, & & putridæ gangrænoſæ materiæ ingreſſum in ſanguinem, quæ univerſum corpus afficeret, citamque mortem arceſſeret, ſi calcaneum corrumpatur, accidere poſſe, jam monuit Hippocrates. Nunc autem alia adhuc mala in ipſo poſſe calcaneo ſuboriri exponit, quæ vel a colliſione, vel etiam a prava deligatione ſolent proficiſci, quamvis

©BIU Santé

venarum nauseæ (26), & cancerationes ex compressione (27). Fieri autem possunt hæc absque alia corruptione (28). Atque hæc quidem relata sunt, ubi vehementissimæ contusiones fiunt (29). Plurima tamen leniter circumcirca contunduntur, neque ullum magnum curationis studium exigunt, sed recte tamen tractare oportet (30). Quum vero vehemens in fulciendo illisio facta esse visa fuerit; tunc sane relata facere convenit, & deligationem plurimam facere circum calcaneum obvolutam (31), ita ut aliquando ad summas pedis partes, aliquando

vis ex decubitu calcaneum non corrumpatur. Quandoque enim vasa, quæ sanguinem vehunt, vel percussione attrita, vel deligatione compressa eliduntur, unde sanguinis sub cute effusiones fiunt, sugillationesque, ex quibus livores apparent.

(26) NAUSEÆ. Est proprie nausea, stomachi ad vomitum concitatio cum anxietate circa præcordia, & salivatione oris. In hoc autem textu, per metaphoram, venarum nauseam, peculiarem vasorum sanguiferorum affectum nominat Hippocrates, quo vasa veluti nauseabunda sanguinem in spatia effundunt, & evomunt; unde tumor lividus, tactu mollis, & cedens oritur, qui ecchymosis nuncupatur, quique mole differt a simplici contusione. *Galenus* hanc venarum nauseam ita interpetatus est: *Itaque venas nauseantes appellat, quum sanguinem expuunt, & quasi evomunt.* *Palladius* etiam in hujus Hippocratis textus scholiis scripsit. *Nauseas vocat ruptiones.*

(27) EX COMPRESSIONE. Nimia compressio partes nostri corporis vita privat, dum sanguinis circulationem, nervorumque succi influxum extinguit. Sive arcta fasciarum deligatio, sive ingens inflatio, sive copiosa sanguinis effusio inter spatia carnium, compressionis causa sit, ab ea semper ne partes compressæ gangræna, vel sideratione corripiantur, timendum.

(28) CORRUPTIONE. Ab ejusmodi causis sideratione in calcaneo, universoque pede fieri posse monet Hippocrates, quamvis nulla adhuc calcaneum ex decubitu fuerit affectum corruptione.

(29) FIUNT. Contusio est morbus, qui ex partis alicujus collisione oritur, qua continui solutio fit, citra externam rupturam, sanguinisque effusio sub cute colligitur. Ubi contusio vehementissima fuerit, contritæ carneæ partes facile vita privantur; quare sideratione, atque cetera symptomata, quæ superius relata sunt, proficiscuntur. Verum non ex qualibet contusione, sed tantum, ubi *vehementissimæ fiunt* adeo pernicioſa symptomata, vitæque periculum consequi intelligit Hippocrates.

(30) OPORTET. Quamvis levis contusio nullum sideration is periculum afferat, neque multum curationis studium exigat, commonet tamen Hipcrates, ut recte, diligenterque curemus contusiones circa calcaneum; multa enim ibi mala vel a *deligatione*, vel a *figuræ neglectu* oriri posse superius docuit, atque nos attendere jussit, quod os calcanei *communionem habet cum venis, & nervis principalibus, tendo autem posterior huic ossi annectitur. Vid. not.* (5) & (6).

(31) OBVOLUTAM. Superius *not.* (11) *hujus cap.* adnotavimus, Hippocratem rejicere eum fracti calcanei deligandi modum, quo aliquando circa malleolos,

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 134 sur 355

©BIU Santé

do ad medias, aliquando ad tibiæ partes, ex oppoſito lintea obvolvantur (32). Deligare inſuper oportet & vicina omnia hinc, atque illinc, velut etiam prius dictum eſt, & vehementem compreſſionem non facere, ſed cum multis linteis (33). Præſtat autem & veratrum (34) biben-

los, aliquando circum pedem faſciam ducimus; quoniam hujuſmodi conſtrictiones calcaneum ſeparabunt, & omnes humores ex vicinis partibus deligatis in affectum locum expriment, quod opponeretur generalibus illis curationis indicationibus, quas Hippocrates tradidit in *cap.* 5., ubi ait: *Poſtea linteo deligare, initio ejus ſupra fracturam injecto; ita ut firmet quidem, non tamen admodum premat. Poſteaquam autem circumdedit eodem loco bis, aut ter, ad ſupremam partem deligans diſtribuat, quo ſanguinis influxiones intercipiantur, & illic deſinat.* Prima igitur faſcia plurima deligatione circa calcaneum, & anteriorem tibiæ articulationem obvolvi debet, cum ut os in ſua ſede retineatur, tum ut humores de parte affecta in vicinas exprimantur, influxioneſque intercipiantur.

(32) OBVOLVANTUR. Poſt primas convolutiones circa partem affectam faſciæ ſurſum, deorſum, & circa medium obvolvendæ ſunt, quemadmodum in *cap.* 5. docuit, & ex oppoſito, ſive contrario ductu injiciendæ, ut in neutram partem os poſſit deflectere, ſed in ſua naturali ſede firmiter retineatur.

(33) LINTEIS. Jam ſuperius *cerato, ſpleniis, linteis, & aqua plurima calida* os calcanei curandum, docuit Hippocrates; cavendum tamen ſemper eſt, ne nimis comprimatur, ut mala jam alias *not.* (10) *cap.* 5. memorata non ſubſequantur. Cur autem multis linteis calcaneum deligare jubeat Hippocrates, *vid. not.* (8) *cap.* 12.

(34) VERATRUM. Eſt Veratrum planta fortiter purgans, & deleteria, quam Græci Helleboros, ſive Elleboros vocant; cujus duæ ſpecies potiſſimum numerantur, ejuſdem fere facultatis, quarum altera veratrum album, altera veratrum nigrum nuncupatur. Accuratiſſimæ hujus plantæ deſcriptiones apud Botanicæ Scriptores reperiuntur, de qua, inter Veteres, optime diſſeruit *Dioſcorides lib.* 4. *cap.* 133. & 134. In hoc autem textu, quum Hippocrates ἐλλέβορον ſimpliciter, ſive veratrum ſcripſerit, veratrum album ſignificare intellexit ad vomitum ciendum; nam ipſe veratrum album ita in more habuit nominare; cum additione vero, veratrum nigrum; quemadmodum expoſuit *Galenus comment. aphor.* 1. *ſect.* 5., ubi ait: *His, qui elleborum acceperunt, album ſcilicet: hunc enim ſimpliciter elleborum nominare conſueverunt, non ſicuti nigrum cum additione.* Apud Veteres in uſu maxime fuit, humores noxios veratro purgare; & *Aretæus lib. de Curat. Morb. Diuturn.* veratrum album non modo propter vomitionem, atque purgationem; ſed etiam ob peculiarem ejus virtutem ſummopere laudat; ait enim. *Quin & album veratrum, non vomitum tantum molitur; ſed etiam omnium ſimul purgantium medicamentorum efficaciſſimum eſt, non multitudine, & varietate excrementorum: id enim & affectus ille, qui Cholera dicitur, præſtare ſolet, non diſtentionibus, & violentia in vomendo ..... Vetuſtorum præterea morborum omnium firmis radicibus inhærentium, ſi cuncta alia medicamina viribus inferiora ſunt, id unicum remedium eſt, ſiquidem igni facultate perſimile eſt album* vera-

©BIU Santé

veratrum, & quod ignis exurens facit, eo plus veratrum interius diſcurrens operatur: videlicet facilem ſpirationem ex difficili, & pallido colore floridum, & ex macie corpulentiam. Laudat *Celſus* veratrum in Apoplexia, ait enim *lib.* 3. *cap.* 26.: *His ſanguis mittendus eſt. Veratro quoque albo, vel aloi ductione utendum; tum adhibendæ frictiones.* Integrum librum *de Veratro, Helleborove* ſcripſerat *Hippocrates*, qui jam *Galeni* temporibus deſiderabatur; cujus tamen tantummodo fragmentum, ſive præfationem in Codicibus Græcis celeberrimæ Bibliothecæ Vaticanæ invenit, & cum ceteris Hippocratis libris edidit *Fabius Calvus*. Hoc enim *lib.* 49. legimus. *Quo pacto diligenter, prudenterque Veratrum tam album, quam nigrum in languentium utilitatem, & uſum præparandum, temperandumque ſit, ſumma cura, & diligentia nunc trademus, tractabimuſque.* Non aliud, quod ad hunc librum pertineat, occurrere Calvus edocet. Equidem inter Hippocratis epiſtolas, ad Democritum libellus adhuc extat *de Veratri uſu* inſcriptus; haud tamen ab eo quidquam de hellebori præparatione addiſcere poſſumus: non aliud enim in hoc libello recenſuit Hippocrates, niſi aliquot ex iis de Veratro præceptis, quæ ſparſim in *Aphoriſmis*, *in lib. Prognoſticorum*, *de Morbis Mulierum*, & alibi ſcripta ſunt; proinde quibus præparationibus ſuis ægrotis helleborum Hippocrates propinaverit, ignoramus: elegantiſſime licet de hac re ſcripſerit *Plinius lib.* 25. *cap.* 5. *in Hiſtor. Mundi*. Verum etſi veratri uſus frequentiſsimus apud Veteres fuerit, & vetuſtiſſimum remedium eſſe *Galenus de Atra Bile* aſſeveret; ejus tamen uſus hodie penitus obſolevit, utpote, quod remedium violentiſſimum reputatur. Ex prava quadam illorum temporum conſuetudine veratri uſum tunc invaluiſſe, non male ſuſpicatur *Joannes de Gorter comment. in Hipp. aphoriſm.* 13. *lib.* 4., inquiens: *Ut hodie in malam conſuetudinem introductus fuit uſus Nicotianæ, ita Hippocratis tempore in Græcia, & Ægypto valebat uſus hellebori ad concitandum vomitum.* Profecto diverſæ nationes variis ſemper, pro cæli, ſolique natura, & temperie, tum cibis, tum medicamentis uti conſuevere. Dactylorum abuſum (qui cibus tunc erat in ſua regione communiſſimus) damnabat *Avicennas*: ſic noſtris etiam temporibus aliquæ nationes quibuſdam rebus aſſueverunt, quibus non aſſueti necarentur; veluti Turcarum gentes, & Sinarum incolæ, qui opium, ad animum exhilarandum, viresque confirmandas, purum comedunt, atque ei paulatim adeo aſſueſcunt, ut ab aliquo grano, ad drachmam tandem unam, vel duas etiam, ſumere quotidie ſoleant; cujuſmodi opii quantitas ſemel ſumpta non aſſuetum certo occideret: hinc *Schenkius Obſerv. Med. lib.* 7. *pag.* 886. ſcripſit. *Omnium medicamentorum vires debiliores in aſſuetis deprehenduntur, in nonnullis etiam omnino inertes. Quidam enim tantum hellebori eſitantes, ut manipulos totos conſumant, nihil afficiuntur.* Equidem Veteres paulatim veratri uſui aſſueviſſe ex *Plinii* verbis conſtat, ait enim *cap.* 5. *lib.* 25. *Candidum autem* helleborum *vomitione, cauſaſque morborum extrahit, quondam terribile, poſtea tam promiſcuum, ut plerique ſtudiorum gratia ad prævidenda acrius, quæ commentabantur, ſæpius ſumptitaverint. Carneadem reſponſurum Zenonis libris: Druſum quoque apud nos, tribunorum popularium clariſſimum .... conſtat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Antycira inſula. Ibi enim tutiſſime ſumitur, quoniam (ut diximus) ſeſamoides admiſcent. Italia veratrum vocant.* Hoc idem ex verbis *Cteſii* Medici vetuſtiſſimi ab *Oribaſio lib.* 8. *Collector. Medic. cap.* 8. relatis, confirmatur; inquit enim. *Patris, avique mei temporibus nullus Medicus Elleborum dedit; nam neque ejus temperiem, neque modum, neque pondus, quod dandum eſſet, illi cognoverant. Si vero quiſpiam elle-*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 136 sur 355

©BIU Santé

elleborum potui daret, in primis hominem admonebat, fore ut in magnum periculum casurus esset; cæterum ex iis, qui sumpserunt, multi suffocati sunt, pauci servati, at nunc tuto dari videtur. Iis temporibus adeo nonnullos homines hellebori usui assuevisse apparet, ut ingentem helleberi dosim, non modo sine noxa, sed etiam sine ulla vomitione sumerent: quemadmodum narrant *Theophrastus*, & *Apollonius* de quodam *Eunomo Chio* Pharmacopola, qui multas hellebori potiones hauriebat, & tamen nequicquam purgabatur: quod *Theophrasti*, *Apolloniique* exemplum, aliaque similia de hoc enormi Veterum abusu in sumendo helleboro perpendens *Hieronymus Mercurialis lib. 2. Variar. lection. cap. 25.*, præter varias, tutasque hellebori præparationes, quas Veteres possedisse narrat, atque eorum id sumendi consuetudinem, hæc in primis animadvertit; *Præterea linimentis, balneis, aliisque extrinsecis* [*ut notat Oribasius remediis admiscebant, quæ ut sine noxa hominum corpora purgabant; sic quoque jucunditatem majorem, vel saltem molestiam minorem afferebant.* Sed, quod neque insuetis, neque in omni regione veratrum Veteres præberent, clarissime apparet ex *Alexandro Tralliano*, qui Romæ floruit sub Justiniano Imperatore, quo ævo jam veratri usus obsoleverat; ait enim *lib. 1. cap. 17. Novi enim ex veteribus antiquiores ad veratrum album properasse, ubi affectum ab aliis purgantibus nihil pene imminui conspicerent. Verum ego lapidem Armeniacum veratro albo præfero: atque licet utentem experientia cognoscere, quomodo præterquamquod efficaciter, etiam sine molestia, & periculo purget; quorum nihil veratrum album habere novimus.* Veratrum ergo violentum est remedium, neque sine periculo sumeretur, quamvis *Galenus* in libro, quem inscripsit: *Quos purgare conveniat; Quibus medicamentis, & quo tempore*, leniissimum sua præparatione fieri posse affirmet: ait enim: *Nos itaque acetum mulsum, aliquando bibendum exhibuimus, in quo hellebori albi ramusculos per integrum diem, ac noctem raphanis infixos demiserimus, essetque hæc hellebori levis expurgatio.* Verum idem *Galenus comm. Hipp. aphor. 13. sect. 4.* docet, quod veratrum non propinandum, nisi iis, quos ad vomitum proclives esse constat: ait enim: *Prius oportet tentare eum, qui helleborum sumpturus sit, quo modo se habeat ad superiores purgationes, hoc est ad eas, quæ fiunt per vomitiones. Fiet autem periculum per medicamenta vomitoria, quæcunque sunt mediocria. Si igitur non facile purgari videatur, non oportet hujuscemodi hominem ad helleborum ducere, antequam præparetur. Hoc autem fiet, si per continuos vomitus assuescat is qui sumpturus est helleborum ad prompte vomendum.* Quod Veteres ad sanitatem tuendam frequenti vomitione uterentur, constat ex *Polybi libro de Salubri Dieta*, atque ex his, quæ *Celsus* refert *lib. 1. cap. 3.* ubi plurimas is cautiones, ac provisiones docet illos, qui sæpe vomere consueverant; atque inter cetera, sic ait: *Qui vomere bis in mense vult, melius consulet, si biduo continuaverit; quam si post quintum decimum diem vomuerit, nisi hæc mora gravitatem pectori faciet.* Quoniam ergo Hippocrates in hoc textu veratrum proposuit, equidem credendum, quod sua ætate, & ob consuetudinem, & ob opportunum præbendi methodum, quam in deperdito suo libro *de Veratro* certe tradiderat, & ob illius regionis incolarum temperiem, tuto, & utiliter præbebatur. Homines quidem illorum temporum, non gulæ, deliciis, otioque erant dediti; sed vitam ducebant frugalem, & laboriosam, quemadmodum adnotat *Galenus* in hunc textum; *Longe etiam magis illi permittes licuisse veratri potione uti, quum facile illius sæculi homines labores ex vomitu possent perferre.* Hippocratis igitur indicatio in propinatione veratri pro hac ossis calcanei

©BIU Santé

bibendum dare eadem die, aut postridie (35): & tertia die resolvere, ac rursum deligare (36).

nei affectione, est, ut humores evacuentur, atque etiam a parte affecta revellantur. Veteres enim ad corpus extenuandum, humoresque revellendos diæta, atque hujusmodi evacuationibus utebantur. Nos autem pro nostri cæli temperie, victus, vitæque ratione, hominumque nostratum temperamentis, melius, magisque tuto diæta, sanguinisque emissionibus, illis Hippocratis indicationibus satisfacimus, quam vehementi pharmaco purgante. *Galenum*, eo fortasse, quia sub Romano cælo medicinam exercuit, hoc idem facere consuevisse, apparet ex *comment. 2. text. 31.* in hunc librum, nam inquit. *Malitiam, copiamque humorum, quam Hippocrates purgatione per medicamenta, nos autem sanguinis detractione emendare conamur. Non possum autem non valde mirari, cur ille non potuerit vel hac sola esse contentus, ut qui hoc auxilium & noverit, & in similibus etiam affectionibus fuerit usus: In libro namque de Articulis, ubi contusiones coxis illatas curat, præter alia, quæ esse faciendi censet, hoc etiam addit, venam in cubito esse secandam.* Temporibus etiam *Palladii*, qui paulo post Galenum vixisse creditur, jam pro veratro, sanguinem in similibus affectionibus mittebant. Sic enim ait *Palladius* in hunc Hippocratis textum. *Sed dubitatione dignum, quomodo dicat veratrum exhibendum, & non potius venam secandam. Helleborus enim ad ventrem fluxiones defert, & per ventres vacuans ad ipsum fluxiones magis provocat. Respondemus ab Hippocrate, quando indefinite helleborum dicit, intelligi album, quo vomitum ciere solet. Nunc vero quomodo tam efficaci medicamento utitur? Dicimus temporibus Hippocratis homines fuisse robustiores, quique melius medicamenta ejusmodi valida perferebant.* Plura de veratro scripsit *Ætius Tetrabibl. 1. sermon. 3. capit. 126.*; ubi & quomodo, & quando, quibusque ægrotis veratrum dandum, quibus non, diffusissime is docet. Hippocrates ergo veratrum exhibendum præcipit, vel quia innoxiam novit de eo elicere præparationem; vel quia tuto suis ægris dari poterat: non enim perniciem, quam ægrotis veratrum inferre potest, ignorabat, ut ex ejus scriptis apparet; atque *Aphorism. 1. Sect. 5.* de helleboro incaute propinato hoc prognosticum tradidit: *Convulsio post helleborum lethalis*; cui aphorismo disertissimum commentarium adjecit *Varandæus pag. 754.* Adnotandum etiam est, quod nunquam præscribit helleborum Hippocrates in febri, vel morbo acuto; quemadmodum in hac fractura ossis calcis, ubi non eo utendum esse monet, si multa febris adsit. Per helleborum omne etiam aliud medicamentum purgans, quandoque Hippocratem intellexisse affirmat *Heurnius in commentar. aphorism. 13. sect. 4.*, ubi ait: *Nam per helleborum intelligit omne medicamentum purgans; quod helleborum purgandi facultate cæteris omnibus antecellat.*

(35) POSTRIDIE. Quum Hippocrates, ad humores expurgandos, eosque ab affecto pede revellendos, vomitum, atque alvum veratro cieret; neque id propinaret, nisi febris abesset, ideo dixit: *Præstat veratrum bibendum dare eadem die, aut postridie.* Prima enim, aut altera die nondum febris supervenire plerumque solet; quæ tamen tertia die aderit, dummodo non adeo levis contusio, atque symptomata sint, ut nunquam febris concitetur. Præterea eadem die, aut postridie humores

©BIU Santé

mores pharmaco ejiciendi, atque revellendi ſunt, ut nos ſanguinis emiſſionibus conſueſcimus, antequam ſcilicet, eorum redundantia affecta pars obſideatur. *Vid. not.* (3) *cap.* 39.

(36) DELIGARE. Primis diebus faſcias reſolvere, ac rurſus deligare in hac fractura calcanei jubet Hippocrates, quemadmodum in generali fracturarum curatione docuerat *cap.* 5., ubi etiam de hac methodo ſatis congruas rationes retuliſſe obſervavimus.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XIII.

Signa recrudeſcentis calcanei vulneris. Quot diebus ſanetur.

SIgna porro an recrudeſcant, aut non, hæc ſunt (1). Quum ſanguis e venis effuſus, & denigrationes, & his vicina, fiunt ſubrubra, & ſubdura: periculum eſt ne recrudeſcant (2). At ſi quidem febre careat; ſurſum purgans medicamentum dandum eſt, velut dictum eſt: itemque ſi non continua febre laboret (3). Si vero continua fuerit febris, medicamentum dandum non eſt (4). Verum & a ci-

(1) HÆC SUNT. Hippocrates *recrudeſcere*, ſive ut *Calvus* interpretatur, *rebellare* per translationem dixit, quum morbus pravis cum ſymptomatis augeſcit, vel in alium pejorem morbum degenerat: veluti quando in gangrænam tranſit inflammatio, gangræna in ſphacelum. Sin vero morbus, qui ſanatus videbatur, iterum repetet, & recurret, tunc morbi reverſio, & uſitatius, recidivus dicitur. *Palladius* enim in hujus têxtus ſcholiis ait, quod Hippocrates recrudeſcere *dicit pro eo, quod eſt deterius habere*. Signa igitur nunc oſtendit Hippocrates, quibus perſpicuum erit, an calcanei affectio recrudeſcat, aut non.

(2) RECRUDESCANT. Quotieſcunque locus ille, ubi contuſione, vel ecchymoſi ſanguis effuſus eſt, parteſque vicinæ ſubrubræ fiunt, & ſubduræ; ſignum tunc eſt, quod morbus augetur, atque in pejus tendit; rubedo enim, & durities inflammationis ſunt ſigna, quæ, quo plus late ad proximas partes, etiam non contuſas, protenduntur, eo majus periculum eſt, ne recrudeſcant.

(3) LABORET. Qua indicatione veratrum præberet Hippocrates *not.* (33) *cap.* 12. adnotavimus; atque eadem die, aut poſtridie id exhibendum eſſe præcipit, antequam humores ad affectam partem confluerent: ex humorum enim affluentia inflammatio, atque febris excitarentur. Si ergo febre careat æger, aut ſi febris continua non ſit, ſignum erit, quod nondum ad affectam partem humores confluxerunt; atque tum evacuationibus, atque revulſioni locum adhuc eſſe ſtatuit Hippocrates, quare medicamentum ſurſum purgans, ſive vomitorium dandum eſſe cenſet. *Galenus* autem in hac calcanei ægrotatione, etiamſi nulla adeſſet febris, veratrum non dabat: ſic enim ſcripſit in *hujus textus comment.*: *Cenſet autem veratrum dandum aut eo, aut poſtero die; videlicet antequam inflammatione partes affectæ laborent, homoque febricitare incipiat. Si autem febris antevertiſſet, & ea mitis eſſet, adhuc veratrum præbet; nos autem illud, neque etiamſi nulla adeſſet febris, tradere auderemus.*

(4) NON EST. Si humores ad affectam partem confluxerint, locus ille intumeſcet, atque inflammatio excitabitur, unde febris continua erit, quapropter medicamentum ſurſum purgans dare prohibebimur: nam id humores concitando morbum augeret. In lib. *de Ration. Vict. in Morb. Acut. n.* 56. ita ſcripſit *Hippocrates*. *Quicumque vero ex*

©BIU Santé

a cibis, & a ſorbitionibus abſtinendum (5). Potu vero utendum aqua; non vino (6), ſed favorum cremore (7) decocto, aut aceto mulſo dulci.

ex abſceſſibus, aut venæ ruptura, aut propter intemperantiam, aut ob aliam quamdam fortem cauſam, ſuppurati fiunt, talibus veratrum ne dato. Nihil enim profuerit, & ſi quid perpetietur æger, veratrum in cauſa eſſe videbitur.

(5) ABSTINENDUM. Superius ubi de offium radii, cubitique fractura egit Hippocrates, dixit: *His victus ſufficit aliquanto ſimplicior: Vid. not.* (1) *cap.* 7. In fractura oſſis humeri, quod majus eſt os, hæc addidit. *Cæterum victum quendam exquiſitiorem, quam prius conſtituere oportet, & ad longius tempus. Vid. not.* (3) *cap.* 9. Nunc autem in fractura oſſis calcanei, cui ob rationes *not.* (4) *cap.* 10. allatas, vel vulnus, vel gravis contuſio ſemper accedit, non modo omnem cibum, quamvis tenuiſſimum, ſed etiam ſorbitiones, detrahit. Eæ nanque ſorbitiones apud Veteres vocabantur, quæ medium quaſi alimentum ſunt inter cibum, & potum, uti docet *Hippocrates, lib. de Veteri Medicin.*, ubi ait. *Attamen eſſe quoſdam ita comparatos, ut ne quidem parca manu oblatis cibis pares ſint; viſi ſunt illis imbecilliore quodam victu indigere. Itaque ſorbitiones invenerunt, paucam valentioris cibi copiam, plurima aqua, diluentes, eique vim mixtura, & coctione detrahentes.* Quod ſorbitiones, non pro tenuiſſimo victu Veteres habuerint *ex Aretæi* verbis apparet, qui *lib.* 1. *de Curat. Morbor. Acuor. cap.* 6. ſcripſit; *Neque inedia æger maceretur; res enim frigida, ſiccaque fames eſt, propinetur itaque mulſa ſpiſſa meracior, & ptiſanæ cremor cum melle. Iſta nanque..... & ad molliendam alvum molliſſima, & ad vires inſtaurandas valentiſſima.* Has ſorbitiones ex hordei cremore, ut plurimum Hippocrates miſcebat, quam ceteris ſorbitionibus antefere-

bat, ut luculeutiſſime oſtendit in *lib. de Ration. Vict., in Morb. Acut.*, ubi adeo longa oratione ptiſanæ virtutes enumeravit, ut aliqui docti viri eum librum *de Laudibus Ptiſanæ* inſcribendum cenſuerint. Qua ratione ptiſanam ex variis hordei præparationibus, atque coctionibus Veteres conficere conſueverint, & quare ejuſdem uſus apud recentiores obſolverit, accuratiſſima enarratione expoſuit *Valleſius in comment. lib. de Rat. Vict. in Morb. Acut. text.* 2. At præterquam hordeo, aliis etiam rebus ſorbitiones elicere Veteres ſolebant; uti legimus apud *Cælium Aurelianum*, qui *lib.* 5. *Morborum Chronicorum cap.* 10. inquit; *dandus præterea tibus, qui ventris teneat officium, ut orizæ ſuccus ſorbilis, aut lenticulæ.* Quum igitur ſorbitiones ex pleniori ſucco conficiantur, atque ciborum ſuccedaneæ ſint; in hac affectione calcanei, in qua continua febris adeſt, eas dare prohibet Hippocrates; atque jubet ægrotos tenuiſſimam vivendi rationem inire. Hujuſmodi ex ſolis potionibus diætam in morbis acutis frequenter præſcriptam in aliis Hippocratis libris legimus, quemadmodum adnotat *Jacobus Hollerus in explanatione Aphoriſ.* 4. *Sect.* 1. inquiens; *Non enim damnat Hippocrates extreme tenuiſſimum victum, cum aliquando continuerit ægrum ſeptem diebus in inedia, hoc eſt in ſola potione, & ſorbitione, abſque cibo.*

(6) NON VINO. In ægris illis, in quibus tenuiſſima victus ratio requiritur, ſolas potiones Hippocrates offert; ſed monet, quod non vino, ſed aqua utendum. Vinum autem non modo in hac fractura, quæ parvis ſtipatur ſymptomatis; verum etiam in fractura ſimplici prohibuerat. *Vid. not.*

©BIU Santé

ci (8). Si vero non recrudeſcent, ſanguis e venis effuſus, & denigrationes, & vicinæ partes, cum virore ſubpallidæ fient, & non duræ (9). Et bonum eſt hoc teſtimonium in omnibus ſugillatis, ſanguine

not. (4) *cap.* 7. Animadvertere etiam debemus, quod in hoc textu Hippocrates, quoniam ob febrim continuam veratro humores evacuare, atque revellere non convenit, ut iiſdem ſatisfaceret indicationibus, tenuiſſimam hanc ex ſolis potionibus victus rationem præcipit. Sic enim humorum copia extenuatur, & novus chylus, qui ſanguinem ingreditur, aquoſus erit, refrigerans, facile per vaſa meabilis, neque febris calore cito putrefiet, atque non multa opus erit elaboratione, ut talis chylus naturæ humorum inquilinorum corporis aſſimiletur; quæ omnia ad contuſionem, inflammationemque reſolvendam maxime conferunt.

(7) CREMORE. Inter potiones, quas in tenuiſſima victus ratione ægris præbere Hippocrates conſuevit, favorum cremorem decoctum recenſet. Favi autem dicuntur, ut omnibus notum eſt, cellulæ illæ hexagonæ, quas ſibi pro ſua domo apes fingunt. Quomodo autem ex his cremorem Græci conficere conſueverint, in hujus textus commentariis, *Galenus* his verbis expoſuit. *Favum expreſſo melle in ollam mundam conjiciunt aqua plenam, ac macerant, deinde decoquunt quoad illis videatur favus totum, quem in ſe continebat, humorem in ea aqua depoſuiſſe, poſtea conditum ſervant; eoque æſtivis temporibus aqua frigida diluto, pro potu ſitim ſedante utuntur.*

(8) DULCI. Si favorum cremore caruerimus, vel eo uti ægrotus noluerit, acetum mulſum dulce proponit Hippocrates, ut animadvertit Galenus in comment. *Aetius* autem *Tetrabibl.* 1. *Serm.* 4. *cap.* 43. dum diverſas potiones recenſet, quibus pro victu in morbis acutis Veteres uti conſuevere, rationem docet, qua acetum hoc mulſum conficiatur; ait enim. *Utantur igitur in victu aceto mulſo præſertim, aliquando & ptiſana; aliquando vero danda eſt & aqua mulſa . . . . . Commodiſſimum eſt autem ipſis acetum mulſum, ex ſolo optimo melle & aceto præparatum: ut ſint mellis quidem deſpumati partes duæ, aceti vero pars una, plus minus. Præſtat enim ex accipientium ſenſu modum judicare, non noſtris commoditatibus. Nam quod naturæ jucundum eſt, hoc commodum eſt.* In libro autem *de Ratione victus in Morbis Acutis num.* 58. rationem præbendi acetum mulſum, ſatis diffuſe docet *Hippocrates*. Profecto hujuſmodi victus ratio noſtris temporibus penitus obſolevit; atque pro his potionibus, carnium jura, in tenuiſſimo victu, exhibentur. Verum tales potiones ex animalibus vel terreſtribus, vel aquaticis, vel amphibiis aqua decoctis elicitæ, ſpontanea degeneratione cito vergunt in putredinem, ut clariſſimis conſtat experimentis, atque luculentiſſime oſtendit *Boerhaavius in Aphoriſmis*, ubi agit *de Morbis ex Alcalino ſpontaneo*: atque etiam eo ſemper facilius, promptiuſque hujuſmodi jura putreſcent, quo major erit corporis calor; quippe putredinis fomes calore promovetur. In hoc igitur textu, ubi febrim continuam adeſſe exiſtimat Hippocrates, jure optimo has potiones proponit, quæ ex aceſcentibus potius, quam putreſcentibus particulis conficiuntur; ſic enim humores refrigerantur, impacta ſolvuntur, ſolida relaxantur, quin febris calore potiones hauſtæ in putredinem convertantur.

(9) NON DURÆ. In principio hujus capitis, ſigna, quibus cognoſci poterat,

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 142 sur 355

©BIU Santé

guine e venis ſubter cutem effuſo, quod non recrudeſcent (10). Quæcunque vero cum duritia liveſcunt, ea ut denigreſcant periculum eſt (11). Cæterum hoc ſtudio habere oportet, ut pes plerunque paulo altius reliquo corpore habeatur (12). Sanus autem fieri poterit in ſexaginta diebus (13) ſi quieverit (14).

rat, an ſanguis e venis effuſus, & denigrationes recrudeſcerent, eſſe dixit, ſi pars affecta, *& huic vicinæ ſubrubræ, & ſubduræ fiant*. Nunc autem ſi contrarium accidet, ut partes ſcilicet illæ cum virore ſubpallidæ, & non duræ fiant, tunc qnod non recrudeſcant, ſignum eſſe ſtatuit. Sanguinis enim effuſiones, quæ in contuſione, ſugillatione, & ecchymoſi obveniunt, ubi reſolvuntur, durities, atque tenſio in pacte affecta ſubſident. Præterea dum effuſus ſanguis in reſolutione liqueſcit, non modo a vaſis in communem liquorum maſſam abſorbetur, & perſpiratione diſſipatur; ſed etiam vicinarum partium interſtitia ſubeundo, tunicæque cellularis, cutiſque poros permeando, lata expanſione undique diffunditur; hinc circumpoſitæ partes diluto illo, ſolutoque ſanguine penetratæ, atque infectæ, pallidæ cum virore fiunt, quam cutis maculam livorem nominamus. Tales livores vicinis partibus propagari, dum aliqua contuſio non recrudeſcit, ſed reſolvitur, paſſim cernimus; ſimplex enim contuſio, vel ecchymoſis ex baculi, ex. gr. ictu, humero, vel femori illato, dum reſolvitur, totum fere brachium, vel crus atro livore primum, dein flavo, plumbeo, ſubpallido tandem colore, ſolet inficere; donec dilutus, ac penitus eliquatus ſanguis in communem humorum maſſam totus effunditur, parteſque infectæ ad priſtinum colorem reſtituuntur.

(10) NON RECRUDESCENT. Bonum hoc teſtimonium, optimum ſcilicet ſignum eſt, non modo in hac affectione calcanei; verum etiam in aliis quibuſcunque partibus ſugillatis; adeo ut pro regula generali optimum id ſignum judicandum eſſe cenſeat Hippocrates in omnibus contuſionibus. Quotieſcunque enim ſanguis ſubter cutim effuſus, neque in putredinem, neque in ſuppurationem vergit, ſed liqueſcens, & late expanſus, cutim livido, aut ſubviridi colore inficit (ut præcedenti nota obſervavimus) bonum id ſemper erit in omnibus contuſionibus indicium.

(11) PERICULUM EST. Maculæ lividæ, & non duræ circa contuſiones expanſæ, ſanguinem effuſum diſſolvi portendunt; quod optimum ſignum eſt, quia reſolutio eſt felicior exitus contuſionum: ſed ſi eæ maculæ cum duritie apparebunt, malum tunc erit ſignum; nam id accidet, quia nimia ſanguinis copia ſub cute effuſa affectas partes, infarciendo, ac diſtendendo, in liveſcentem duritiem coegerit; quare periculum eſt, ne partes illæ lividæ, & duræ, copia effuſi ſanguinis nimis compreſſæ, ac diſtentæ, denigreſcant, ac corrumpantur.

(12) HABEATUR. Ut ſanguinis emiſſionibus, diæta, ac purgationibus evacuando, ac revellendo humores, quantum fieri poteſt, nimium influxum ad affectum locum prohibere contendimus; ſic etiam eiſdem indicationibus in pedis collocatione ſtudendum eſt; ideoque monuit Hippocrates, ut *ut pes paulo altius reliquo corpore habeatur*, ne in eam partem humorum derivatio fiat. Noſtri enim corporis humores, non modo cordis impulſu vaſorum contractilitate, partium incumbentium pondere, atque preſſione, mu-

©BIU Santé

musculorum actione, aliisque causis per vasa propelluntur; sed etiam in partes ad declive tendentes proprio pondere descendunt, majorique nisu impelluntur. Ne igitur hac de causa sanguinis in pedem confluxus fiat, sed potius avertatur, ut paulo altius reliquo corpore, videlicet in acclive, pes ponatur, Hippocrates præcipit. Animadvertendum tamen est, eum dixisse; *paulo altius reliquo corpore habeatur*, ut moneret, ne multum in altum pes ponatur. *Galenus*, in hujus textus commentariis, pedis altitudinis regulam, atque mensuram exposuit, inquiens. *Quum vero sublimior constituitur, nihil eo confluit, & proinde sublimior quidem deponendus est, attamen non plurimum; quia si longiori tempore in eo situ permaneret, doleret tandem. quæ vero dolent, inflammationi exposita sunt. Terminus ergo in ejus configuratione is perscribendus est, ut videlicet dolore vacet; quem invenies, si pedem, quando paulo amplius attollas, tendi sentiat.*

(13) DIEBUS. Breve, & crassum os est calcaneum; in ejus centro non amplum illud cavum medullare, ut in aliis grandioribus ossibus, reperitur, sed tota ejusdem substantia lamellis est osseis æque intertexta. Numerosa igitur lamellarum quantitas longius tempus requirit, ut id os perfecte consolidetur; & ideo serius, quam hactenus enarratorum ossium fracturæ, convervet; quare Hippocrates, qui ossa cubiti triginta diebus, humeri quadraginta consolidari dixerat, pro hoc osse calcanei sexaginta opus esse ait, ut sanum fiat.

(14) QUIEVERIT. Diebus sexaginta calcaneum consolidari, hac tamen conditione, *si quieverit*, Hippocrates affirmat. Hujus rei rationem in principio *cap.* 11. attulerat, quum dixerit; *Totum enim corporis pondus pedes vehunt. Quum igitur nondum sani iter faciunt, articuli moti male curantur. Vid. not.* (1) *cap.* 11.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 144 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XIV.

Tibiæ ossa duo. Luxatio eorundem, & curatio.

AT vero tibia duo ossa sunt (1), quorum alterum altero hac parte multo tenuvius est, illa vero parte non multo tenuvius (2). Cohærent autem inter se juxta pedem (3), & appendicem communem habent (4). Verum in rectitudine tibiæ non cohærent (5). Juxta

(1) SUNT. Quod Hippocrates humerum, cubitum, aut femur nominat, non semper, quemadmodum *Galenus* adnotat, ossa tantummodo significare intelligit; sed etiam aliquando partes omnes hæc ossa circum ambientes his nominibus una comprehendit. Hac consuetudine nos etiam in praxi utimur, dum vulnus, vel tumorem in humero, cubitove aliquem habere dicimus, quamvis ejusmodi affectiones ad os nequaquam pertingant. Mirum igitur nemini videbitur, Hippocratem dixisse, *tibia duo ossa sunt*: tibiæ enim nomine omnem regionem, quæ femur, pedemque interjacet nuncupavit, quod a *Celso* crus dicitur. Duo igitur in crure, sive tibia sunt ossa; alterum crassius, atque interius situm, quod proprie tibia nuncupatur, alterum tenuvius, & exterius collocatum, fibula, sura, vel perone dictum.

(2) TENUVIUS. Fibula est os longe gracilius tibia, ut etiam *lib. de ossium Natura* innuit Hippocrates, ubi scripsit. *Tibiæ vero duo sunt ..... Parvum est, quod extrinsecus est.* Sed horum ossium una extremitas altera vicissim crassior est: tibia enim in extremitate superiori, ubi cum osse femoris conjungitur in ampliſſimum caput desinit; fibula vero in inferiori parte, qua pedis ossibus annectitur, minus gracilis est, adeo ut in hac extremitate fibula non multo tenuvior tibia appareat.

(3) PEDE. Ossium tibiæ, & fibulæ extremitates inferiores juxta pedem conjunguntur; atque fibula per faciem cartilagineam laterali incisuræ basis tibiæ ita connectitur, atque cohæret, ut unum ibi solius tibiæ continuum os esse videatur; hinc nonnulli eruditi viri, minus tamen rei anatomicæ periti, utrumque malleolum, externum scilicet, & internum pro unico, solidoque osse sumpserunt, talumque nominarunt; in quem errorem incidit *Erasmus Roterodamus*, qui in dialogo *de Talorum lusu* malleolos hominum talos vocari innuit. Hic error etiam Galeni temporibus apud aliquos vigebat; nam ipse de malleolis loquens ita scripsit. *A nonnullis, perperam tamen, talus vocantur; nam talum tendo annexus ita interius continet, ut neque visu, neque tactu deprehendi possit.*

(4) HABENT. Quo sensu tibiam, & fibulam communem appendicem habere Hippocrates intellexerit, apertissime docet *Galenus in Commentariis*, ubi ait. *Verbum illud commune, quod hic Hippocrates profert, non ita accipi debet, ut intelligamus eam appendicem prorsus unam, & continuam esse; sed quod ambæ ita conjunctæ sint, ut quasi pro una habeantur. Ita enim inter se committuntur hæ appendices, ut una fere esse videatur.*

(5) NON COHÆRENT. Fibula, & tibia in suis tantummodo extremitatibus cohærent; cæterum vero distant, atque cir-

©BIU Santé

ta femur (6) autem cohærent, & appendicem habent, & appendix diſcriminationem (7). Longius vero paulo alterum (8) os eſt, quod ſecun-

circa ſuperiorem partem magis ſejunctæ ſunt. Totum autem intervallum, quod horum oſſium disjunctio efficit, ſeptum quoddam ligamentoſum occupat, quod pluribus muſculis inſertionem præbet, de quo accuratiſſimam tradidit deſcriptionem *Winſlowius lib. de Oſſib. recent.* Hanc igitur disjunctionem innuit Hippocrates, dicendo; *in rectitudine tibiæ non cohærent.*

(6) FEMUR. Tibiam, & fibulam juxta pedem cohærere jam dixit Hippocrates, uti *not.* (3) adnotavimus; dixit etiam, quod in rectitudine non cohærent, ut *not.* (5) Nunc vero ait, quod juxta femur, ubi altera extremitas eſt, cohærent. Fibula enim ſua ſuperiori extremitate articulationem genu non attingit, ſed ejus capitulum, ſive appendix, infra articulum deſinit, & externo ipſius tibiæ lateri annectitur; & hæc eſt illa unio, quam *juxta femur* fieri ſcripſit Hippocrates. Hanc fibulæ cum tibia cohærentiam optime deſcripſit *Veſalius lib. 1. cap. 31.* ubi ait. *Fibula autem non adeo alte conſcendit, ut femur contingat: verum ſuperior ipſius appendix interno ſuo latere ſinum gerit amplum, leviter admodum inſinuatum, cui minimum protuberans tibiæ oſſis latus, verſus ſuperiora conſiſtens, cartilagine, ſimiliter atque ſinus fibulæ incruſtatur.*

(7) DISCRIMINATIONEM. Oſſium appendices, ſive Epiphyſes, illa capitula, illæve extremitates ſunt, quæ in junioribus animalibus non continuæ, ſed contiguæ, accretæque reperiuntur; in adultis autem in unum continuum corpus cum reliqua oſſis ſubſtantia ſolideſcunt, quales appendices tibias habere Hippocrates innuit. Superior autem oſſis tibiæ appendix a duobus condylis ſuperius admodum complanatis, & duas in facies cartilagineas, fere horizontales, diſtinctis, leviterque cavis, formatur. Hæ duæ complanatæ facies duobus magnis capitulis extremitatis inferioris femoris reſpondent. Inter has ſpongioſum oſſeum tuberculum, atque ligamentoſa quædam cartilago extuberat, quæ in ſinum condylorum femoris inſeritur. Hæc extuberantia in dextram partem, & ſiniſtram, tibiæ appendicem diſcriminat; unde Hippocrates dixit, quod tibia juxta femur habet diſcriminationem. Hujus diſcriminationis figuram clariſſime expreſſit *Verheyenus Tom. 1. tab. 32. fig. 15.* Accuratiſſima legi etiam meretur *Winſlowii* explicatio de ligamentis ſe decuſſantibus, nec non de illis cartilaginibus mobilibus ſemilunaribus, inferius convexis, ſuperius concavis, quæ in genu articulatione ſunt, quarum admirandam ſtructuram, & uſum in ſuo tractatu de oſſibus recentibus expoſuit. Has cartilagines *Morgagnus* quoque optime perpendit in *Adverſar. Anat. 2. Animadver. 31.*; earumque elegantiſſimam figuram in ibidem adjecta tabula *fig. 4.* expreſſit. Hæc omnia non quidem in ſceleto, ſiccatiſque oſſibus reperiuntur; ſed in oſſibus tantummodo recentibus conſpici poſſunt; hinc *Galenus* in hujus textus commentariis, ita monuit; *Partem, quæ in medio extuberat, quæque ex nervo, & cartilagine quadam compoſita videtur, diſcriminationem vocat. Hæc femoris tubercula, quæ tibiæ inſeruntur, dirimit: atque in cadaveribus eorum, qui diu mortui ſunt, putret, ac evaneſcit, ut inde facile deceptus quiſpiam putaret, falſum eſſe hoc, quod de ea tradit Hippocrates; & ſane immerito, nam in recentibus cadaveribus, ea ſemper reperiuntur.*

©BIU Santé

ſecundum parvum digitum eſt. Et talis quidem eſt natura oſſium in tibia (9). Luxantur autem aliquando juxta pedem ambo oſſa, quandoque cum appendice (10): quandoque vero appendix tantum emovetur,

(8) ALTERUM. Quamvis extremitas inferior tibiæ craſſam, & robuſtam in latere interno apophiſim habeat, quæ malleolus internus dicitur; alterum tamen os, videlicet fibula, quæ ſecundum parvum digitum excurrit, atque ſuo capitulo externum malleolum efficit, longius eſt, quia magis ad pedem protenditur; unde malleolus externus magis inferius poſitus, quam internus, conſpicitur.

(9) IN TIBIA. Aliqua dumtaxat, quæ in cruris oſſibus advertenda ſpeciatim ſunt, Hippocrates innuit; accuratam vero cruris fabricam exponere non inſtituerat; nam jam ſatis in anatomicis quemque inſtructum eſſe credidit, qui hunc librum evolveret *uti not.* 1. *cap.* 1. adnotavimus; ideo de horum oſſium ſingulari natura, & connexione hæc tantummodo attigit, ut curationis ratio facilius intelligatur.

(10) CUM APPENDICE. Diverſas oſſium tibiæ, & fibulæ luxationum ſpecies juxta pedem in hoc textu exponit Hippocrates, quæ clare diſtincteque percipi nequeunt, niſi articulationis oſſium cruris cum aſtragalo ſtructura accuratiſſime intelligatur. Superior enim aſtragali facies, ubi cum oſſis tibiæ extremitate articulatur, ſuperficies eſt convexa, quam tibiæ extremitas, quæ faciem concavam habet, excipit. Ambo hæ ſuperficies conjunctæ pedis articulationem formant, quam articulationem horizontalem nominabo, ut ab alia articulatione, quam modo conſiderabimus, & quam ad majorem intelligentiam perpendicularem vocabo, diſtinguatur. Præter igitur hanc ſuperiorem convexam ſuperficiem, duæ aliæ etiam ſuperficies, altera ad externam partem, altera ad internam ſpectantes, aliquatenus concavæ in aſtragalo ſunt, quæ pariter articulationi oſſium cruris cum pede inſerviunt. Harum ſuperficierum externa, quæ latitudine pollicem excedit, capitulum fibulæ excipit, quod eſt malleolus externus; interna, quæ minimum digitum amplitudine adæquat, tibiæ apophyſi articulationem præbet, quæ malleolus internus nominatur. Tibiæ, & fibulæ extremitates ſimul junctæ, & in naturali figuratione conſideratæ, bifurcam quamdam figuram effingunt, cujus centrum, tibiæ extremitas eſt, cornua vero, fibulæ appendix, & tibiæ apophyſis, ſive utrique malleoli, conſtituunt. Tibiæ igitur centrum cum ea ſuperficie convexa aſtragali, quam horizontaliter articulari diximus, conjungitur: cornua vero, ſive malleoli ſuper illas facies laterales aſtragali deſcendendo, articulationes ad angulum rectum cum priori efformant; cujuſmodi articulationes ideo perpendiculares me vocaturum eſſe propoſueram. Laterales hæ duæ articulationes robuſtiorem, atque firmiorem pedis articulum efficiunt. Prima igitur luxationum pedis differentia, quam hic ponit Hippocrates, eſt, quum ambo cruris oſſa vel cum appendice, vel ſine appendice luxantur. In anteriorem enim, vel poſteriorem partem illa tibiæ facies, quam horizontaliter cum aſtragalo articulari diximus, luxari poteſt, quin omnino appendices, ſeu malleoli, qui ad latera aſtragali ſunt, de ſua ſede deturbentur; cujuſmodi luxatio facili negotio reſtituitur, neque curatio multis difficultatibus eſt obnoxia. Interdum

©BIU Santé

vetur (11), quandoque alterum (12) tantum os. Hæc autem minus moleſta ſunt, quam ea, quæ in articulo manus exiſtunt (13), ſi quiedum vero appendices quoque vel malleoli una luxantur, quod fieri nequit, quin ligamenta, quæ appendices nectunt, divellantur, atque lacerentur; ex quo tunc luxatio id genus multo eſt pejor priore, majorique opus eſt molimine ad eam reponendam, moleſtiorque erit curatio, longiuſque tempus expoſcet, antequam libere, ac ſine moleſtia poſſit ægrotus incedere.

(11) EMOVETUR. Altera differentia eſt, quando appendix tantum emovetur. Poſſunt enim appendices, ſive malleoli, de ſua ſede moveri, atque luxari, qua ad latera aſtragali articulantur, qualem articulationem in nota præcedenti perpendicularem nominavimus, quominus alia etiam tibiæ articulatio cum ſuperiori aſtragali facie, quam tranſverſalem diximus, luxetur. Harum appendicum ſimplex luxatio in anteriorem tantummodo, vel in poſteriorem partem fieri poteſt: ad latera enim nequeunt deflectere, quin harum unius fractura ſequatur; uti notat *Petitus lib. de Maladi: des os. Tom. 1. chapit.* 13. inquiens. *Les luxations en dedans, ou en dehors, ne ſont preſque jamais des luxations ſimples, l' aſtragale ne pouiſant s' echaper ſur le coté qu' il n' y ait fracture des malleoles.* Hoc quidem experientia comprobatum quotidie cernimus; qualis eſt caſus, quem refert *le Dran Obſervation. de Chirurg.* 109. ubi de pedis luxatione narrat, in qua *trouva le pied luxé en dehors ſans aucune playe, mais avec fracture du Péroné a un pouche au deſſus de l' articulation.* Hujus rei ratio ex horum oſſium ſtructura, atque articulatione dependet; ut quilibet in re anatomica, ſceletique contemplatione verſatus, facile percipiet.

(12) ALTERUM. Quandoque alterum tantum os, ſola ſcilicet tibia, aut fibula luxatur; quæ luxatio non modo levioris momenti non eſt; verum etiam majora incommoda, majoreſque difficultates affert. Nequit enim horum oſſium unum tantum luxari, quin præter luxationem, eorum quoque conjunctionis disjunctio, atque ſeparatio, quam Græci *Diaſtaſim* vocant, ſequatur; quæ diaſtaſis, non ſine ligamentorum tibiæ, & fibulæ oſſa connectentium divulſione, atque laceratione, fieri poteſt. Quoties igitur alterum tantum os juxta pedem emovetur, majus erit malum, cereris paribus, quam ſi ambo emota fuiſſent: nam ſemel facta tibiæ, & fibulæ disjunctione, quamvis os luxatum in ſua ſede optime repoſitum ſit, nunquam tamen adeo arcte, ut antea, ob ligamentorum divulſionem, alteri conjungi poteſt; ſed poſt tales luxationes malleoli magis plerumque diſtant, latioreſque evadunt; uti monet *Vidius lib. 7. de Curat. Generat. cap.* 14. inquiens. *Scire tamen licet oſſa diducta nunquam ex toto reverti ad priorem nexum, ſed reddi ſemper locum tumidum, ac deformem, quamvis, neque imminuatur uſus, neque impediatur motus.*

(13) EXISTUNT. Aſtragalus, qui tibiæ extremitati connectitur, & malleoli, qui utrinque ginglymoideam articulationem fulciunt, nec non robuſta ligamenta, quæ totam articulationem vinciunt, pedem a luxationibus validiſſime defendunt, qui tamen, ſi ob fortem ictum luxatus fuerit, convenienti extenſione in ſuam ſedem non difficulter reſtituitur: ampla enim tibiæ cavitas, facile ſuo ſinu aſtragalum iterum excipiet, & malleoli in priſtinas ſedes deſcendent. Manus vero arthrodia, articulatio eſt, quæ facili negotio excidit,

©BIU Santé

ſcere homines ſuſtineant (14). Curatio vero conſimilis eſt, velut illorum: nam & repoſitionem ex extenſione, velut in illis facere oportet.

dit, & optime quamvis fuerit repoſita, ejus tamen figura fere ſemper poſt curationem aliquatenus depravata remanet. Excavationes enim, ſive foveæ extremitatis inferioris radii, quibus præcipue articulationis carpi conjunctio fit, parum ſunt ſinuoſæ, & hunc omnem articulum circumpoſita ligamenta maxime ſuſtinent, quæ a luxatione ſemel divulſa, non facile priſtinum robur, & dimenſionem adipiſcuntur, uti nota ſuperiori obſervavimus; quare oſſa carpi, quæ non ampla excipiuntur cavitate, hinc, vel illinc deflectunt, perpetuoque diſtorta ſolent remanere, non ſine maxima Chirurgorum ſolicitudine: ægri enim, imperitumque vulgus, Chirurgo imputant calamitatem, quæ eſſet partis ſtructuræ tribuenda; proinde in hoc textu ſcripſit Hippocrates; *Hæc autem minus moleſta ſunt, quam ea, quæ in articulo manus exiſtunt.*

(14) SUSTINEANT. In omni oſſium pedis fractura, vel luxatione, totum illud tempus, quod ad eorum ſanationem requiritur, ægros decumbere debere monuit ſuperius Hippocrates, atque dixit, quod ſunt, qui *non tolerant contemnentes morbum: verum priuſquam ſani fiant obambulant, & proptera plurimi non perfecte ſanantur:* quamobrem in hoc textu, quamvis pedis luxationes minus moleſtas eſſe dixerit, quam manus; addidit hoc tamen monitum; *Si quieſcere homines ſuſtinuerint.*



CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XV.

Ossium tibiæ extensio.

VErum vehementiore exrensione opus habent, quanto fortius est ea parte corpus (1). Plerunque tamen sufficiunt viri duo, alter hinc, alter illinc extendentes (2). Si vero non satis robusti fuerint, facile est vehementiorem extensionem facere (3). Aut (4) enim rotæ modiolum,

(1) CORPUS. Prima omnium fracturarum indicatio generalis, est extensio, & repositio: diversa tamen in extensione, & repositione vis, atque vehementia requiritur, pro partis affectæ robore, ægrique natura. Pueri enim, vel laxæ compaginis, vel gracile membrum non multa vi satis extendi, ac reponi potest: athelitici vero hominis longe majorem vehementiam requirit; hinc dicit Hippocrates, quod pedis luxationes *vehementiore extensione opus habent, quanto fortius est ea parte corpus.*

(2) EXTENDENTES. Pro repositione luxationis pedis duos viros plerumque sufficere ait Hippocrates, quorum alter hinc, alter illinc debet extendere: scilicet unus altera manu calcaneum, altera metatarsum arripiendo, pedem deorsum trahat; quod *extensio* dicitur; alius exadverso positus crus utrinque ambabus manibus amplectendo sursum retrahat; quod *contra extensio* a Chirurgis nominatur.

(3) FACERE. Sicuti in omnibus artibus, humanisque operationibus simplicitas semper requiritur, magnique æstimatur; ita etiam fracturarum, vel luxationum repositionem, majori, qua poterit simplicitate nos perficere debere *Hippocrates* docuit; ait enim *cap.* 18. hujus libri: *Siquidem igitur sufficerit extensio, quæ per viros fit: nihil aliud laboais frustra insumere oportet: imperitiam enim arguit machinas adhibere, ubi ipsis non est opus.* Verum ubi nudæ manus satis robustæ non fuerint, tum ad alios valentiores modos confugiendum esse censet. De variis articulos reponendi modis, ita ex *Heliodoro* scripsit *Oribasius lib. de Machinamentis. Tres sunt generales, & quasi summæ reponendi articulos differentiæ. Alii enim modi dicuntur palæstrici, qui nudis manibus plerumque perficiuntur, cumque imbecilles sint, mollibus corporibus, pueribus nimirum, & muliebribus aptantur, tum masculis, quæ illis robustiora sunt, dummodo recens adhuc vicium fuerit. Methodici reponendi modi, qui instrumentis perficiuntur, quorum in communi vita usus est, valentiores palæstricis sunt, omnibus idonei, viris, fœminis, masculis jam robustioribus, ac juvenilibus corporibus, atque ubi os aliquandiu e sua sede motum fuerit. Organici modi majus, quam hi momentum habent, inveteratis enim conveniunt, & athleticis corporibus, & quæcumque prolapsa curationem recipiunt, sed methodicis modis restitui nequeunt, ea omnia organis reponuntur. Cocchius in Collection. Nicetæ pag.* 172. Quemadmodum igitur *Hippocrates*, quoad remedia, *Aphorism.* 8. *Sect.* 8. dixerat. *Quæcumque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat, quæ ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet*, sic in omnibus operationibus chirurgicis, & speciatim

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 150 sur 355

©BIU Santé

diolum, aut aliud quid huic ſimile defodere oportet (5), & molle quiddam pedi circumdare (6), & poſtea latis bubulis loris pede deligato (7), principia lororum aut ad piſtillum, aut ad aliud lignum alligare (8), atque ita ligno in ſummum modiolum indito refringere (9), ita ut alii contra extendant, humeris, & poplite apprehenſis (10). Poteſt etiam ſuperna corporis pars neceſſitate hac extenſionis

tim hic in reponendis fracturis, & luxationibus, ſimpliciori ſemper, faciliorique modo nos uti debere præcipit, qui ſi non ſatis eſſe videatur, tum per gradus ad valentiora confugiendum.

(4) AUT. Ubi ſimpliciores illi oſſium in ſuam ſedem reponendorum modi non ſatis validi ſunt, organicis utendum eſt, quorum varia genera, & ſatis perſpicuis verbis nunc proponit Hippocrates, ut aut hoc, aut illud eligamus, quale vel ad locum ubi æger decumbit, vel ad partis affectæ qualitatem, magis idoneum putabimus. Profecto hic quoque, ut in ceteris ejus ſcriptis, ſumma Hippocratis in arte chirurgica peritia, accurataque Græcorum in omnibus rebus diligentia, ingeniumque præcellit.

(5) OPORTET. Proponit Hippocrates, ut pro hoc organico oſſa reſtituendi modo corpus aliquod concavum, veluti rotæ modiolus, vel aliud quid ſimile, vel fovea in terra effodiatur, quod vecti tuto punctum fixum eſſe poſſit (*).

(6) CIRCUMDARE. Antequam laquei, quibus extenſio fieri debet, imponantur, pes molli aliqua re, veluti linteis, vel pelle eſt obvolvendus, ne aliquis magnus dolor, vel contuſiones, atque excoriationes laqueorum conſtrictione excitentur.

(7) DELIGATO. Non lineis faſciis, multoque minus funibus, laquei pro extenſione ſunt conficiendi; his namque partes devinctæ duriter vexarentur, ſed optimi omnium erunt, ſi eos ex loris bubulis parabimus; qui tamen tantæ latitudinis eſſe debent, ut æqualiter, blandeque amplectantur, ne ſtrictiores ſecent. Poſſunt ejuſmodi laquei ita circa pedem injici, & circumvolvi, quemadmodum docet *Oribaſius lib. de Laqueis tab. 3. 6. & 9.*

(8) ALLIGARE. Pede ad extenſionem parandam convenienter deligato, principia lororum ad aliquem vectem ſunt alliganda; ideo vel ad piſtillum, ſi præſto, atque idoneus ſit; ſin minus ad aliquod aliud lignum ea alligare Hippocrates proponit.

(9) REFRINGERE. Poſtquam lora ad vectem deligaverimus, & inferiorem vectis extremitatem in modioli concavo, aliove puncto fixo, ut *not.* (5) adnotatum fuerat, indiderimus, extenſionem moliri debemus, manibus ſuperiorem vectis extremitatem, quæ punctum mobile eſt, trahendo: ſic vectis refringetur, ſive retorquebitur ad extenſionem provehendam.

(10) APPREHENSIS. Ut extenſio in crure tantummodo fiat, neque totus homo trahatur, unus miniſter ambabus manibus poplitem, alter ejuſdem lateris humerum apprehendere debet contra nitendo; hujus operationis ſchema *Vidius*, & *Trincavellus in Galeni commentariis* ad hunc textum appoſuerunt (**).

(*) *Vid. Tab. I. Fig. II.*

(**) *Vid. Tab. I. Fig. II.*

©BIU Santé

nis urgeri, partim quidem si ita voles (11), ligno rotundo levigato alte defosso, partem quandam ipsius supereminentem intra crura, juxta ani, & scroti intercapedinem applicato, quo corpus sequi prohibeat ad eos, qui a pedibus extendunt (13). Deinde ad crus, quod extenditur, declinare non oportet, sed aliquem a latere assidere, qui nates retrudat, ne corpus circumtrahatur (14): partim vero si etiam circa

(11) VOLES. Evenit quandoque, quod non satis firma extensio in contrariam partem manibus effici possit, sed membrum una cum ægroto deorsum trahatur. Modos ideo quosdam nunc tradit Hippocrates, quibus membrum contra extensionem firmissimum retinebimus; quem casum, necessitatem extensionis supernæ corporis partis, vocat Hippocrates. Hunc textum ita explanat *Galenus in comment. Vehementem in contrariam partem retractionem necessitatém appellat, ejus videlicet violentiam insinuare volens*. Alio modo, atque magis perspicue hunc Hippocratis locum *Calvus*, & *Foesius* tradiderunt. Calvus enim ita scripsit. *Si vero superior corporis pars sequeretur, & subter laberetur, ligno rotundo levigato &c. Foesius* autem. *Sed & superiori corporis parti vis hoc modo, si lubet, adhiberi potest. Ligno tereti, levi &c.* Verum quamvis Calvi, atque Foesii dictiones magis perspicuæ, explanatæque sint, Cornarii tamen interpretationem plus ad mentem Hippocratis esse censemus, quia Galeni commentaria cum hac Cornarii interpetratione magis congruunt.

(12) INTERCAPEDINEM. Videlicet juxta perineum; nam hoc nomine ab Anatomicis intercapedo, sive interstitium illud, quod anum a scroto dirimit, indigitatur.

(13) EXTENDUNT. *Galenus* in hujus textus commentariis rationem reddit, quare Hippocrates hunc alium corpus firmandi modum docuerit, inquiens; *Lignum hoc rectum in terram infigendum censet, quod firmum sane, ac stabile sit; nempe ut dum, ut prædictum est, extenditur corpus, non sequatur extendentes, nam lignum hoc id non sinet perineo hærens; ita enim pars ea in nobis vocatur, quæ inter sedem media est, & origo pudendi membri*. Animadversione dignum est, quod *Fabius Calvus*, qui ex vetustissimis Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ Hippocratis opera e Græco in Latinum sermonem convertit, hunc textum alia cautione ampliatum tradidit; ita enim in ejus versione legimus. *Ligno rotundo, lævigato, vel molli re aliqua convoluta, defixo, & inter femina &c.* Credendum certo est, quod dum scripsit; *molli re aliqua convoluta*, ex alio Hippocratis codice desumpserit; atque hoc est equidem monitum Hippocratica diligentia dignissimum; fieri enim vix potest, ut lignum illud, quamvis optime lævigatum, absque convolutione alicujus rei mollis, ægrotum non offendat; perinæum namque nudum inter lignum, & ossa pubis, extensionis tempore pressum, tereretur, quam quidem vexationem ægrotus nequaquam posset sustinere.

(14) CIRCUMTRAHATUR. Lignum illud defossum, quod perineo aptatur, si utrique ægroti pedes æque in rectum traherentur, firmissimum esset retinaculum, quod hominem immobilem in sua positione retineret: verum cum pes alter tantummodo trahitur, tum veluti axis illud lignum erit, circa quem corpus volvetur. Quoniam igitur hic de

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 152 sur 355

©BIU Santé

circa alias hinc, atque illinc ligna affigantur (15), manus autem extentæ (16) ſerventur, apprehendat autem quis circa genu, atque ita contra (17) extendat: partim item ſi quis velit (18), aliis loris circa genu, aut circa femur deligatis, & alio rotæ mediolo ſupra caput defoſſo, & loris ex ligno quopiam alligatis, & ligno ita in rotæ mediolum defixo, ad contrariam partem his, qui a pedibus extendunt, adtrahere poteſt (19). Quin & ſi voles, pro rotarum modiolis trabem medio-

de extenſione unius pedis agitur, ne trahentem id crus ſequatur, corpuſque circumrotetur, alium hominem adeſſe jubet Hippocrates, qui, ambabus manibus ad iſchium ejuſdem lateris adactis, inclinantem partem repellat, ſuſtineatque. Hujus operationis ſchemam vid. apud *Trincavellum*, & *Vidium in comment. Galeni* (*).

(15) AFFIGANTUR. Diverſis, variiſque præſtantiſſimis extenſionum conficiendarum modis hunc de fracturis librum refertum nobis tradidit Hippocrates; atque ut in ceteris, ſic in hoc quoque, ſummam ejus in arte chirurgica induſtriam admiramur. Præter enim jam deſcriptos extendendi modos, alios etiam diverſos nunc exponere proſequitur, ut vel pro fracturæ, ægrique commoditate; vel pro conditione loci, ubi curatio fieri contigerit, aptiorem ex his, faciliorem, promptioremque poſſit Chirurgus deligere. Homini enim, qui aut ſcroti hernia, aut perinei fiſtula, tumoreve laboraverit, illud non debebit inter crura lignum adjungi; atque hujus generis machinamentum ubique conſtrui non poterit; hinc varia, diverſaque machinamentorum genera Hippocrates propoſuit, ut hoc, vel illo Chirurgus pro ratione uteretur. Si occaſio igitur, vel ægroti conditio non tulerit, ut illud ad perinæum lignum adhibeatur, tunc ſupplere poſſumus, duo ligna hinc, atque illinc ſub utramque alam affigendo, quæ pariter impedient, ne extendentem corpus ſequatur.

(16) EXTENTÆ. Brachia ad thoracem parallela, manuſque extentæ ſervandæ ſunt, ne, dum extenſio fit, divaricatæ ſurſum cogantur, quo de axillis illa ligna elaberentur, & totus homo extenſione traheretur.

(17) CONTRA EXTENDANT. Ne autem totam extenſionis vim axillæ ſuſtineant, quod ægro moleſtum eſſe poſſet, atque etiam ut crus affectum potiſſimum extendatur, alius homo circa genu manibus apprehendere debet, atque contra extendere. Hujus operationis figuram vid. apud *Galenum* ad hunc Hippocratis textum. (**)

(18) VELIT. Si quis neque illud lignum ad perinæum, neque alia duo ſub axillis vellet adhibere; diverſa nunc machinamenta proponit Hippocrates, quibus validiſſime crus extendi, atque contra extendi, etiam ſine præfatis illis lignis, poterit, quin homo dimoveatur.

(19) POTEST. Organicum hoc contra extendendi machinamentum, nil aliud eſt, quam alter vectis, alterque modiolus ultra caput ægroti poſiti, illis ſimiles, quos *a not.* (5) *uſque ad* (9) pro extenſione pedis proſequuti ſumus. Loris igitur circa genu, aut femur deligatis ad contrariam partem his, qui a pe-

(*) *Vid. Tab. II. Fig. I.*

(**) *Vid. Tab. II. Fig. II.*

©BIU Santé

mediocrem ſub lectum extendes (20), deinde ad trabis hinc, atque illinc caput ligna fulciens, ac refringens, lora ipſis alligata intendes (21). Si vero & hoc velis (22), aſellis hinc, atque illinc conſtitutis (23), in ipſis extenſionem facies.

a pedibus extendunt, ſurſum ſcilicet, in hac operatione adtrahere debemus; ſic in contrarium crure diſtento, oſſa in ſuam ſedem reponi facile poterunt, neque æger detractus extendentem ſequetur.

(20) EXTENDES. Ab Hippõcratis feraciſſimo ingenio nunc aliud nos machinamentum, ubique facile parabile, docemur, quo vectes fulciri poſſunt, quotieſcunque vel modioli deficiunt, vel foveæ, pro ſoli qualitate, aut dignitate, nequeunt excavari. Jubet enim ſub lectum trabem extendere mediocrem; trabem ſcilicet, quæ tantæ ſit longitudinis, ut utriſque extremitatibus lecto excedat, & deſinat, ubi vectes fulciri debent (*).

(21) INTENDES. Uti in ſupra allatis machinamentis lignum, ſive vectem, in rotæ modiolum defigi debere docuerat, ſic modo punctum fixum vectis erit utrinque caput hujus trabis, cui hinc, atque illinc vectes fulciantur, qui recurvati lora, ut antea dictum eſt, ipſis alligata intendent, & ita ſatis validam, æqualemque extenſionem efficient.

(22) VELIS. Ejus generis machinamenta hucuſque protulit Hippocrates, quæ facile poſſunt ubique comparari; nam non ſemper nobis fracturam, vel luxationem curare contingit, ubi omnia chirurgica machinamenta preſto ſint: atque etiam hæc primum, quæ parabilia ſunt, eorumque varia genera expoſuit, quia, ut ait *Galenus comment. 2. text. 48.*: *Vult* Hippocrates *nos in remediis promptis, & facile parabilibus exerceri: alterum modum exponens te ad ſimilium inventionem excitat.*

(23) CONSTITUTIS. Organica machinamenta, quæ nunc exponit Hippocrates, non niſi apud Chirurgos, vel in Noſocomiis reperiuntur, quoniam eorum conſtructio nequit fieri ex tempore, (ut de vectibus, notis præcedentibus, obſervavimus) ſed laboris, operæque multum exigit; ideo hæc jam prius parata, conſtructaque eſſe oportet, ut eis data occaſione uti prompte poſſimus. Primum, quod nunc proponit, machinamentum, eſt illud, quod aſellis conſtituitur. Aſellos Hippocrates vocare conſuevit axiculos quoſdam, per quos extenſionem molimur; ſic etiam hac voce utitur *Paulus Ægineta lib. 6. cap. 107.* ubi ait: *Deinde famulis jubebimus, ut per ligna retractionem in diverſa moliantur. Quidam vero aſellis dictis hanc efficiunt; ſunt autem hi axes, qui contra rectum lignum vertuntur: utroque hujus magni ligni, aut ſcamni latere juxta extrema ad pedes, caputque, ſita lora involvantur.* Latini autem, uti ex *Catone de Re Ruſtica*, atque *Vitruvio* conſtat, hoc machinamenti genus *ſuculam* vocavere, quam ex *Budæo* affabre deſcribit *Turnebus*, inquiens. *Sucula eſt machina tractorii generis: conſtat autem tereti ligno, duobus, aut pluribus vectibus trajecto utrinque, æqua extantibus longitudine. Hæc dum verſantur, funis, qui ductarius dicitur, circa eam involvitur.* Hoc igitur machinamentum tabula eſt ſex cubitos longa, tres lata, cujus extremis partibus utrinque ligna pedalis longitudinis infixa ſunt, in quibus

(*) *Vid. Tab. III. Fig. I.*

©BIU Santé

bus axes cum ſuis manubriis ductariis implanantur. Super hanc tabulam æger ſupinus, atque diſtentus collocatur; loris poſtea, quibus pedem deligaverimus, ad axem inferiorem convolutis, aſellum, ſive ſuculam vertendo, pes trahitur: aliis etiam loris circa genu, quemadmodum *not.* (19) *hujus cap.* adnotavimus, alligatis, eorumque capitibus ſurſum contrario ductu ad ſuperiorem axem volutis, in diverſa contendimus, vel, quod ſatius eſt, immobile continemus, ut ab inferiori parte magis diſtendatur. Hujus operationis ſchema videre eſt in *Galeni commentariis ad hunc textum: Oribaſii lib. de Machinamen. cap.* 40., *& Sculteti Armament. Tab.* 25. *fig.* 1. (*) Huic non abſimile admodum eſt aliud machinamentum, quod luculenta explicatione deſcribit *in lib. de Articulis*, a poſterioribus Medicis *Scamnum Hippocratis* nominatum. In hoc machinamento omnia, quæ ad extenſionem, contra extenſionem, ægrotantis figurationem, & firmitudinem poſſunt conferre, excogitata ſunt: atque id tanti fecit Hippocrates, ut ibidem ſcripſerit: *Mihi quidem videtur nullum eſſe articulum, qui his machinamentis, & neceſſitatibus reponi non poſſit.* Hujus figura reperitur apud *Galenum lib. de Articul. comment.* 4. *text.* 57. *Oribaſium lib. de Machinament. cap.* 29., *& Scultetum Tab.* 22. *fig.* 4. (**)

(*) *Vid. Tab. III. Fig. II.*

(**) *Vid. Tab. IV. Fig. II.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XVI.

Extenſionum multi modi.

SUnt autem & alii multi extenſionum modi (1). Optimum autem fuerit, ſi quis in magna civitate Medicum agit, ut lignum habeat præparatum, in quo omnes neceſſitates inſint, tum ad omnes fracturas, tum ad omnes articulorum repoſitiones, ex extenſione, ac vectium uſu (2). Satis autem eſt, ſi lignum fuerit & longitudine,

(1) MODI. Alios eſſe modos, præter jam recenſitos, fracturarum, & luxationum extendendarum, Hippocrates affirmat: ſed tantum præcipuos hic ſatis eſſe duxit recenſere, ut vel iis uti poſſemus, vel per eos ad aliorum ſimilium inventionem duceremur: alios enim modos, aliaque diverſa machinamenta inveniri poſſe ait, quæ requiſitis omnibus indicationibus ſatis ſuppleant. Sic apud alios Auctores varia hujuſmodi machinamentorum genera reperiuntur; quemadmodum Trocleam illam tractoriam ex Machinis *Vitruvii lib.* 10. *cap.* 4. deſumptam, cum fune ductario, unciſque, propoſuit, atque delineavit *Paræus lib.* 14. *cap.* 5., quo machinamento *Paræum* pro fracturarum, atque luxationum extenſione uti plerumque conſueviſſe, ex ejus ſcriptis apparet. Hujus machinæ inventio ad *Archimedem* refertur, & a Græcis *Polyſpaſton* vocatur. Similem etiam *Scultetus* exhibet *Tab.* 22. *fig.* 1. Neque valde abſimilis illa *Hildani* machina eſt, quam *Centur.* 6. *Obſervat.* 86. deſcripſit. Aliam etiam machinam ferream oſtendit *Lamzweerdus in Appendice ad Armament. Scultet.*, quæ conſtat ex ferrea cochlea unum pollicem craſſa, quam circumvertendo, membrum trahitur, uti *Tab.* 23. expreſſit, ubi uncos etiam, remoras, vincula, & coriaceum ligamentum, (quod lorum *Hildani* repræſentat) ceteraque ad hujus machinæ uſum neceſſaria, inſpicimus. Alii etiam extendendi modi, atque varia inſtrumenta apud alios Auctores reperiuntur; ut in egregio *Oribaſii libro de Machinamentis cap.* 8. *Nilei* Plinthium: *cap.* 24. Gloſſocomum *Nymphodori*: *Cap.* 26. Triſpaſtum *Apellidis*, ſeu *Archimedis*: *Cap.* 27. Organum *Fabri* recenſentur, quorum omnium præſtantiſſimorum machinamentorum effigies in ſua interpretatione appoſuit *Vidius Vidius*; unde jure optimo Hippocrates dixit: *Suut autem & alii multi extenſionum modi*.

(2) VECTIUM USU. Univerſos humani corporis morbos veteres Medicos curaſſe, ne iis quidem exceptis, qui manus operam exigunt, jam *not.* (2) *cap.* 1. adnotavimus; atque ex eorum ſcriptis, rem potiſſimum chirurgicam ſagaciter ipſos, cumulatiſſimeque coluiſſe apparet. Conſtat etiam ex Hippocratis ſctiptis, quod primis illis temporibus domi ſuæ morbos chirurgicos curare mos Medicis erat; & in libro *de Medico* plurimas cautiones, atque proviſiones præmonet Hippocrates, quoad ventum, ſolem, lucem, aliaque ad curationes chirurgicas pertinentia, quas omnes jubet Medicum advertere in *Officina*, ſive *Medicatrina*, quæ erat con-

©BIU Santé

ne, & latitudine, & craſſitudine tale, quales columnæ quernæ quadrangulæ fiunt (3). Poſtquam autem ſufficienter extenderis (4), facile jam

conclave, ubi ejuſmodi ægrotantes curabantur; uti *Heurnius* in præfati libri Hippocratis *de Medico* commentariis ait: *Veteres externa mala domi ſuæ curabant, & inſtrumenta tyrones ibi curabant*: Hinc commodius ſedulam illam, accuratamque in ægrotis ſæpe viſendis diligentiam, in qua, ut ex eorum ſcriptis eluceſcit, quammaxime præſtiterunt, complere Veteres potuere. *Galenus* enim in *comment.* 1. *text.* 21. hujus libri, ſummam exponens diligentiam, qua curari debent fracturæ, in quibus os nudatum eſt, atque prorupit, ita ſcripſit: *Sed & nos ipſi propter periculi magnitudinem iſtiuſmodi ægrotos ſæpius adire ſolemus, & interdum apud ipſos pernoctare; quando non admodum fidimus, quod miniſtri ea omnia, quæ mandavimus, perficiant*. Ideo quemadmodum hodie in noſtris Noſocomiis, ubi ejuſmodi ægritudines curantur, machinamenta præparata ſemper habemus, in quibus omnes neceſſitates inſunt, tum ad omnes fracturas, tum ad omnes articulorum repoſitiones: ſic Hippocrates Chirurgum, qui in aliqua magna Civitate, ubi hominum, periculorumque multitudo eſt, artem exercet, hortatur, ut aliquod ſaltem machinamentum pro his neceſſitatibus ſemper habeat præparatum.

(3) FIUNT. Quale eſſe poſſet inſtrumentum, quod Chirurgus ſemper præparatum habere deberet, in quo omnes neceſſitates inſint tum ad omnes fracturas, tum ad articulorum repoſitiones, modo exponit Hippocrates. Si enim, ait, lignum habuerimus, *quales columnæ quernæ quadrangulæ fiunt*, ſatis id erit. Lignum hoc igitur figuram habere debet quadrangulatam, parallelepipedam, cujus longitudo, & latitudo tanta ſit, quanta ſufficiat, ut ſuper id ingentis etiam ſtaturæ homo commode diſtendi poſſit; quemadmodum monet *Paulus Ægineta lib.* 3. *cap.* 117. inquiens: *Convenit enim, inquit Hippocrates, lignum magnum, quod tantam longitudinem, & latitudinem habeat, ut hominem excipiat*. Altitudo vero hujus ligni ad palmum, vel cubitum accedat; adeo ut ejuſmodi columna querna quadrangulata, ejuſdem ſit craſsitiei, & figuræ lignum, qualia ſunt illa magna ligna, quibus laniones, apud nos, craſſiſſimas ſuas tabulas conficiunt, ubi duriſſima boum oſſa in fruſta diſcindunt. Hujus columnæ quernæ quadrangulatæ meminit etiam Hippocrates in libro *de Articulis*, ubi de Vertebrarum luxatione agit: atque ibi *in comment. Galeni text.* 47. hujus columnæ ſchemam appoſuere *Trincavellus, & Vidius* (*). Magnitudinem iſtius ligni deſcripſit quoque Hippocrates in *Mochlico*, ubi ait: *Tabella ſumitur cubitos ſex longa, duos lata, palmum craſſa*; ita *Calvus pag.* 660.: *Foeſius* autem craſſitudinis *dodrantalis* interpetratus eſt, quod fere idem ſonat. Hoc lignum profecto inſtrumentum eſſe poterit, *in quo*, ut ait Hippocrates, *omnes neceſſitates inſint*; ſtragulis enim aliquot mollibus prius ſtratis, ſuper id, veluti ſuper ſcamnum æger ſterni poteſt; loris poſtea ad pedem, & circa genu, ad extendendum in diverſa, deligatis, utrinque in contrariam partem, ut ſupra dictum fuit, vectibus trahere etiam licet. In hoc enim machinamento non opus erit rotæ modiolo

(*) *Vid. Tab. IV. Fig. I.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 157 sur 355

©BIU Santé

jam eſt articulum reponere: elevatur enim in directum ſupra priſtinam ſedem (5). Dirigere itaque manuum volis (6) oportet, ita ut his partim in id, quod eluxatum eminet, innitaris, partim ab altera parte infra malleolum renitaris (7). Ubi vero repoſueris, ſi quidem fieri poterit, extentum ita deligabis. Si vero præ loris impediaris, his exolutis diſtentionem facias, donec deligaveris (8). Deligare autem

diolo ad vectes fulciendos, uti *not.*(5) *cap.* 15. adnotavimus, neque illa trabe, de qua ibidem *not.*(20); ſed ipſius tabulæ craſſities erit mora, in quam vectes commode fulciri, innitique poterunt: unde in hoc ligno tale inſtrumentum habebimus, quale Hippocrates requirit; *in quo*, ſcilicet, *omnes neneſſitates inſint, tum ad omnes fracturas, tum ad omnes articulorum repoſitiones ex extenſione, ac vectium uſu.* (*)

(4) EXTENDERIS. Quemadmodum Hippocrates *in cap.* 5. *& 6.* dum de fracturæ cubiti curatione diſſeruit, regulas quoque generales, præceptaque omnia tradidit ad faſciarum deligationem, ſpleniorum, ferularumque appoſitionem ſpectantia pro fracturis aliarum quarumcumque partium; ſic in præſenti capite dum varios, diverſoſque luxationum pedis extendendarum modos proponit, generalem nobis tradere doctrinam intellexit, qua omnes artuum fracturas, & luxationes vel manibus, vel laqueis, vel machinamentis extendere poterimus; adeo ut attente perpendenda, addiſcendaque ſint ea omnia, quæ hucuſque docuit; quoniam his præceptis omnes regulæ, atque cautiones ad extenſionem recte, efficaciterque perficiendam comprehenduntur. Quum igitur prima in ejuſmodi morbis indicatio, ſit extenſio, neque ulterius quidquam agi debeat, quin hanc prius appoſite fecerimus; ideo oſſium repoſitionem moliendam eſſe ait Hippocrates: *Poſtquam autem ſufficienter extenderis.*

(5) SEDEM. Quantum extenſionis ad oſſa in ſuam ſedem reponenda fieri debeat *not.* (19) (20) (21) *cap.* 4. adnotavimus, atque aliquas ibi rationes, quæ cogunt, ut quandoque validius, aliquando minus extendendum ſit, perpendimus. Ex *Celſi* etiam auctoritate cognovimus, extenſionis limitem eſſe: *Ubi paulo longius, quam naturaliter eſſe debet, membrum vis fecit.* Quoties ergo hæc omnia diligenter attenderimus, *facile jam eſt*, ut ait Hippocrates, *articulum reponere*; nam ſi directiſſima extenſione & paulo longius, quam naturaliter eſſe debet articulus diſtentus ſit, *elevatur in directum ſupra priſtinam ſedem.*

(6) VOLIS. De manuum volis, vid. quæ *not.* (1) *cap.* 5. adnotavimus.

(7) RENITARIS. Ut oſſa, quæ jam extenſione in directum ſupra priſtinam ſedem retulimus, iterum coaptentur, manuum volis partim in id innitendum, quod eluxatum eminet, partim renitendum ab oppoſita parte: unde his contrariis nixibus oſſa validiſſime retrudentur.

(8) DELIGAVERIS. Poſtquam oſſa repoſita ſunt, ad deligationem deveniendum eſt; ſed monet Hippocrates, quod dum deligatio fit, membrum adhuc in contrarias partes diſtentum teneatur, ne oſſa omnibus faſciis, atque ſpleniis non-

(*) *Vid. Tab. IV. Fig. I.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 158 sur 355

©BIU Santé

tem eodem modo (9) oportet, & fasciarum initiis similiter in id, quod luxatum eminet, injectis, & primis obvolutionibus plurimis supra id factis, imo etiam spleniis plurimis supra id impositis, & compressione maxime isthic contingente. Sed & hinc, atque illinc multum insuper deligare oportet (10). Magis autem hic articulus compressione opus habet in prima deligatione, quam is, qui in manu est (11). Postquam autem deligaveris, sublimius reliquo corpore deligatam partem habeat. Positum autem ipsius ita facere oportet, quo quam minime pes dependeat (12).

nondum satis firmata iterum excidant; ideo dixit: *Siquidem fieri poterit, extentum ita deligabis. Si vero præ loris impediaris, his exolutis distentionem facias, donec deligaveris.*

(9) EODEM MODO. Deligationes eodem modo, iisdemque cautionibus, ut in *cap.* 5. docuit, faciendas esse monet: præcipua tamen præcepta iterum commemorat. Cur autem spleniis plurimis super id, quod luxatum eminet in pedis articulo utendum sit: *vide not.* (8) *cap.* 12.

(10) OPORTET. Quare in id, quod luxatum eminet fasciarum initia ducenda sint, *not.* (44) *cap.* 5. adnotavimus, ubi dixerat Hippocrates: *Sanies ex hac ad extremitates illinc, atque illinc exhauriuntur.* Ut igitur humores a loco læsionis avertantur, multum insuper & sursum, & deorsum deligare hic præcipit; leniter tamen, debitisque cautionibus, uti jam pluries monitum fuit, ne circulationis sanguinis interceptio, atque sideraciones suboriantur. *Vid. not.* (8) *cap.* 10. De producendæ deligationis ratione, docet etiam Hippocrates *in Chirurg. Officin.*, ubi ait: *Comprehendat præterea deligatio non parum partis sanæ*; cui textui *Galenus comment.* 3. *text.* 5. hanc explanationem adjecit: *Nec etiam obscura est ratio, cur sic consuluerit, vinculum etenim, quod bene valentis partis plurimum occupat, & valentius membrum conformatum continet, atque etiam humores ab affecta particula ad proximas extrudit, nec non & quod ex supernis partibus defluit arcere solet.*

(11) EST. Pedis articulus ex majoribus ossibus est compositus, & crassiores, validioresque musculos, ligamentaque habet, quam is, qui in manu est; & ideo, ut dimota ossa in sua sede retineantur, musculorumque contractilitate non deturbentur, majori compressione opus habet, quam manus articulus.

(12) DEPENDEAT. Rationes, ob quas pars affecta sublimior reliquo corpore habenda sit, jam satis *not.* (12) *cap.* 13. attulimus, ubi Hippocrates de calcanei luxatione dixerat: *Cæterum hoc studio habere oportet, ut pes plerumque paulo altius reliquo corpore habeatur.* Quæ autem animadvertenda sint in collocatione pedis, ne, ut dixit Hippocrates, *in decubitu denigratio calcanei, ex figuræ neglectu contingat. not.* (15) & (16) *cap.* 12. observavimus.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XVII.

Corporis attenuatio in tibiarum ossibus fractis. Quot diebus curentur. Coxæ femoris, & tibiæ extenuatio.

AT vero attenuationem corporis ita facere oportet, prout talem, vel talem vim ipsa luxatio habet: aliqua enim parum, aliqua multum luxantur (1) In totum vero magis, & longiore tempore, in vulneribus (2) circa crura, quam his, quæ circa manus fiunt, attenuare oportet: nam & majora, & crassiora hæc, quam illa sunt (3): & sa-

(1) LUXANTUR. Jam superius docuit Hippocrates, quod in quacunque fractura, vel luxatione corpus attenuare oportet, ne humorum redundantia tumores, atque inflammationes in parte affecta suboriantur, quæ curationem impedirent, & plurimorum malorum caussa esse possent. Hanc corporis attenuationem evacuationibus, & victus ratione assequemur, uti alias satis observavimus. Sed quum Hippocrates pro fracturarum qualitate, earumque symptomatis, tres hucusque victus præbendi rationes proposuerit: in cubiti enim fractura simplici, dixit: *Victus sufficit aliquanto simplicior*. In fractura vero humeri: *Cæterum victum quendam exquisitiorem, quam prius constituere oportet*. In fractura tamen calcanei, quam graviſſimis symptomatis stipatam describit, ait: *Verum & a cibis, & a sorbitionibus abstinendum. Vid. not.* (5) (6) (7) & (8) *cap.* 13. A luxationum ergo, symptomatumque qualitatibus victus ratio erit sumenda. Quoniam igitur *in cap.* 14. diversas luxationum pedis species numeravit, quum dixerit: *Luxantur autém aliquando juxta pedem ambo ossa, quandoque cum appendice: quandoque vero appendix tantum emovetur, quandoque alterum tantum os;* quemadmodum *not.* (10) (11) (12) *cap.* 14. adnotavimus; & in *Chirurgiæ Officina* diversas noxarum species, quæ articulis vi externa accidere solent, recensuit, inquiens: *Excidentiæ, vel tortiones, vel distantiæ, vel avulsiones;* quem textum ita exposuit *Galenus comment.* 3. *text.* 31. *Appellat itaque Hippocrates hoc loco excidentias articulorum, luxationes: tortiones vero, quum nulla est in articulo facta labes, sed nervosa, quæ ipsum ambiunt, corpora torta sunt, quod his maxime usu venit, quibus gradiendo fallit vestigium. Distantias autem vocat, quum ossa, quæ sese citra ullam articulationem contingunt, ob aliquod incommodum resiliunt, & separantur... Avulsiones autem fiunt, ut ipse de summo humero exposuit, quum ossa, eis, quæ ipsa connectunt divulsis, plurimum a sese disjunguntur, quum tamen prius essent conjuncta:* ideo in præsenti textu evacuationibus, victusque ratione corporis attenuationem ita facere jubet; *prout talem vim ipsa luxatio habet:* nec non pro luxationis differentia; *aliqua enim parum, aliqua multum luxantur.*

(2) IN VULNERIBUS. Qua significatione vocabulum vulnus ex mente Hippocratis in hoc textu intelligi debeat: *vid. not.* (20) *cap.* 2.

(3) SUNT. Regulam quodammodo generalem hic tradit Hippocrates, qua sancit, quod omnino in fracturis, luxatio-

©BIU Santé

& ſane etiam neceſſarium eſt quieſcere corpus, ac decumbere (4). Verum poſtea deligare articulum tertia die, neque prohibet quicquam, neque urget (5): & alia omnia ſimiliter, vel ut ſuperius relata curare oportet. Et ſi quidem quiete decumbet, ſufficient quadraginta (6) dies, ſi ſolum in ſuum locum oſſa rurſus deſederint (7). Si vero quie-

xationibus, aliiſque noxis circa crura, *magis, & longiore tempore* corpus *attenuare oportet*, quam in his, quæ *circa manus, & brachium*. Oſſa enim, muſculi, tendines, vaſa, nervi artuum inferiorum, majora, craſſioraque ſunt, quam ſuperiorum; proinde in eorum fracturis, vel luxationibus, major omnis generis vaſorum, fibrillarumque numerus conteritur; unde, ceteris paribus, quia majora, & craſſiora hæc, quam illa ſunt, magis, & longiore tempore attenuare Hippocrates præcipit. Pro diverſa quoque oſſium in uno eodemque membro affectorum magnitudine, diverſam gradatim victus rationem ab Hippocrate præſcribi, *not.* (3) *cap.* 9. adnotavimus.

(4) DECUMBERE. Rationes, propter quas in pedis luxatione neceſſarium ſit corpus quieſcere, ac decumbere; atque mala, quæ ex decubitus intolerantia ægroto obvenirent, oſtendimus *not.* (9) (10) *cap.* 11.

(5) URGET: Ubi generalem curationem fracturarum tradidit Hippocrates, tertio quoque die, primo curationis tempore, deligationem ſolvere præcepit, cum ut contuſioni, dolori, aliiſque ſymptomatis mederetur, faſciæque arctius deligarentur, tum ut oſſa fracta magis ſemper ad naturalem figuram dirigantur, atque coaptentur. In hoc autem textu, ubi de pedis luxatione loquitur, ait, quod, *deligare articulum tertia die, neque prohibet quicquam, neque urget*. Non enim *urget*, quia oſſa luxata in ſua ſede ſemel repoſita, non facile iterum excidunt, vel dimoventur, ut repetitis deligationibus, atque extenſionibus in ſua ſede retinere oporteat, quemadmodum in fracturis opus eſſe dixerat. *Neque prohibet quicquam*; nam ſi vel propter aliquod ſymptoma, vel ob nimis arctam, vel laxam deligationem id requiri videatur, tertia quoque die ſolvere, atque iterum deligare, nihil etiam prohibebit.

(6) QUADRAGINTA DIES. Superius ubi de aliquot oſſium fracturis diſſeruit, varium dierum numerum, quibus eæ confervere ſolent, pro diverſa oſſium qualitate, & magnitudine, præfinivit; illud enim temporis ſpatium a natura debet impendi, ut callus, quo oſſa concreſcunt, gignatur. Verum in luxationibus, quamvis res aliter ſeſe habeat, quippe oſſibus ſemel in ſuam ſedem reſtitutis, neque callus, neque aliud quid in eorum ſubſtantia debeat a natura attexi, diebus tamen quadraginta, quiete ægrotum decumbere in pedis luxatione jubet Hippocrates. Quum enim nulla fiat perfecta luxatio, quin membranarum quoque, tendinum, atque potiſſimum ligamentorum articulos colligantium divulſio, atque etiam laceratio accedat; ſi antequam omnes eæ partes priſtinum robur acquiſiverint, atque ſatis conſolidentur, in pedem quis conſiſtendo, vim eis fecerit, ponderi non ſatis firmus articulus cederet, atque laxaretur, non ſine doloris ſenſu; ideo quadraginta dies decumbere ægrotum monet Hippocrates, quod temporis ſpatium ſufficere poterit, ut partes illæ omnes corroborentur.

(7) DESEDERINT. Quadraginta dies plerumque ſufficient, ut articulus aptus

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 161 sur 355

©BIU Santé

ptus ad consueta munia iterum obeunda evadat ; dummodo tamen, ut ait Hippocrates, in suam sedem ossa recte fuerint restituta, ibique per totum illud temporis spatium desederint: aliter enim articulus vel nequaquam, vel imperfecte repositus, neque post quadragesimum diem, neque forsan unquam, ut ante, agere deinde poterit. Animadvertendum vero est, ne per universos illos quadraginta dies penitus otiosus articulus teneatur; periculum enim esset, ut sic ligamenta rigescant, atque sinovia in articulorum cavitate collecta, & in durum gluten conversa, articulum ita conglutinet, ut incurabilis ancylosis sequatur; de hac re vid. *Col de Vilars Cours de Chirurg. tom. 5. part. 1. chapitr. 12.* Post igitur dies aliquot, quoties tamen nec contusio, neque inflammatio, neque magnus dolor id prohibebunt, leniter hinc, inde inflecti, atque extendi debet articulus; ita enim ancylosis præcavetur, articulique flexibilitas conservatur; sic *Celsus lib. 8. cap. 11. de Luxatis ossibus*, jubet, postquam finita fuerit inflammatio ; *Tunc ad usus suos membrum promovere: quia motus, ut in dolore pestifer, sic alias saluberrimus corpori est*. In fracturis autem e contra, primis tantum diebus, si ossa nondum recte coaptata fuerint, extendi adhuc, coaptarique posse Hippocrates docuit *cap. 5.*; postea vero, ubi callus incipit gigni, immobilis ad perfectam usque calli consolidationem fractura debet contineri; aliter enim os fractum perpetuo divisum remaneret, & utræque fracturæ facies, ubi medulla est, callo obducentur; adeo ut sic sejuncta ossis frusta, unum in aliud, veluti alter articulus, dimoverentur. Hujusmodi præternaturalis affectio, *Articulatio Analoga*, apud Auctores vocatur, de qua plurima exempla apud *Saltzmannum*, *Hildanum*, aliosque prostant; ut de ossis cubiti, radiique fractura non sanata, & in articulationem conversa refert *Muys Decad. 8. Observat. 2.*, ubi narrat, quod ægrotus præ doloris timore, neque fasciis, neque ferulis curari voluit; sed *E diverso brachium potius commovere incepit, atque huic postea motui tali successu assuevit, ut brachium, vel in ipso fracturæ flecteret loco; in quo statu, commovendo videlicet manum, duobus in locis, absque dolore, vel incommodo ullo cubiti os flectendo, satis diu vitam protraxit*. Narrat præterea *Muys*; quod postea quam hic homo obiit, idem brachium cultro anatomico dissecuerunt, ut naturæ providentiam, atque opificium in ejusmodi elaborandis articulationibus investigarent, ex quo hæc observata fuisse exponit. *Scilicet ex parte flexus cubiti in utriusque ossis extremitate caput quoddam rotundum apophyseos nomine insignitum occurrit; ex parte autem carpi duæ adsunt cavitates satis profundæ, capitibus ossis cujuslibet recipiendis inservientes. Dehinc ipsum periostium, quod tempore fracturæ erat laceratum, circumcirca majori præditum observatur crassitie, adeo ut ligamenti vicem pro articulatione firmanda præstet. Tandem cavitatum harum oræ a parte anteriori multo minus advertuntur elevatæ, quam a parte quidem posteriori; unde duo notabiles producebantur effectus, quippe ex una regione satis sic erat opportunitatis pro melioris flexionis motu ineundo, ex altera vero nimia brachii extensio hoc in loco impediebatur, simili fere modo, ac in cubiti flexura fieri deprehenditur*. Similem casum refert *Palphinus Anatom. tom. 2, chapitr. 25.*, ubi in fine suæ historiæ ait: *On a conservé ces os, que j' ai vû démontres plus d' une fois à Mr. Duverney au Jardin Royal des Plantes*. Ossa igitur fracta, quando callus incipit fieri, usque ad perfectam consolidationem, in absolutissima quiete debent retineri; luxata vero, ubi symptomata subsederint,

©BIU Santé

quieſcere nolet, non facile quidem crure uti poterit (8), & deligatione ad multum tempus uti cogetur (9). Quæcunque vero oſſa non perfecte deſident in ſuum locum, ſed aliquid deficit, progreſſu temporis attenuatur coxa, & femur, & tibia (10). Et ſi quidem intro luxata fuerint, externa pars attenuatur: ſi vero extra, interna (11). Plurima autem ad internam partem luxantur (12).

rint, ſenſim ad priſtinum motum adigenda ſunt, ne rigiditas in articulo, ancyloſiſque ſequatur.

(8) POTERIT. Quare ſi æger quieſcere nolet, non facile crure uti poterit, jam *not.* (10). *cap.* 11. adnotavimus.

(9) COGETUR. Superius dixerat, quod in pedis luxatione *neceſſarium eſt quieſcere corpus, ac decumbere*; monuit poſtea: *Si quis quieſcere nolet, non facile crure uti poterit*. Nunc autem præſidium quodammodo adumbrat, quo uti debebit, qui non facile crure uti poterit, quia noluit quieſcere; quippe ait: *Et deligatione ad multum tempus uti cogetur*. *Nota enim* (10) *cap.* 11. *ex Celſo*, ubi de luxationibus in oſſibus tarſi inquit: *Et in hoc quoque caſu diutius in lectulo perſeverandum eſt, ne is talus, qui totum corpus ſuſtinet parum confirmatis nervis ferendo oneri cedat, rurſuſque prorumpat*, obſervavimus rationem, quare Hippocrates dixerit: *Si quieſcere nolet, non facile crure uti poterit*; quia ſcilicet ligamenta articuli parum confirmata oneri cedent, atque oſſa rurſus prorumpent. Ne igitur oſſa prorumpant, neque de ſua ſede deflectant, ægrotus deligatione, veluti nunc ait Hippocrates, *ad multum tempus uti cogetur*. Sic enim, oſſibus articuli deligatione in ſua ſede retentis, commodius æger eo crure utetur; dum interim ligamenta hac deligatione ſuffulta, laxa minus, atque ſecundum naturam corroborata, poſt aliquod temporis ſpatium ad articulum optime confirmata, eum apte ut antea ſuſtinebunt.

(10) TIBIA. Quoties ex luxatione non perfecte oſſa deſident in ſua ſede, nequit is articulus eadem facilitate, & robore, ut in ſtatu naturali, agere; neque ſine doloris, vel ſaltem moleſtiæ ſenſu, ſuum munus ſuſtinere. Pes igitur, cujus oſſa non perfecte in ſuum locum deſederunt, totum hominis pondus non poterit ſuſtinere; ideo vel ſcipione uti, vel in integrum pedem plus niti homo cogetur. Exercitio autem, atque labore noſtri corporis membra robur, atque toroſam temperiem acquirunt; uti in bajulis, athletis, aliiſque labori aſſuetis experientia demonſtrat: laboris enim diminutione humores minus urgentur, ac propelluntur, in vaſis minoris diametri circulatio langueſcit, minor repletio, ac nutritio fit, unde fibræ muſculares gracileſcunt, attenuantur, atque progreſſu temporis tota pars imbecillis atrophia afficitur; ideo dixit Hippocrates: *Progreſſu temporis attenuatur coxa, & femur, & tibia*: partes videlicet carnoſæ, atque muſculares, quæ glutia, femur, atque ſuram conſtituunt, progreſſu temporis macreſcunt, atque attenuantur. Quod partes etiam ſanæ laboris, atque exercitii defectu gracileſcant, in hujus textus commentariis ſic probat *Galenus*: *Integrum etiam membrum, ſi diutius in ocio teneatur, vel parum moveatur, ſe ipſo gracilius redditur; motus enim vim habet corpora calefaciendi, vireſque eorum corroborandi, unde & membra melius aluntur*.

(11) INTERNA. In luxatione, vel di-

mo-

©BIU Santé

motione articulorum, ubi ossa prorumpunt, atque prominent, ibi sunt ad contactum; in opposita vero parte inanitas relinquitur ab osse in contrariam partem dimoto. Quum ergo pedis ossa unum alteri insistendo corpus humanum erectum sustineant; in hoc casu totum corporis pondus erumpentia ossa fulcire debebunt; atque tunc in ea tantum parte, ubi luxatio prominet, omnis musculorum vis intenditur: membrum enim, quod articulum habet dimotum, nequit æquabiliter, ut antea, suisque omnibus musculis agere; sed in eam partem, ubi ossa erumpunt, plus nititur; unde illius partis musculi labore, atque exercitio suum robur, atque torositatem retinebunt; qui vero in contraria parte sunt, otio tabescent; ideo Hippocrates ait: *Et si quidem intro luxata fuerint, externa pars extenuatur, si vero extra, interna.*

(12) LUXANTUR. Considerata ossium pedis articulum componentium structura, atque connexione, facile intelligitur, quare pes ad internam plerumque partem luxetur. Tria enim ossa, quæ hunc articulum constituunt, validissimis colligantur ligamentis, atque tibiæ apophysis, & fibulæ, quæ malleoli dicuntur, utrinque astragalum adeo arcte, lateque amplectuntur, ut ad externam, vel internam partem, nisi validissima vi, atque alterius etiam malleoli fractura, pedis luxatio fieri non soleat; quemadmodum *not.* (11) *cap.* 14. adnotavimus. Quoniam autem fibulæ extremitas, quæ malleolum externum format, tenuior interno malleolo est, longiusque ad astragali latus protenditur; si violenter ad internam partem pedis articulus deflexerit, frangi facile poterit, & sinere tibiam ad internam partem luxari. Si vero ad externam partem deflexio fiat, malleolus internus, qui crassa, lata, ac brevis tibiæ apophysis est, non facile frangetur, neque de sua sede, ubi firmissime hæret, sine maxima vi dimovebitur: ideo dixit Hippocrates: *Plurima autem ad internam partem luxantur.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XVIII.

Tibiæ os utrunque fractum.

POſtquam vero ambo tibiæ oſſa fracta fuerint citra exulcerationem, extenſione vehementiore opus habent (1). Extendere autem oportet quibuſdam modis ex prædictis, ſi magnæ emotiones fue-

(1) HABENT. Jam pluries obſervavimus, extenſionem eſſe primam indicationem in fracturarum curationibus. In *capite vero* 4. ubi de fractura brachii Hippocrates diſſeruit, adnotavimus, quod in brachio, quia ex duobus oſſibus componitur, plures fracturarum ſpecies fieri poſſunt. Accidit enim quandoque, ut unum tantum os, altero integro, frangatur; quandoque vero ambo franguntur; quarum fracturarum prima *incompleta*, altera *completa* a Chirurgis dicitur. Crus autem quoniam ex duobus, æque ac brachium, conſtat oſſibus, tibia ſcilicet, & fibula, in eo quoque vel unum tantum os, vel ambo frangi poſſunt. Si ergo unum tantummodo cruris os fractum fuerit, tunc, quemadmodum de fractura incompleta brachii *in comment. cap.* 4. adnotavimus, non multa extenſione opus eſt, quia hoc caſu oſſa non admodum de ſua ſede dimoventur, neque membrum brevius evadit, ut ex *Celſo* vidimus, dum dixit; *Ubi alterum integrum eſt, plus opis in eo, quam in faſciis feruliſque eſt;* quique poſtea ubi de crurum fractorum curatione agit, ſcripſit; *In crure æque ad rem pertinet, alterum ſaltem os integrum manere.* In hoc autem textu ambo tibiæ oſſa fracta ſupponit Hippocrates, & ideo *extenſione vehementiore*, quam ſi alterum tantum os fuiſſet fractum, opus habere dixit. Quare utriſque oſſibus fractis hac vehementi extenſione opus ſit, vid. *not.* (20) *cap.* 4.; atque etiam referri huc debent cautiones illæ, atque proviſiones, quas ibi monuit Hippocrates, & quas nos *not.* (21) (22) *cap.* 4. perpendimus. Quæ autem in hoc capite diſſerit Hippocrates, in fractura citra vulnus docere intelligit; de hac enim re nos monitos voluit, dum dixit, *citra exulcerationem*. Ελκώσιος namque, quod Latini exulcerationem dicunt, vocabulum eſt, quo Hippocrates modo late, modo ſtricte uti conſuevit: ſtricta enim ſignificatione intelligitur ſolutio continui ſponte nata in partibus mollibus a cauſa interna has partes corrumpente; uti ea eſt, quam recenſet *Hippocrates lib. 6. de Morb. Popularibus Sect.* 5. ubi ait; *Ulcera exoriuntur, ſi quis dum impurgatus eſt, laboravit*: lata vero ſignificatione, quamcumque ſolutionem continui in partibus mollibus, etiamſi recens fuerit, cruenta, & a cauſa externa, denotavit; quemadmodum in libro *de Ulceribus*, vulnerum quoque curationem Hippocratem interpoſuiſſe legimus; ubi hanc addidit explanationem *Joſephus Cignozzi*: *Note ſopra il libro d' Ippocrate dell' ulcere. E' da notarſi, come corteſemente m' aſſerma il Signor Franceſco Redi, che i Greci più antichi con la ſteſſa voce Elcos nominavano le ferite, e le piaghe, o ulcere vecchie, e ciò ſi trova più che ſoventemente in Omero, che &c.* Promiſcue etiam *lib.* 2. *Prorrhetic.* ita ſcripſit Hippocrates; *At quando is, qui Ulcus*

©BIU Santé

fuerint (2). ſufficiunt etiam a viris factæ extenſiones; plerumque enim ſuffecerint duo viri robuſti, altet hinc, alter illinc diſtendentes. Intendere autem oportet in directum ſecundum naturam, & ſecundum rectitudinem tibiæ, ac femoris (3); ſive tibiæ fractæ, ſive femoris oſſa extenderis. Sed & deligare ſic oportet utriſque extentis, utrum tandem horum deligaveris (4): non enim eadem cruri, & manui conferunt: nam ubi cubiti, & brachii oſſa fracta fuerint deligata, manus appenſa excipitur (5). At, ſi extenta deligaveris, figuræ carnium (6) alterantur inter flectendum in cubiti flexura; fieri enim non poteſt, ut cubiti flexura ad multum tempus maneat extenetiamſi membrum ſatis extenderit, & alteri integro æquaverit, ſi os in naturali rectitudine non repoſuerit (quod accidere facilius ſolet in fracturis tranſverſis) intortum os pedem vel ad internam, vel ad externam partem coget deflectere, ex quo muſculi etiam diſtrahuntur, unde difficulter poſtea, neque ſine moleſtia ſuum munus explebunt.

Vlcus habet, delirat, & facile fert vulnus; tunc vulnus aggredi oportet. In hoc ergo textu, dum, *ambo tibiæ oſſa fracta citra exulcerationem*, dixit, de oſſibus fractis citra vulnus intelligendum eſt.

(2) FUERINT. Oſſium fractorum emotiones ſi adeo magnæ fuerint, membrumque adeo robuſtum, ut validiſſima vi opus ſit, tunc extendere præcipit quibuſdam ex iis modis, quos *in cap.* 15. recenſuit. Vid. *not.* (3) ejuſdem capitis, & ſubſequent.

(3) FEMORIS. Hoc præceptum maxima cura attendi debet in extenſione, atque repoſitione omnium fracturarum, atque luxationum; ideo, ut præcipuum, in hoc libro primum propoſuit: nam, *oportet Medicum & luxationum, & fracturarum extenſiones quam directiſſimas facere*, eſt monitum, quo Hippocrates exorſus fuit. Igitur *in directum ſecundum naturam*, videlicet ſecundum naturalem cruris figurationem, muſculorum, tendinum, aliarumque partium directionem, intendere jubet, nec non oſſa ſecundum eorum rectitudinem extendere. Tibia enim recta a genu ad pedem deſcendit; femur vero a coxa ad genu oblique fertur. Tales oſſium directiones probe noviſſe debet Chirurgus ex anatomicis, ne in coaptationibus fracturarum a naturali partium rectitudine aberret; quoniam,

(4) DELIGAVERIS. In omni vel oſſis femoris, vel tibiæ fractura, horum utrum deligandum ſit, ſemper a coxa uſque ad pedem totum membrum extentum eſſe debet, atque in hac eadem figuratione deligandum, collocandumque eſt. Hæc enim poſitio ſecundum harum partium erit naturam, & ægrotus hanc poſitionem, per totum illud tempus, quod requiritur pro oſſis conſolidatione, minus incommode quacumque alia poſitione poterit tolerare. Quare autem crus extentum eſſe debeat, brachium vero deflexum, diffuſe, clariſſimeque in hoc textu docet Hippocrates.

(5) EXCIPITUR. Vid. quæ adnotavimus *not.* (4) *cap.* 4.

(6) CARNIUM, Figuræ carnium, muſculorum ſcilicet, quos carnes vocat Hippocrates, directiones, in extenſione, & flexione articulorum alterantur. *Vid. not.* (21) *cap.* 2.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 166 sur 355

©BIU Santé

tenta: non enim ſæpe in hac figura, ſed in flexione eſſe conſuevit (7). Quin & quum homines obambulare poſſint, ubi circa manum ſauciati fuerint, opus habent flexione in cubiti flexura. At crus quum & in ambulando, & in ſtando conſueverit, aliquando quidem extentum eſſe, aliquando vero fere extentum eſſe, ad infernam partem ſecundum naturam; & ſane etiam ad hoc, ut reliquum corpus vehat; propterea facile eſt ipſi extentum eſſe, ubi ejus neceſſitatem habuerit. Quin & in cubilibus ſæpe in hac figura eſt, ut videlicet ſit extentum (8). Poſtquam autem vulneratum (9) fuerit, neceſſitas animi propoſitum in ſervitutem adigit; impotentes enim fiunt ad ſe attollendum, adeo ut ne meminerint quidem, ut inflectant, ac exurgant, ſed quieſcunt in hac figura decumbentes (10). Pro-

(7) CONSUEVIT. Ex oſſium brachia componentium figuratione, & fabrica, nec non muſculorum diſtributione, directioneque, cubitus deflexus eſſe ſolet; uti *not.* (8) *cap.* 2. adnotavimus.

(8) EXTENTUM. Quemadmodum deflexio ad angularem figuram, naturalis eſt cubiti figuratio; ſic e contra pedes ſecundum naturam, vel extenti, vel fere extenti eſſe ſolent. Omnino Pictores etiam, Sculptores, & Statuarii, qui naturam ſemper imitari ſatagunt, quum hominem in naturali poſitura, nullamque rem agentem, qua corporis membra diverſimode figurari debuiſſent, pingere, aut ſculpere ſaxo, aut aliquo metallo effingere volunt, cubitis aliquomodo deflexis, & cruribus extentis, vel fere extentis, diſponere conſueſcunt. *In Chirurg. Officin. cap.* 10. hoc idem docuit Hippocrates, inquiens; *Natura in operibus eſt, operis actione quid illa velit conjectandum eſt. Ad hæc autem ex quieſcente, ex communi, ex conſuetudine..... Ex conſuetudine, quod non alias figuras magis ferre poſſint, velut crura, extenſionem: in hac enim figura plurimum tempus facillime durarint, nulla facta immutatione.* In hunc Hippocratis textum ita animadvertit *Palladius Schol. de Tibia*; *Sit autem poſitio recta, non angularis, quemadmodum in manu, neque enim eadem conſuevit eſſe poſitio. Nam in pede recta figura eſt ſecundum naturam, quia recti muſculi ſervantur, & inter quieſcendum, ſicuti inter operandum, ea figura eſſe ſolemus.*

(9) VULNERATUM. Læſum, vel male affectum, *vulneratum*, in hoc textu dixit Hippocrates. Vide, quæ de voce *vulnus not.* (20) *cap.* 2. adnotavimus.

(10) DECUMBENTES. In capite primo, de brachii fractura loquens, dixit Hippocrates: *Ipſe enim, qui deligatur, manum porrigit, ut qui ita a juſta natura cogatur*; denotans, quod quando quis aliquod membrum fractura, vel aliqua alia noxa habet affectum, ſeſe ultro in ea diſponit collocatione, in qua ex partis læſæ natura pro ſua utilitate cogitur. Sic modo pariter ait, quod homo, poſteaquam crus fractum habuerit, quoniam impotens erit ad ſe attollendum, decumbendi neceſſitate adactus, ſponte extentus, quod ſecundum hujus partis naturam eſt, jacebit, atque quieſcet; neque omnino ulla in eo exurgendi, vel crus flectendi cupiditas exorietur.

©BIU Santé

Propter has igitur cauſas, neque extenſionis, neque deligationis figura eadem manui, & cruri conducit (11). Si quidem igitur ſufficerit extenſio, quæ per viros fit, nihil aliud laboris fruſtra inſumere oportet: imperitiam enim arguit machinas adhíbere, ubi ipſis non eſt opus. Si vero non ſufficiens fuerit extenſio per viros; etiam ex aliis neceſſariis quædam adhibere oportet, ſi quæ commoda (12) fuerint. Quum autem ſatis jam extenta fuerint, facile eſt dirigere oſſa, & ad naturam reducere, manuum volis, ac palmis corrigendo, ac coaptando (13). Ubi vero direxeris, linteis deligare extenta ſive ad dexteram partem, ſive ad ſiniſtram circumducere prima lintea conducat. Initia autem ipſorum ſupra fracturam injiciantur, & circum hanc primæ quoque obvolutiones circumducantur, deinde deligando ſurſum ad tibiam diſtribuantur, velut in fracturis dictum eſt (14).

(11) CONDUCIT. Ob rationes, quas hucuſque attulit Hippocrates, in alia figuratione brachium extendi, ac deligari, in alia crus debet: crus enim extentam, brachium vero angularem expoſcit figurationem.

(12) COMMODA. Quo majori ſimplicitate, faciliorique apparatu fracturam Chirurgus repoſuerit, eo plus ſuam in arte peritiam, atque ſolertiam oſtendet: machinas enim, atque inſtrumenta, ubi ipſis opus non eſt, adhibere, vel inſcitiam, vel hominis populo imponere ſtudentis jactantiam argueret. Verum quoties ſimpliciſſima extenſio, quæ per viros fit ad oſſium repoſitionem non ſuffecerit, tunc monet Hippocrates, ut aliquod machinamentum adhibeatur, id tamen ſemper, quod promptius, ſimpliciuſque erit, eligendo. Varia hinc machinamentorum genera deſcripſit *cap.* 15. *&* 16., ut ex omnibus his magis idoneum eligeremus.

(13) COAPTANDO. Membrum fractum, ſi ſufficienter, & ſecundum naturalem partis figuram extentum fuerit, facile erit reducere; nam ſejunctis oſſibus, via tunc patet, qua manuum volis, ac palmis fragmenta Chirurgus coaptare poterit, atque inæqualitates corrigere.

(14) DICTUM EST. Hæc omnia, quæ nunc in compendium repetit, diffuſe jam docuit *in cap.* 5.: ibi enim generalem fracturarum deligandarum rationem expoſuit, ut poſtea *cap.* 7. declaravit, inquiens; *Hic ſermo velut lex juſta poſita eſt de fracturarum curatione, & quomodo tractare oporteat, & quomodo eventus ſequi ex juſta tractatione.* Vid. *not.* 6. *cap.* 7.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 168 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XIX.

Lintea circa cruris deligationem qualia esse debeant.
Canales cruribus impositi.

CEterum lintea latiora esse oportet, & longiora, eaque multo plura circa crus, quam in manu (1). Ubi vero deligaveris; super planum quoddam, & molle deponere convenit: ut neque hac, neque illac distorqueatur, neque repandum, neque gibbum fiat (2). Maxime autem confert pulvinar, aut lineum, aut laneum, non durum, laxum, per medium secundum longitudinem subjectum (3), aut aliud

(1) IN MANU. Lintea, sive fasciæ, quales esse debeant ex Hippocratis, atque Galeni sententiis *not.* (8) *cap.* 5. perpendimus. Quum autem hucusque Hippocrates ossium cruris curationem cum ea, quæ in ossibus brachii fit, semper comparaverit, ut diversitates, quæ in extensione, figuratione, deligatione, atque collocatione inter utrasque esse debent, exponeret; ideo nunc monet, quod lintea latiora, & longiora, & multo plura circa crus, quam in manu esse oportet. Hoc præceptum de fasciis in genere edidit quoque Hippocrates in *Chirurg. Officin.* ubi dixit; *fasciarum multitudo, longitudo, latitudo;* quibus verbis paulo post addidit; *Et hæc omnia pro longitudine, latitudine, & crassitudine loci affecti.* Quoniam igitur crus, membrum est majus, quam brachium; ideo lintea latiora, longiora, & multo plura in crure, quam in brachio esse convenit.

(2) FIAT. Posteaquam fasciis, atque spleniis, ut in curatione generali docuit, crus deligaverimus, ægro jam supine in dorsum decumbente, crus in directum, & probe extentum super planum quoddam, & molle deponere convenit. Mollis debet esse locus, ubi crus deponitur, ne, si durus fuerit, dolorem inferat, & ægrotus ad leniendum dolorem id movere cogatur. Planus etiam requiritur, nam inæquali, & flexuoso cruris rectitudo non sustineretur, sed ad decliviorem partem vergeret. Si enim in dextram, vel sinistram partem locus ille, ubi fracturam collocavimus, inclinaret, hac, vel illac in declive ossa, ad dextram, vel sinistram partem, distorquerentur: si vero concavum erit cubile, crus repandum, sive retrorsum deflexum fiet: si tamen prominens, in gibbum fracturæ locus exurget.

(3) SUBJECTUM. Animadversione dignum maxime est monitum, quod nunc præbet Hippocrates; juxta enim ejus consuetudinem accuratissimum de figuratione cruris documentum paucis docet. *In Chirurgiæ Officin.* ubi regulas, ex quibus membrorum justæ figurationes eligi possunt, tradidit, ita scripsit; *Natura vero in operationibus consistit, quid ipsa velit ex operis actione conjectandum; ad hæc autem ex quiescente, ex communi, ex consuetudine;* in quem textum luculentissimam explanationem adjecit *Galenus, comment.* 3. *text.* 27., ubi ait. *In quocunque tempore curationis, quæ morbis, qui manuum operam indigent, adhibetur, unus semper servandus est habitus, is*

©BIU Santé

is videlicet, qui ſit pro membri natura: & ille inveniendus erit, ait ipſe, ex quieſcente, & remiſſo, hoc eſt dum quieſcit quiſpiam; & ex communi, id eſt, ex eo quod medium eſt inter utroſque exceſſus; & ex conſuetudine, in qua tum actiones, tum quies manifeſte continentur. Atque duo hæc habenda ſunt tanquam generaliſſima ſigna figuræ, quæ cuique membro, ex ſua natura debetur; mediocritas nimirum inter exceſſus, itemque conſuetudo. Ut igitur juſtam, magiſque opportunam cruris collocationem eligamus, animadvertere oportet, qualis ſit ejus naturalis figuratio. Hippocrates *cap.* 8. dixerat; *At crus quum & in ambulando, & in ſtando conſueverit aliquando quidem extentum eſſe, aliquando vero fere extentum eſſe.... propterea facile eſt ipſi extentum eſſe, ubi ejus neceſſitatem habuerit: not.* 8. *cap.* 18. Cruris natura eſt, figurationem extentam habere; ſed quum non ſolum *ex quieſcente*, ſed etiam *ex communi*, ideſt ex eo quod medium eſt inter utroſque exceſſus, figuratio deſumenda ſit; crus ergo non abſolute extentum, ſed fere extentum erit collocandum, ut mediocritas ſit inter extenſionis exceſſum, & flexionem. Profecto nequit crus in recta prorſus extenſione diu perſiſtere, quin dolor exoriatur, præcipue in ipſius muſculis flexoribus, qui in ea figura non mediocrem diſtentionem patiuntur; ex quo fit, quod quum in otio ſumus, vel decumbimus, nunquam crus penitus extentum diu tenere, ſine moleſtia, poſſumus; atque ideo rectiſſima cruris extenſio non eſt pro membri natura; nam dixerat *Hippocrates Chirurg. Officin. cap.* 7. *Appenſa autem ſint, vel depoſita ea figura, quæ expers doloris, ac ſecundum naturam eſt.* Ut igitur ab hac rigida extenſione fractum crus vindicemus, pulvinar aliquod ei ſubjectum maxime conferre, ait Hippocrates, quod lineum, vel laneum ſit, non durum, ne moleſtiam afferat, & per medium ſecundum longitudinem laxum eſſe debere monet, ut crus fractum ſuſcipiatur, neque hac, neque illac, ut paulo ante monuit, diſtorqueatur. Equidem hoc pulvinari crus aliquatenus elatum, non erit in rigidiſſima extenſione, ſed fere extentum, quod erit illa mediocritas Galeni inter utroſque exceſſus; in qua figuratione apte, & commodius per totum curationis tempus æger poterit decumbere. Eſſet hic forſan inquirendum; cur hujus pulvinaris altitudinem Hippocrates non deſignaverit: Sed eum hoc ideo prætermiſiſſe credo, quia non omnibus ægris eadem poterit altitudo convenire; nam conſuetudini etiam proſpiciendum eſſe, in *Chirurg. Officin.* docuit; quam alterum ſignum eſſe Galenus dixit, quo cognoſcimus, qualis figura ſit magis ſecundum naturam ægroti; & idem *Galenus comment.* 3. *text.* 21. *Chirurg. Officin.* dixerat; *Maximam profecto in his, quæ ad medicam artem ſpectant, vim habet conſuetudo, quippe quæ a præſtantiſſimis Medicis adventitia natura fuerit vocata.* Quoniam igitur in diverſis, diverſa eſt conſuetudo; alii nempe ſtare, alii ambulare, alii ſedere, pro eorum diverſa conditione, vitæque inſtituto, magis ſunt aſſueti; ſequitur, quod rectam extenſionem is, qui ſtare conſuevit, magis perferre poterit, quam is, qui literis, aliique muneri addictus aſſidere ſolebat; ideo, ut pro conſuetudine, homini, qui aſſidendo crura ſemper deflexa retinuit, crus fractum figuretur, pulvinar craſſius ſubjiciemus, quam illi, qui ſtare conſuevit: ſic enim crure aliquatenus deflexo, per totum curationis tempus in ea figura talis homo immobilis decumbere non gravabitur. Hæc omnia, quæ hactenus ex Hippocratis, & Galeni ſententiis, adnotavimus, nimis ſcrupuloſa, inutiliaque eſſe, atque ſupervacanea dicta nemo judicabit; immo quiſque potius Græcorum Medicorum ſummam

©BIU Santé

aliud quid, quod huic ſimile exiſtit (4). Nam de canalibus, qui ſub crura fracta ſubjiciuntur, quid conſulam ambigo, an ſupponere ipſos conveniat, aut non (5): proſunt enim, non tamen quantum pu-

mam debebit mirari perſpicaciam, atque diligentiam. Accidere enim ſæpiſſime ſolet (ut Chirurgus quilibet in multa praxi verſatus cognoverit,) quod non omnes ægri eandem poſſunt perferre figurationem; alii enim de nulla re conqueruntur, alii eadem methodo curati, eademque figuratione collocati, adeo moleſtis doloribus vel in dorſo, vel in oſſe ſacro, vel in crure vexantur, ut curationis eos tædeat, & Chirurgus multa ſolicitudine afficiatur; quæ omnes difficultates perſæpe ſuboriuntur, quia in figuratione non fuit attenta conſuetudo. Ex neotericis etiam Chirurgis, præſtantiores cruri fracto hujuſmodi pulvinar, ut Hippocrates præcipit, ſubjicere ſemper conſueverunt: ut oſtendit *Paræus lib.* 14. *cap.* 24., *Heiſterus tab.* 38. *fig.* 20. aliique: nec non machinamentum illud, ſive capſa, quam *Petitus* pro cruris fracturis complicatis invenit, & *Tom.* 2. *cap.* 13. deſcripſit, atque delineavit, eo modo conſtructa eſt, ut ibi crus non prorſus, ſed mediocriter extenſum collocetur; atque etiam ita eam capſam auctor compoſuit, ut plus, minuſve pro ægri conſuetudine, atque commoditate, crus extolli, & in acclive poni poſſit.

(4) EXISTIT. Si ratione loci, ubi ægro decumbere contigerit, idoneum pulvinar habere non potuerimus, tum aliud quid non durum, ſed laxum, & quod illi ſimile exiſtat, ſubſterni poterit, veluti conduplicatum ſtragulum, & ſimilia, ut in juſta figuratione pes collocetur.

(5) AUT NON. Canalis eſt inſtrumentum chirurgicum, concavum, & oblongum, in quod membrum fractum imponitur, ut oſſa in naturali ſede, membrumque in juſta figuratione retineatur. Ex ligno, orichalco, aliiſque firmis materiis id parari ſolet. *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. titul. *de Crurum, femorumque fractorum curatione*, canalis ſtructuram apprime deſcribit, ejuſque explicat uſum, atque modum adhibendi. Hujus canalis figuram retulit *Scultetus tab.* 12. *fig.* 6., ubi remora inſpicitur, qualis a Celſo deſcribitur, pro plantæ pedis fulcimento, & fovea, qua calcanei prominentia excipitur (*). Non admodum abſimile eſt illud inſtrumentum ex ferro albo, quod *Paræus lib.* 14. *cap.* 27. pro cruris fractura ſe inveniſſe ait: eſt enim veluti canalis quidam cum remora ad pedem firmandum, & fovea pro excipiendo calcaneo; ſed hoc Paræi inſtrumentum ab Hippocratis canali in eo tantummodo differt, quod habet latera ita fabrefacta, ut adduci, & deduci poſſint. Aliæ canalium ſimpliciores figuræ apud alios auctores reperiuntur, ut in *Heiſteri tab.* 9. *fig.* 9. aliiſque. Hujus inſtrumenti uſum neque probat, neque damnat Hippocrates; nam perpenſis & utilitatibus, & incommodis, quæ hoc inſtrumentum ſolet afferre, quid conſulere de ejus uſu debeat, ſe ambigere fatetur: nullibi enim quidquam in ſuis ſcriptis proponit, aut refellit Hippocrates, quod non ex veritatis amore dixerit, certiſſimiſque hauſerit experientiæ monumentis; atque adeo ſincerus fuit, ut infelices etiam ſuarum curationum even-

[*] *Vid. Tab. V. Fig. III.*

©BIU Santé

eventus, proprioſque errores fateri non dubitaverit; veluti in *lib. de Articulis num.* 48., ubi, varios vertebrarum luxationis reſtituendæ modos recenſendo, ſupervacaneum, quod ipſe aliquando in eam rem tentavit, experimentum nos non celavit, ſed ſincere expoſuit; nam ſcripſit; *Experimentum autem aliquando feci, ut homine ſupino extento, utrem non inflatum ſub gibbum ſubderem, & poſtea folle ex officina fabri in ſubjectum utrem immiſſo inflarem. Verum res mihi non ſucceſſit*: & poſtquam ordine omnia narravit incommoda, quæ ſuum experimentum protulit, inutiliterque id a ſe ſuſceptum fuiſſe expoſuit; rationem inſuper refert, quare hoc ſuis ſcriptis tradendum putaverit, inquiens: *ſcripſi autem hoc de induſtria. Pulchrum enim eſt etiam ea addiſcere, quæ in experimentum aſſumpta ſucceſſu caruerunt, & cur ſucceſſum non habuerint*. Sic etiam *lib.* 5. *de Morb. Popular*: his verbis errorem a ſe commiſſum candide narrat. *Antonimus in Omilo ex capitis vulnere mortuus eſt die decimaſexta in media æſtate lapide ex manu ictus in ſuturas in medio ſincipite. Quare non animadverti ipſum ſecari opus habere: deceperunt enim me ſuturæ habentes in ſe ipſis jaculi læſionem; poſtea enim conſpicuum id fiebat*: quam ingenuam confeſſionem magni facit, aliiſque de re medica ſcribentibus exemplo proponit *Celſus lib.* 8. *cap.* 4. inquiens. *A ſuturis ſe deceptum eſſe Hippocrates memoriæ prodidit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſſa poſteris traditur: ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt*. Et oh utinam Hippocratis exemplum, Celſi monitum, morborum, obſervationumque ſcriptores eſſent ſemper ſequuti! illam equidem fidam morborum quorumcunque hiſtoriam jam haberemus, quam adeo enixe exoptat, ſolidiſſimiſque rationibus philatrorum animis inculcare non deſtitit hippocraticæ doctrinæ cultor egregius *Georgius Baglivius* in aureo illo *de Praxi Medica* libro. At noſtro maximo damno, pauci ex recentioribus, veterum (Græcorum præcipue) fidelem ſcribendi rationem ſequuti ſunt; ſed hiſtorias morborum, non ut veritatem alios docerent, ſed ad ſui ipſius famam potius augendam, vel vanas, lubricaſque a ſe conceptas hypotheſes ſuſtinendas, ornare ſolent, atque contexere; quo fit, ut obſcurioribus ſemper tenebris ars medica circumfundatur, atque tot poſt ſæcula, poſt tot Phyſicorum, Chemicorum, Anatomicorumque labores, vel parum, vel nihil hæc ars profecerit, quin & in quibuſdam rebus deflexerit in deterius. Quoniam igitur id tantum, quod verum, comprobatumque experientia fuerat in humani generis emolumentum, poſteris Hippocrates tradere ſemper ſtuduit, nulli addictus præconceptæ opinioni, aut ſyſtemati, ideo canalis uſum ad cruris fracturas, neque adeo approbandum, neque prorſus rejiciendum eſſe ſtatuit: illius interea utilitates, & damna narrare voluit, ut ea ſub oculis legentium poneret, & hujus inſtrumenti effectus quicunque expendere, juſtoque de his poſſet judicio decernere. In noſtro Noſocomio, pro canali, inſtrumento quodam utimur, quod ex duobus baculis cilindricis linteo obvolutis componimus, in quod, veluti in canali, crus concludimus, & tribus habenis, ſive cingulis deligamus. Hoc quoque inſtrumentum, canalem nos vocare conſueſcimus, uti *Pecettus lib.* 4. *cap.* 24. id etiam canalem vocat, quamvis diverſum prorſus ſit ab illo vero canali, de quo Hippocrates hic locutus eſt, quemadmodum ex aliis etiam

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 172 sur 355

©BIU Santé

recentioribus ſcriptoribus ſuperius obſervavimus; ſed potius noſtrum hoc inſtrumentum non multum abſimile eſt a lectulo ſtramineo, qualis deſcribitur a *Paræo lib.* 14. *cap.* 24., & qui dicitur a Gallis *les fanons*, de quo lectulo ſtramineo *Petitus lib. Des maladies des os tom.* 2. *Chapitr.* 9. ſic ait; *Après les attelles, je mis les fanons, qui ne ſont autre choſe, que deux rouleaux de paille entourez de linge, & qui s'appliquent de chaque côté le long de la partie*. Figuram ejus expreſſit *Petitus cap.* 9. *& cap.* 13. nec non *Heiſterus tab.* 9. *fig.* 5. Hujus inſtrumenti uſus in fracturis non admodum recens eſſe videtur; nam temporibus *Guidonis a Cauliaco* jam in uſum fuiſſe apparet, ex iis, quæ *Doctrin.* 1. *Tractat.* 5. *cap.* 7. de femoris fractura agens, ſcripſit, inquiens; *Alii, ut Magiſter Petrus cum ſuſtentamentis factis de paleis longis ſecundum longitudinem pedis involutis cum linteamine, & ſutura, deſuper ligant cum tribus, aut quatuor vittis*. Magis igitur conſentaneum mihi eſſe videtur, iſtud quoque inſtrumentum, lectulum ſtramineum, quam canalem vocare; quoniam quantum ad lectulum ſtramineum in ſui conſtructione accedit, tantundem a canalium natura recedit: atque animadvertendum etiam eſt, quod nequicquam ad noſtrum hoc inſtrumentum, quamvis canalem nominemus, ea attinent, quæ Hippocrates hic de canalibus exponit; ſed ad veros tantummodo canales, quales ſuperius deſcripſimus, deque illis ſe ambigere aſſerit quid conſulat, *an ſupponere ipſos conveniat, aut non*: Aliud etiam inſtrumentum ad cruris fracturam in ſua figuratione retinendam, poſt Hippocratis ævum, a Medicis inventum fuit, quod *Galenus lib.* 7. *de Uſu Partium* diffuſe deſcribit, & lingua Attica *Gloſſocomion* appellari ait. De Gloſſocomo ita ſcripſit *Oribaſius lib. de Machinamentis cap.* 7. *Non ab re quidem mihi gloſſocomum videtur a junioribus Medicis inventum, quod ſeu femur, ſeu crus comminutum ſit, ubi callus circumdatur, commodiſſime admovetur*. Iſtud inſtrumentum lignea machina eſt, cava, & oblonga, cruris, vel femoris fracturis accommodata; ſed maximopere differt a canali Hippocratis. Non enim hæc machina capſula tantum eſt ad crus in ſua figuratione retinendum idonea; ſed habet præterea funes, axes, & trochleas; adeo ut crus non modo hac machina, veluti in canali, in ſua figuratione retineri; verum etiam in aſſidua diſtentione, donec callus natus ferit, poterit conſervari. Ejus figuram vid. apud *Galenum in commentar.*, *Oribaſium lib. de Machinament. cap.* 7., *Scultetum tab.* 21. *fig.* 4., *& Tagaultium*, qui ad calcem *libri quarti Inſtitution. Chirurgic.* binas gloſſocomi figuras appoſuit; quarum altera femoris, altera tibiæ fracturas gloſſocomo curatas exprimit (*). *Paræus lib.* 14. *cap.* 20. aliud gloſſocomum magis ſimplex, minuſque elaboratum appoſuit. *Galenus* quamvis laudem ejuſmodi inventum mereri fateatur *lib.* 6. *de Method. Meden.*; non tamen id magni fecit in *comment. text.* 64.; ſcripſit enim; *Canalis eſt ad hunc uſum accomodatior, quum totum crus circumcirca comprehendat melius, quam gloſſocomum*. Hodie autem hujus inſtrumenti uſus penitus obſolevit; vincula enim illa, quibus affecta pars perpetuo trahitur, non poſſunt moleſta non eſſe. Maximæ tamen utilitatis hoc inſtrumentum eſſe poſſe autumo in eis fracturis cum vulnere, ex quibus notabile aliquod oſſis fruſtum deceſſit; & in quibus ſpatium aliquod exoſſatum, & inane fuerit relictum: tunc enim ſublato in parte affecta oſſis fulcimento, quamvis membrum ad naturalem longitudinem diſten-

(*) *Vid. Tab. V. Fig. I.*

©BIU Santé

putant hi qui ipſos ſupponunt (6): non enim quieſcere cogunt canales, veluti illi putant: nam neque dum reliquum corpus aut hac, aut illac vertitur, cogit canalis, ut crus ne ſequatur, ſi non ipſe homo hujus rei curam habeat. Neque rurſus abſque corpore crus moveri canalis prohibet, vel in hanc, vel in illam partem. Quin & crudelius eſt lignum ſubjicere, ſi non ſimul molle quiddam in ipſum indatur (7): at utiliſimum eſt in ſtrato permutando (8), & in progreſſtentum deligaverimus; attamen neque ferulis, neque lectulo ſtramineo, neque canali in ſua juſta dimenſione facile retinebimus; muſculi enim eorum inſita contractilitate aſſiduo inferiorem membri partem trahendo, deligationis vim ſenſim ſuperabunt, membrumque brevius efficient; ideo in hoc caſu gloſſocomum, quod vinculis membri fracti decurtationem prohibet, prudenter cauteque adhibitum, ſingularis utilitatis eſſe poterit, donec callus, ſive novum os, renatum confirmatumque fuerit, deperditamque ſubſtantiam reſarſerit. Ad hujuſmodi autem fracturas cum vulnere, oſſiumque abſceſſu, qualem curandi rationem Hippocrates doceat, inferius obſervabimus.

(6) SUPPONUNT. Diverſas Medicorum ſectas, variaſque medendi methodos Hippocratis temporibus fuiſſe, *not.* (1) *cap.* 3. obſervavimus, quarum omnium doctrinas Hippocrates non ignorabat, neque invida æmulatione deſpiciebat; ſed tantum, quæ minoris momenti eſſe, & quæ penitus errores continere experientia deprehenderat, caſtiſſimo animi judicio judicabat, deque his, meliora præponendo, ſuam ſententiam proferebat. Equidem illa ætate Medicos fuiſſe, ex ejus verbis cognoſcimus, qui canalis uſum magni faciebant, atque tutiſſimum, præcipuumque ad artuum inferiorum fracturas curandas inſtrumentum eſſe prædicabant; quam rem etiam apud vulgus compertam fuiſſe apparet. His igitur Hippocrates, quod canalis ejuſmodi fracturis prodeſſe poſſit, non negat; ingenue tamen nos commonet, quod non tantum proſunt, *quantum putant hi, qui ipſos ſupponunt*. Quare autem hanc ſententiam protulerit Hippocrates, noſcimus ex iis, quæ mox addit.

(7) INDATUR. Poſtquam canalis defectus recenſuit, atque expoſuit, quod non eſt tutum canali fracturam confidere, quoniam etiam in canali, ſi non ipſe ægrotus hujus rei curam habeat, hac vel illac membrum fractum diſtorqueri poteſt; addit, quod *crudelius* eſt lignum ſubjicere, ſi non ſimul molle quiddam in ipſum indatur. Si ergo canalem adhibere voluerimus, ſummam curam habere debebit ægrotus, ne crus aut in hanc, aut in illam partem vertatur; & canalis duritiem, re aliqua molli indita, demulcebimus, ut ægrotus illius uſum poſſit tolerare: ſic *Scultetus* in explicatione *tabulæ* 21. *fig.* 6. ubi canalem repræſentat, eum ſtupis replendum eſſe perhibet.

(8) PERMUTANDO. Nequit ægrotus, qui cruris fracturam paſſus eſt, totum illud temporis ſpatium, quod ad ejus ſanationem requiritur, ſemper in ipſa, eademque ſede jacere, quin a lecti duritie torqueatur; hinc cogimur, quamvis raro, aliquando tamen, novum ei lectum ſubſternere, ut molliter, atque commodius poſſit decumbere. Dum autem hæc lecti permutatio fit, ſum-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 174 sur 355

©BIU Santé

greſſionibus ad alvum exonerandam (9). Licet igitur & cum canali, & ſine canali, & bene, & male rem moliri (10). Verum vulgo perſuaſumma cura fractum crus æque, leniterque conduci debet, ne oſſa nondum conferruminata vacillent, atque dimoveantur. In *ſtrato* igitur *permutando* canalem utiliſſimum eſſe Hippocrates aſſentitur; quoniam in eo ſtabili inſtrumento crus concluſum facilius de lecto in lectum ſine ulla commotione poterit commigrare. *Galenus* autem nonnullos fuiſſe Medicos narrat, qui fractis cruribus, pro canali, pulvinar adhibebant, dicens; *Cui ſtatim ab initio per tranſverſum mitellas ſubjiciunt, ac poſtquam ibi crus collocatum fuerit, mitellas inter ſe adverſas ad altitudinem cruris adducunt, quas deinde in ſuperioribus illius membri partibus mutuo inter ſe connectentes ſtabilem cruri ſedem paraſſe exiſtimant; in tranſlationibut enim ægroti loco arculæ pulvinus cruri ſubtenſus eſt*. Hujus pulvinaris uſus, non aſpernabilis quidem utilitatis eſſe, ad cruris fracturas tutandas, viceſque canalis fungi poterit.

(9) EXONERANDAM. Quamvis in canali crus hac, vel illac diſtorqueri poſſit, uti *not.* (7) adnotavimus; inficiari tamen omnino nequimus, quod hujuſmodi inſtrumentum cruri ſubtenſum, ne oſſa fracta in poſteriorem partem deflectant, repandumque crus efficiatur, uti *not.* (2) *hujus capitis* obſervavimus, prohibet. Quoties autem ejuſmodi ægrotantes alvum exonerare volunt, alterum integrum crus ei contrahere facimus, poſteaque monemus, ut ſic calcaneo ex inferiori parte, cubiti vero flexura, ex ſuperiori, in lectum innixi, nates aliquatenus ſublevent, ut aliquam patinam ſubmittere poſſimus, in quam ventrem exonerent. In hac actione centrum gravitatis in latus offenſum convertitur, & niſi multa diligentia ægrotus ſeſe ſuſtinuerit, crus fractum deorſum urgeri poterit, oſſaque fracta inflecti. Canalis igitur, qui durus, æqualiſque ſubſternitur, ejus ſuperficie oſſa in directum ſuſtinebit, neque preſſioni cedet, quemadmodum mollis lectus cedere ſolet; ideo Hippocrates dixit, quod hoc inſtrumentum *utiliſſimum eſt in progreſſibus ad alvum exonerandam*. Nonnulli autem, ut æger nullimode moveatur, per foveam in ipſo lecto effictam, ventrem exonerare faciunt, quemadmodum ait *Paulus Ægineta lib. 6. cap.* 106. ubi ait; *Aliqui vero etiam ſtragula lecti per medium pertundunt, ut ipſi ſint immobiles, & per foramen urina, & ſtercus reddatur, uſque dum callus coaleſcat*. *Petitus* autem *Tom.* 2. *Chapitr.* 13. lecti culcitram in plures partes diviſam adhibere proponit, ut per ablationem alicujus partis, locus, & via aperiatur ad alvum exonerandam, aliaque multa agenda, quæ ibidem diffuſe ipſe exponit; concludendo; *Voici les commodites, qu' on tire de ces differentes pieces de matelas detachees*.

(10) MOLIRI. Poſtquam Hippocrates expoſuit utilitates, & incommoda, quæ ex canalis uſu proficiſcuntur, ſummaque cura, ac diligentia, quid tam cum canali, quam ſine canali cruri fracto adhibere oporteat, conſideravit, ſapienter concludit; *Cum canali, & ſine canali, & bene, & male rem moliri licet*. Profecto ſi quis canalem adhibere voluerit, non abs re ageret; ſed cavere is debet, ut omnes cautiones, atque proviſiones attendat, quæ canalis uſus exigit. Monuit enim Hippocrates in *Chirurg. Officin. cap.* 10. quod *Canalem toti potius cruri, quam dimidio adhibere oportet*. Equidem ſi canalis cruris

©BIU Santé

ris dimidium tantummodo occupaverit, non integrum os poterit ſuſtinere; atque in dimidio cruris, ubi deſinet, comprimet, & moleſtiam afferet. Sic canalem pro cruris fractura uſque ad femur pertingere videmus apud *Scultetum tab. 26. fig. 2.*, *& tab. 27. fig.* 10. Quoniam autem *licet & cum canali, & ſine canali, & bene, & male rem moliri*; ideo Chirurgi tum veteres, tum recentiores, alii eo uſi ſunt, alii non. *Galenum* canales non adhibuiſſe, ex ejus ſcriptis apparet; narrat tamen, non defuiſſe ſua ætate Medicos, qui canalibus utebantur: ait enim *comment. 2. text. 64. Medici quidam plures ejuſmodi canales paratos habent, ut cuique membro illum, qui magis ei aptatur, adhibeant; qui etiam lignum ad hunc uſum quærunt, ex quo excavato, validos, & candidos, atque etiam molles canales conficere poſſint*. Canales quoque laqueis deligare nonulli conſueverunt, quemadmodum de lectulo ſtramineo *not.* (5), & de pulvino *not.* (8) hujus capitis adnotavimus; *Galenus* enim *loc. cit.* hæc inquit. *Fuit, & apud nos quidam Medicus, qui iſtiuſmodi canales plures habebat, quibus ut quodque membrum pro ſua magnitudine requirebat, utebatur; neque tamen ſine vinculis relinquebat, quem ad modum & ab aliquibus fieri ſolitum eſſe diximus, qui id pulvino excipiunt: vincula tamen ſuper pulvinum injecta laxantur, vinciuntque compoſitum membrum, canales vero ob ligni mollitiem, dum transfertur æger, ſine ulla compreſſione crus continet*. Lignum, quo veteres Medici canales conficiebant, in *Galeni* textu ex verſione *Joannis Bernardi Feliciani*, uti & ex *Foeſii Œconomia Hippocratis* ad vocem σωλὴν *pag.* 366., plerumque Tiliam fuiſſe, dicitur. Profecto in ligno tilia omnes eæ conditiones inſunt, quæ in ligno ad canales ejuſmodi comparandos requiruntur. Eſt enim hoc validum, flexibile, facile in opere; *Theophraſtus* enim *Hiſtor. Plantar. lib. 5. cap. 6.* ait; *Materierum item aliæ in opere faciles, quæ molles, & omnium præcipuæ tilia*. Idem *Theophraſtus lib. 3. cap.* 10. binas tiliarum ſpecies recenſet, quas ita inter ſe diſcrepare ait. *Tilia quædam mas, quædam fœmina: diſtant inter ſe tum materie, tum totius corporis forma; & quod altera fructifera, altera ſterilis. Nam materies mari, dura, flava, nodoſior ſpinoſiorque: fœminæ candidior: & cortex mari craſſior, detractuſque inflexibilis propter duritiam eſt: fœminæ candidior, flexibiliorque, ex quo cunas faciunt*. Ex hoc igitur ligno, quo cunas facere Græci conſueverunt, validos illos, & candidos, & etiam molles canales Medici illi, de quibus Galenus loquitur, ſibi comparare facile potuerunt, veluti præ ſua mollitie ſcutis faciendis tiliam aptam eſſe ſcripſit *Plinius Hiſtor. Mund. lib. 16. cap.* 40. inquiens; *Frigidiſſima quæcunque aquatica; lentiſſima autem, & ideo ſcutis faciendis aptiſſima, quorum plaga contrahit ſe protinus, clauditque ſuum vulnus, & ob id contumacius tranſmittit ferrum, in quo ſunt genere ſici, ſalix, tilia &c.* Quum ex tiliæ ligno canales a veteribus conficerentur, proinde, ob non multum abſimilem cauſam, ad eundemque effectum conſequendum, ita, opinor, ſcriptum eſſe apud *Julium Capitolinum cap: ult. de Antonino Pio; Cum ſenex, & longus eſſet, incurvareturque, tiliaceis tabulis in pectore poſitis faſciebatur, ut rectus incederet*. *Lanfrancus* in ſua *Chirurg. Magn. doctrin. 1. Tractat. 4. cap. 6.* cruribus fractis canalem ſubjiciendum eſſe perhibet; ait enim; *Hoc addito, quod poſt oſſis coxæ, & oſſium cruris reductionem, ſemper oportet crus locari in albiolo, ſeu conchella, quæ ſit ad modum cruris formata: ita, quod non poſſit ad partem aliquam declinare*. Ex recentioribus etiam non deſunt, qui canalis uſum approbant, uti *Munniks lib. 4. cap. 5. Gorterus* §. 357. alii-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 176 sur 355

©BIU Santé

ſuaſum eſt, etiam medicum minus delinquere, ſi canalis ſubjiciatur, etiam ſi minus hoc artem referat (11).

que. *Paulus* autem *Ægineta* ex iis eſt, qui canalibus non utendum cenſet; ait enim *lib. 6. cap. 106. Nonnulli igitur canali, quem ſolenam Græci dicunt, nunc lignea, nunc fictili, membrum fractum, aut etiam crus ipſum repoſuerunt: alii vero ſola ea, quæ cum vulnere fracta ſunt, eo quod hæc ferulis nequeant conſtringi. In totum vero ſolenarum uſum poſteriores damnarunt, multis ſane de cauſis, ſed præcipue, quod ipſarum duritia partibus negotium faceſſet.* Canalis uſum damnat quoque *Theodoricus lib. 2. cap. 40.* dicens; *Inquit etiam Albucaſſis: adminiſtretur cunabulum ex ligno ſecundum longitudinem cruris, in quo crus locetur, ut ſervetur a motu. Ego vero illis uſus non ſum: nec multum approbo, nec dominus Hugo multum approbabat. Multo melius eſt, ut cunabulum de pannis mollibus, quam de ligno paretur: quia crus melius, & calidius, & magis ſine moleſtia requieſcit. Nutrimentum etiam melius diſcurrit ad membrum, & panni molles membro dolorem non inferunt ſicut lignum. Et ſi bene parentur, membrum reſtauratum in figura ſua bene conſervant.* Lectulum ſtramineum præfert canali *Junckerus tabul. 63. §. 15.* quemadmodum etiam *Petitus*, *Heiſterus*, aliique. Ex horum ergo omnium optimorum auctorum diverſis opinionibus concludere quidem poſſumus, veriſſimum eſſe Hippocratis effatum, quum dixerit; *Licet igitur & cum canali, & ſine canali, & bene, & male rem moliri.*

(11) REFERAT. Non modo in curationibus agendis ea omnia facere debet Chirurgus, quæ ex artis ſuæ præceptis, ad ſanitatem ægro optime reſtituendam, requiruntur; ſed etiam ita ſe gerere debet, ut ſuæ etiam famæ proſpiciat; nam ut ait *Cicero lib. 1. de Officiis. Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti.* Nonnullæ enim quandoque opiniones apud vulgus invaluerunt, nonnullæ res ab imperitis adeo neceſſariæ, magnique momenti æſtimantur, ut niſi eis utetur Chirurgus in iis morbis, ad quos aptæ cenſentur, eum ignorantiæ accuſant, & ſi auſpicato curatio non ceſſerit, omnem tum culpam in Chirurgi inſcitiam refundunt: *difficile enim eſt*, ut ait idem *Cicero ad Quintum Fratrem, mutare animos, & ſi quid pene eſt inſitum moribus, id ſubito evellere.* Si ergo in ea civitate quis artem chirurgicam exerceret, in qua communi omnium opinione, tutiſſimus atque neceſſarius omnino uſus canalis ad crurum fracturas optime curandas reputaretur: *& vulgo perſuaſum ſit etiam medicum minus delinquere, ſi canalis ſubjiciatur;* canalem tum adhibere ſuadet Hippocrates, *quamvis hoc minus artem referat.* Æger enim ita, ſe diligentius curari, exiſtimabit; & ſi ob morbi naturam non prorſus ſine aliqua incommoditate, defectuque membrum remanſerit, inſontem Chirurgum nemo deliquiſſe judicabit. Hoc tamen ideo ad ſuadendum deſcendit Hippocrates, quia canales haud nocere novit; ſed tantum ambigit, an eos ſupponere opus ſit, aut non, & ait, quod *proſunt, non tamen quantum putant hi, qui ipſos ſupponunt*, uti *not. (6)* adnotavimus. Alias enim viliſſima res eſſet, imo & iniqua, multumque ab honeſti Chirurgi dignitate abhorrens, ſi ob humanos reſpectus, non ſatis fideliter ægrotorum ſanitati conſuleremus,

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XX.

Cruris fracti decubitus.

OPortet enim ſuper plano quopiam, ac molli cubare crus ipſum, penitus in directum: alioqui neceſſe eſt deligationem ſuperari a diſtortione, quæ in poſitu contingit, quocunque, & quantuncunque tandem inclinarit (1). Reſpondeat autem deligatus eadem, quæ etiam prius dicta ſunt: nam & deligationem talem eſſe oportet, & tumorem ita attolli ad extremas partes, & laxationes ita, & religationes per tertium diem: & quod deligatur gracilius inveniri (2), & deligationes magis facere, & pluribus linteis (3), & circumdare pedem laxe, ſi non vulnus valde propinquum genu fuerit (4). Extendere autem

(1) INCLINARIT. Sive canalem adhibuerimus, vel non, locus tamen, ubi cubare debet crus fractum, ut planus ſemper, & mollis ſit, oportet; planus, ut crus in directum ſuperſterni poſſit: mollis, ne duritie dolores excitentur; de quibus omnibus abunde ſatis in capite præcedenti dictum fuit: *vid. not.* (2) *cap.* 19. Animadvertendum quoque eſſe nunc monet Hippocrates, ut crus in eadem figuratione deligemus, in qua erit collocandum; alioqui neceſſe erit deligationem ſuperari a diſtortione, quæ in poſitu contingit. Hæc eadem jam ſuperius docuit Hippocrates in cubiti fractura, ubi, ut Medicum illum, qui brachium deligabat protenſum velut ſagittantium, redargueret, dixit: *Nam & ubi deligavit, ſi manum flectere jubceret, neque offa, neque nervi, neque carnes in eodem pérmanerent; ſed ſuperata deligatione alio transferrentur*; quæ omnia hic pariter accidérent, ob rationes, quas *not.* (21) *cap.* 2. adnotavimus.

(2) INVENIRI. Hæc omnia explicata cumulatiſſime ab eo fuere in *cap.* 6.

(3) LINTEIS. Quoniam crus eſt membrum cubito, & humero majus; ideo ut probe deligetur, majores in illo deligationes, atque plura lintea, quam in his, requiruntur; nam dixerat *Hippocrates in Chirurg. Officin num.* 6. *Conveniente autem deligatione uti, conjectura ad latitudinem, ac craſſitudinem partium facta. Vid. not.* (8) *cap.* 5.

(4) FUERIT. Vulnus in hoc textu, fracturam ſignificat, cujus vocis diverſas ſignificationes *not.* (20) *cap.* 2. obſervavimus. Monet ergo hic Hippocrates, quod in cruris fractura laxe circa pedem faſciæ obvolvendæ ſunt, ne retrogradus humorum motus impediatur, & tumor in pede nimis durus exſurgat, aliaque mala ſuboriantur, ut *not.* (27) *cap.* 5. adnotavimus, ubi Hippocrates dixerat: *Circa manus junctturam, ſivé articulum laxe circumdare ſplenia oportet.* Verum quoties fractura prope genu fuerit, primæ faſciarum circumductiones, quas ibi ter in orbem conjicere, & magis comprimere convenit, (quemadmodum in curatione fracturarum generatim docuit) vaſa ex poplite ad pedem progredientia aliquatenus conſtringent, & humorum

©BIU Santé

autem moderate, & dirigere ossa, in unaquaque deligatione oportet (5): si enim recte curetur, & tumor (6) secundum rationem procedat: tum locus, qui deligatur, tenuior, ac gracilior erit, tum ossa adductu faciliora, & extensioni magis obedientia (7). Postquam autem septimus, aut (8) undecimus aderit dies, ferulas apponere oportet, quemadmodum & in aliis fracturis dictum est.

rum minor copia ad pedem profluet; unde non adeo tunc erit metuendus tumor in pede. Præterea quum ferulæ adhibentur, si eas prope genu, ubi fractura est, constrinxerimus; circa pedem vero late deligaverimus; hæ ferulæ in ejusmodi casu in altera extremitate compressæ, in altera laxæ, ossa non æque sustinebunt, & crus declinare facile posset; ideo monet Hippocrates, quod in cruris fractura pedem laxe circumdare oportet, dummodo ea non valde propinqua genu fuerit.

(5) OPORTET. In *cap.* 5. *&* 6. ubi generatim rationem fracturas curandi tradidit Hippocrates, primis diebus curationis, fracturas solvendas tertia quaque die, atque iterum arctius deligandas esse præcepit; dixit etiam, quod tum in unaquaque deligatione membrum fractum extendi, & si quid non bene coaptatum esse compererimus, iterum coaptari debeat; quoniam adhuc tunc non ossa conglutinari inceperunt, & membrum tenuius redditum, ad correctionem duci facile potest: *vid. not.* (19) *cap.* 6. In hoc autem textu eadem commemorat, monendo, quod *extendere moderate, & dirigere ossa in unaquaque deligatione oportet.*

(6) TUMOR. Postquam membrum fractum deligaverimus, aliquot signis noscere nos posse in *cap.* 5. docuit, an justa deligatio, neque nimis arcta, neque laxa fuerit; inter quæ signa, tumorem parvum, mollem, recensuit, qui postridie, in fractura brachii, ad summam manum oboritur: sic in fractura cruris, id quoque ad summum pedem animadvertere debebimus: *vid. not.* (35) *cap.* 5.

(7) OBEDIENTIA. In singulis illis deligationibus, quæ tertia quaque die fiunt, membrum, si nulla inflammatio, aliudve symptoma supervenerit, tenuius semper reperiri, ideoque arctius debere deligari, jam in *cap.* 5. adnotavimus. Dixerat etiam ibi Hippocrates: *Verum in septimo etiam valde tenuis: & ossa fracta magis moventur, & facilius ad correctionem ducuntur. Vide not.* (5) *cap.* 5.

(8) AUT. Cur Hippocrates non ante diem septimum ferulas adhibendas esse statuerit, *not.* (5) *cap.* 5. adnotavimus. Animadvertendum etiam hic est, quod, Hippocratem ferulis potius, quam canale crus fractum curare consuevisse, in hoc textu apparet; nam postea quam is de canalis commodis, & incommodis differuit, atque, an eos supponere conveniat, aut non, se ambigere dixit, ad ferularum tandem appositionem omnem orationem convertit, atque in eis reliquum curationis prosequitur.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXI.

Ferularum locationes, in quibus vitandæ. Tibiæ ossa quadraginta diebus corroborantur. Osse directione egente, quid faciendum. Tibiæ os alterum fractum. Tibiæ os internum majorem in curando molestiam exhibet.

CEterum ferularum locationes vitare oportet, & secundum malleolorum rectitudinem, & supra tendinem, qui est in tibia pedis (1). At tibiæ ossa corroborantur in quadraginta diebus, si recte curen-

(1) PEDIS. Jam monuit Hippocrates in *Chirurg. Officin. num. 9.*, quod cavere oportet, ne secundum malleolorum rectitudinem ferulæ imponantur; scripsit enim: *Quæcunque vero partes incurvæ sunt, & excarnes, in his, quæ prominent, cavendæ sunt, velut circa digitos, & malleolos, aut positione, aut brevitate.* In hoc textu, si probe consideretur, paucis verbis, juxta Hippocratis consuetudinem, omnis doctrina, atque regulæ comprehenduntur, quæ debent attendi, ne appositione ferularum in cruris fractura malleoli lædantur: *Ferularum* enim *locationes vitare oportet secundum malleolorum rectitudinem*, ait Hippocrates: *Nimirum* (ut dilucide commentatus est *Galenus* in hunc textum) *hæc ossa, utpote quia prominent, atque carne vacua sunt, ab insidentibus ferulis colliduntur; immo non ipsa, sed potius musculos, & musculorum quasdam nervosas partes, cutemque illis prætensam collidi dicendum est. Hæ enim partes interceptæ inter duo corpora dura, exterius quippe ferulas, & interius ossa, comprimuntur, & contunduntur: sæpius autem ita male afficiuntur, ut exulcerentur.* Has igitur ob rationes, secundum malleolorum rectitudinem, ferulas non apponendas esse præcipit Hippocrates. Verum talis quandoque fracturæ qualitas esse poterit, ut necesse sit secundum malleolorum rectitudinem ferulas apponere, & ideo ut omnibus casibus Hippocrates prospiceret, in mox allegato textu *Chirurgiæ Officinæ* dixerat, quod partes excarnes, & quæ prominent circa malleolos cavendæ sunt, *aut positione, aut brevitate. Positione*, ferulas scilicet juxta malleolorum rectitudinem nequaquam apponendo, vel si ibi apponere necesse sit, eas debitis cautionibus locando. *Brevitate* autem malleolos cavere etiam possumus, quoties ferulas non adeo longas adhibuerimus, ut ad eos pertingant, quemadmodum *Galenus comment. 3. text. 12.* monet: *Et est, ac si ita dixisset Hippocrates. Cavendum est quo minus ferulæ eminentes partes contingant, vel nullis, vel brevioribus appositis.* Profecto recentiores Chirurgi Parisienses cruris fracturas nullis appositis ferulis curare consueverunt, ut videre est apud *Le Clerc*, *Col de Vilars*, *Petitum*, aliosque. Hi enim celeberrimi Viri, postquam primam fasciam injecerunt, pro ferulis, duo lata crassioris chartæ frusta ad cruris formam parant, quorum unum ad partem internam, alterum ad externam adaptant, quibus totum fere membrum comprehendunt. Hæc vinculis firmant; postea vero lectulum stramineum

©BIU Santé

neum ſubjiciunt, atque crus, ut artis eſt, collocant. Suadet inſuper *Le Clerc*, ut illa craſſioris chartæ fruſta, priuſquam apponantur, aqua madefiant; quoniam ſic molliora reddita, aptius cruris figuram amplectentur; atque poſtea in ea figuratione deſiccata, affectam partem melius ſuſtinebunt. Etiam ex ferro albo hæc ſuſtentacula confici poſſe ait *Petitus*; nam *Tom.* 2. *Chapitr.* 13. inquit: *La derniere bande, étant appliquee, on met des plaques de fer blanc, ou des cartons, qui ſont un pouce moin longs, que les longuettes, & ſuffiſamment larges pour embraſſer toute la jambe à un travers de doigt près tant par devant, que par derriere.* Horum figuras idem Auctor ibidem expreſſit ad lit. *I*, & *K*. Verum Hippocrates, ut & optimorum Chirurgorum plerique ferulis utuntur, nam his aptius in ſua ſede oſſa ſuſtinentur, & prout fracturæ qualitas requiret, commodius diſponuntur. Non enim eædem ſemper ferulæ in omnibus cruris fracturis requiruntur, ſed longiores modo, modo breviores apponere opus eſt: neque in eodem ſitu perpetuo collocantur, ſed nunc hic, nunc illic, & ubi magis comprimendum eſt, adhibentur; dixerat enim Hippocrates *in cap.* 6. *Craſſiſſimam autem ferulam eſſe oportet, qua parte extat fractura. Vid. not.* (2), & (3) *cap.* 6. Præterea craſſior illa charta, præterquam, quod forſan fracturam non ſatis firmiter ſuſtinebit, atque omnes membri partes indiſcriminatim undique comprimet; ſi voluerimus aliquod medicamentum, ut dolorem leniamus, vel arceamus inflammationem, ſuperfundere, molleſceret, atque crus deflecti ſineret. Ideo ſemper & commodius, & utilius, proque loci affecti, fulcimentique neceſſitatibus, aptius, ferulis utemur. Quoties vero prope malleolos fractura contigerit; vel fracturæ qualitate nos cogi cognoverimus, ut ferulas ſecundum malleolorum rectitudinem apponamus; eos tunc cavere quoque poterimus *Poſitione*, omnes videlicet cautiones, atque proviſiones animadvertendo, quas ipſe Hippocrates monuit, dum *in cap.* 5. dixerat: *Extremitates autem ſubaridas, & in acutum abeuntes, ſpleniis obvolutis curare oportet. Vid. not.* (24) (25) (26) *cap.* 5. Omnino præcipuæ rationes, quare ſecundum malleolorum rectitudinem ferularum locationes vitare oportet, duæ ſunt; altera eſt, ne ſuper hæc dura, & in acutum abeuntia corpora colliſiones, vel ulcerationes ferularum preſſione inducantur, ut paulo ante ex *Galeno* obſervavimus; altera, quia omnem ferularum vim hæ oſſeæ prominentiæ ſuſtinerent, reliquum vero oſſis elata ferula non attingeret, unde os fractum non ſatis ſuſtentaretur. His igitur incommodis ſatis proſpiciemus, ſi ſpleniis obvolutis has partes curabimus; quæ ſplenia *non acervatim*, *ſed particulatim* adhibenda eſſe jam monuit Hippocrates, ut *not.* (26) *cap.* 5. adnotavimus. Optimam hujuſmodi ſpleniorum appoſitionem, *partitulatim* accommodatam, legimus apud *Col de Vilars Tom.* 5. *Chapitr.* 2. *Artic.* 11. Præcipit enim clariſſimus Auctor, duo craſſiora ſplenia, lata unum pollicem, longa quinque digitis, utrinque ad latera tendinis Achillis a calcaneo uſque ad initium muſculorum ſuræ, ſubtus prominentias malleolorum, in longum collocari, ut excarne illud ſpatium, quod ad latera ejuſdem tendinis, & in parte poſteriori malleolorum eſt, compleatur, & oſſa tibiæ, & fibulæ propius ſuſtineantur: poſtea vero tertium ſplenium quadratum, quinque, vel ſex digitos latum, craſſitudinis gradatim minoris, ſuper Achillis tendinem, a calcaneo uſque ad principium ſuræ, adhibere monet, quo duo illa ſplenia ad latera ejuſdem tendinis Achillis poſita amplectamur, quæ omnia faſcia poſtea firmentur. Sic enim & malleolos

©BIU Santé

los a preſſione ferularum defendemus, &, ut ait Hippocrates, hanc cruris partem in acutum abeuntem, ſpleniis obvolutis curaverimus; & ferulæ, quæ poſtea apponuntur, æquabiliter etiam os fractum ſuſtentabunt. Quando autem circa tibiæ medium acciderit fractura, ſatis tunc erit breviores ferulas admovere, quæ ad articulationes non accedant; quemadmodum expreſſit *Sculletus Tab.29. fig.4.* Ita enim oſſa fracta ſufficienter in ſua ſede ſuſtinentur, neque articulorum prominentes partes vexantur. Os autem tibiæ, exceptis ejuſdem extremitatibus, figuram triangularis priſmatis repræſentat, cujus alterum latus poſticam tibiæ partem format, reliqua duo latera, unum ad externam partem, alterum ad internam, recipiunt, quæ oblique progrediendo in parte anteriori cruris ad angulum acutum uniuntur; ubi acuta illa, & ſolis communibus tegumentis, ac perioſteo tecta, anterior tibiæ pars efficitur, quæ *ſpina tibiæ a Veſalio*, vel *Criſta a Winslowio*, nuncupatur. Oſſis tibiæ fractura, niſi articulis proxima admodum ſit, anterius plerumque extare ſolet; ex tribus enim illius faciebus, poſterior, & exterior a pluribus craſſiſſimis muſculis, & ab oſſe fibulæ impediuntur, quominus in eas partes fractura vergere poſſit; facies autem interior, quæ ſolis integumentis tegitur, prorumpere facile poteſt, quin immo in hanc partem muſculorum contractilitate impellitur, atque ſi completa fractura fuerit, unum ſemper aliud, ex hac interna, & anteriori parte, oſſa fracta efferri ſolent; uti *not.* (2) *cap.6.* adnotavimus. Hippocrates, ut oſſa fracta in ſua ſede ſatis retineantur, quod *Craſſiſſimam ferulam eſſe oportet, qua parte extat fractura*, in *cap.5.* docuit. In hac igitur interna tibiæ facie, quæ ſolis tegitur communibus integumentis, poſteaquam, vel ſeptimus, vel nonus, vel undecimus dies, ut diximus, efluxerit, neque ullum ſymptoma obſtrabit, & in omnibus deligationibus, crus ſatis extentum, oſſaque in ſua ſede probe coaptata eſſe cognoverimus, ferulam craſſiorem apponere oportet, ſed adeo brevem, ut ad extremitates, ubi os craſſeſcit, non pertingat. Hæc ferula hujus faciei tibiæ latitudinem non debet excedere, neque debet apponi, niſi craſſum ei antea, & molle ſplenium ſubſtraverimus, ne dura ferula ſuper hanc excarnem partem collocata, dolores concitare poſſit, contuſionem, ulcerationemve ullam ejus preſſione inducere. Maximum profecto erit emolumentum, quod in ejuſmodi circa medium tibiæ fracturis talis ferulæ prudens collocatio afferet: os enim in ſua rectitudine fulciet; neque anterius prominens, veluti in vaſis, naturalem cruris formam deturpabit. Fracturarum enim cruris, quibus poſt ſanationem non ſecundum naturam figuratio eſt, pleraſque in anteriorem partem deflexiſſe cernimus; magni ergo intereſt hanc partem fulcire, ne aliquod vitium, neque ulla deformitas in crure fracto, totum vitæ decurſum immedicabilis ſuperfutura, noſtro maximo damno, relinquatur. Aliæ poſtea duæ. vel tres ferulæ cum ſpleniis circumponendæ ſunt ad digiti latitudinem inter ſe diffidentes, quæ faſciis, vinculiſque firmantur, quemadmodum in curatione generali fracturarum docuit Hippocrates. Hæ ferulæ, ut cruris figurationi aptentur, æqueque diſtantes ubique ſint, in altera extremitatum in minorem latitudinem debent deſinere. Cavere, quoque monet Hippocrates, ne ſupra tendinem Achillis ferula imponatur; ibi enim ab incumbente crure, dolor, vel etiam ulceratio inducerentur; atque ferula ſuper craſſum illum, tenſumque tendinem, atque magnos ſuræ muſculos impoſita, nullius eſſe fracturæ poterit fulcimenti.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 182 sur 355

©BIU Santé

curentur (2). Si vero ſuſpicionem habeas, os aliquod directione opus habere, aut de ulceratione aliqua timeas; intermedio tempore ſolvere, & probe coaptata religare oportet (3). Porro, ſi alterum tibiæ os fractum fuerit; extenſione quidem debiliore opus habet, non tamen deficere, neque ſegniter agere in extendendo convenit (4), & maxime quidem omnes fracturas in prima deligatione, quantum ejus fieri debet, extendere oportet (5): ſin minus, quam citiſſime (6); quod-

(2) CURENTUR. Oſſis tibiæ fractura quadraginta diebus corroborari ſolet; debemus tamen hic quoque meminiſſe, quod Hippocrates in curatione generali fracturarum, de diebus ad conſolidationes conſtitutis, dixit etiam: *Certum tamen nihil eſt, nam & natura a natura, & ætas ab ætate valde differt. Vid. not.* (12) (13) (14) *cap.* 6.

(3) OPORTET. De his *vid. not.* (9) (10) (19) *cap.* 6.

(4) CONVENIT. Huc accenſenda ea omnia ſunt, quæ in *cap.* 4. adnotavimus, ubi de fractura incompleta brachii Hippocrates dixerat: *Porro ex cubiti oſſibus, ubi non ambo fracta ſunt, facilior curatio eſt.* Verum in fractura incompleta cruris, major, quam in fractura incompleta brachii, adhibenda ſolertia eſt: nam ſi aliqua non magni momenti deformitas; vel vitium poſt curationem in brachio ſuperfuerit, non adeo id erit incommodum, aut ſenſibile, ut in crure. Brachia enim veſtibus plerumque teguntur, eorumque poſſunt quædam imperfectæ actiones facili negotio abſcondi. In crure autem vel minima claudicatio, vel ad liberum, naturalemque motum, progreſſumque leve etiam impedimentum, omnibus perſpicuum fit, magnique æſtimatur. Quinimo in actione, & motu, libere quamvis, & ſecundum naturam, ut antea, crus agere poſſit, nullumque in eo remanſerit impedimentum; levis tamen deformitas, oſſiumque minima deflexio, ab eis potiſſimum viris, qui crura veſtibus, aut toga non celant, eoque magis ſemper ab ingenuis, & liberalibus, non æque fertur, ſed conqueruntur, atque hi Chirurgum de optima curandi ratione, vel ignorantia, vel negligentia redarguunt defeciſſe; ideo in hoc textu monet Hippocrates, quod *ſi alterum tibiæ os fractum fuerit, extenſione quidem debiliore opus habet, non tamen deficere, neque ſegniter agere in extendendo convenit.*

(5) OPORTET. Membrum, in quo recenter oſſis fractura facta fuerit naturalem adhuc tum mollitiem, atque carnium flexibilitatem ſervat; adeo ut diſtentio, oſſiumque fractorum coaptatio facili negotio fieri, atque ſine multo dolore obſequens membrum contrectari, poſſit. Ad alterum vero, vel tertium diem, pars ſemper, aliquatenus ſaltem, intumeſcere ſolet; quare renitens fit, ad tactum magis dolens, atque extenſionibus, repoſitionibuſque non facile obſequens; ideo Hippocrates dixit: *Et maxime quidem omnes fracturas in prima deligatione, quantum ejus fieri debet, extendere oportet.*

(6) CITISSIME. Si ad ſecundum, vel tertium diem fractura nondum coaptata fuerit, & pars affecta dolens admodum ſit, inflammata, atque tumida, non debet tunc extenſio, oſſiumque reſtitutio tentari; nam ea mala ex hoc accidere poſſent, quæ narrat *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. ubi de extenſione fracturarum loquens, ait: *Protinus ad mem-*

©BIU Santé

quodcunque enim os non recto modo coaptatum deligans quis compresserit, locus majori dolore vexabitur (7). Reliqua vero curatio eadem (8) est. At vero ex ossibus his internum, tibia, & prima tibia appellatum (9), molestiam majorem in curando exhibet, & extensione ma-

membrum oportet extendere .... Rursus si primis diebus id omissum est, inflammatio oritur: sub qua & difficile, & periculosè vis nervis adhibetur. Nam distentio nervorum, vel cancer sequitur, vel certe, ut diutissime alatur pus. Itaque si ante reposita ossa non sunt, postea reponenda sunt. Quousque ergo ea symptomata non subsederint, extensione, atque contrectatione dolentem partem irritare non decet; sed tunc sinere oportet, ut quintus etiam, vel septimus dies prætereat, in quibus phlogosis, tensio, atque dolor cedere solent. Melius enim semper, minorique cum periculo, circa septimum diem ossium repositio fit, quam tertio, vel quarto, in quibus symptomata magis urgent. Rei tandem summa est, quod Hippocrates in hoc textu præcipit, ut mox in prima deligatione, quantum fieri debet membrum extendatur, ossaque in sua sede reponantur, sin minus hoc efficere tum poterimus; sublatis symptomatis, saltem quam citissime absolvendum.

(7) VEXABITUR. In *Chirurg. Officin. n.* 4. dixerat Hippocrates: *Juxta locum affectum maxime comprimere oportet: minime extremas partes; reliqua vero pro ratione.* Quare autem juxta locum affectum maxime comprimere oporteat, jam superius, ubi generatim fracturarum curationem docuit, observavimus, ut *not.* (12) & (16) *cap.* 5. Ex his ratio eluceſcit, ob quam in hoc textu vel in prima deligatione, sin minus, quam citissime, ossa fracta coaptanda esse Hippocrates dixerit; nempe quia locus fracturæ deligatione comprimi eo modo nequit, uti expedire ibi docuerat; quod si comprimeretur, ossibus non recto modo coaptatis, tunc *locus majori dolore vexabitur*. Ossa enim, quæ non bene coaptata extant, atque acutis, scabrisque fracturæ extremitatibus vicinas carnes vexant, si deligatione comprimantur, ea tunc acumina, plus in carnes adacta, lacerationes, doloresque intolerabiles inducerent. Quousque ergo ossa probe coaptata non fuerint, ne recensita mala excitemus, neque locus majori dolore vexetur, fasciis non comprimere, sed consueto laxius debebimus deligare.

(8) EADEM EST. Ceterum, quoad partis inspectionem, ægroti conditionem, interrogationes faciendas, victusque rationem, aliaque omnia, eadem curatio adhibenda est, qualem superius in curatione generali fracturarum tradidit Hippocrates.

(9) APPELLATUM. Ambo illa ossa, quæ a genu usque ad pedem protenduntur, & quæ crus constituunt, tibias Veteres vocare consueverunt. *Vid. not.* (1) *cap.* 14.; sic Hippocrates *lib. de Ossium Natura* scripsit: *Tibiæ vero duæ sunt, quæ superne, ac inferne cohærent: juxta medium vero distant.* Hanc dicendi consuetudinem alii etiam sequuti sunt post Hippocratem, veluti legimus apud *Oribasium lib.* 25. *Collector. Med. cap.* 21., ubi ait: *Tibia vocatur tota pars cruris, quæ inter genu, & talum intercedit.* Quoniam igitur ambo hæc ossa tibias vocaverunt, ut ex his præcipuum cruris os designaret Hippocrates, *os primum tibia appellatum*, dixit. Verum apud recentiores proprie tibia, & canna major,

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 184 sur 355

©BIU Santé

magis opus habet (10): & ſi non recte coaptata oſſa fuerint, occultari non poſſunt; eſt enim totum conſpicuum, & carnis exors (11): & hoc fracto, longe tardius progredi eo crure poterint (12).

jor, & focile majus, hoc tantummodo os nominatur; alterum vero fibula, perone, ſura, canna minor, & focile minus dicitur; neque etiam ex veteribus deſunt, qui unumquodque os diverſo prorſus nomine indigitare conſueverint, ut *Celſus*, qui *lib.* 8. *cap.* 1. poſtquam ex duobus oſſibus crus eſſe dixerat, alterum ab exteriori parte poſitum, ſuram, alterum a priore parte, Tibiam nominari, expoſuit. In hoc ergo textu pro *prima tibia*, intelligere debemus illud os, quod clarioris doctrinæ cauſa, tibia ab Anatomicis nuncupatur; ut ait *Veſalius lib.* 1. *cap.* 31. *Ego evidentioris doctrinæ ſtudio craſſius os, tibiæ os appellabo.*

(10) HABET. Quo majus eſt os fractum, eo longius tempus requiritur, ut probe conferveat, atque etiam propter noxæ amplitudinem, majorem in curando moleſtiam exhibet. Accedit, quod grandiora oſſa, quæ membrum aliquod ſuſtentant, ut tibia, plures, craſſioreſque muſculi adeunt, qui eorum contractilitate oſſa fracta de ſua ſede deturbant; ideo ut fragmenta reponantur, atque ad naturalem figurationem tibia reſtituatur, extenſione eam majori, quam fibulam, quæ os longe illo tenuius eſt, opus habere dixit Hippocrates.

(11) EXORS. Tibia in ejus facie interna, ut *not.* (1) hujus capitis conſideravimus, tota conſpicua eſt, & carnis exors; ideo quamvis nulla ex ejuſdem fractura claudicatio remanſerit, libereque ut antea ægroto incedere liceat; quæcunque tamen ſcabrities, inæqualitaſque, quæ ex non perfecta oſſium coaptatione relicta fuerit, occultari non poterit, quod vitium ægre admodum a laborantibus ferri ſolet, uti *not.* (4) hujus capitis adnotavimus. Animadverſione dignum quoque maxime eſt, quod eæ oſſium fractorum inæqualitates, moleſtiarum perpetuæ reliquiæ eſſe ſolent. Obſervationibus enim comperi, quod ex iis, qui fracturas paſſi fuerunt, plerumque illi tantummodo, quibus imperfectæ ejuſmodi inæqualitates remanſerunt, dolores, atque gravedines, pro aeris variationibus, atque intemperie, temporumque viciſſitudinibus, ibi ſuſtinere ſolent; qui autem oſſibus in naturali figuratione perfecte reſtitutis convaluerunt, nunquam deinde ullum incommodum in ea parte perſentiunt. Inæqualitas enim illa præter naturam ſuborta, naturalem incumbentium vaſorum, nervorum, membranarumque diſtributionem diſtorquet, adjacenteſque partes comprimit; adeo ut in hac corporis parte ob texturæ vitium, ſolidorum, ac fluidorum alterationes ab variis atmoſpheræ mutationibus excitatæ, non ſine moleſtia perſentiantur. Quantas turbas, atque mutationes in ſolidis, fluidiſque animalium partibus aeris, temporumque viciſſitudines inducere ſoleant, docet Hippocrates in aureo illo libro *de Aere, Locis, & Aquis;* uti & inter recentiores accuratiſſime de hac re diſſeruit clariſſimus Medicus Londinenſis *Joannes Arbuthnot in lib.* qui inſcribitur: *Specimen edfectuum aeris in corpore humano*; quem librum auctariis illuſtravit *Fortunatus de Felici.*

(12) POTERINT. Maxima eſt differentia, quæ inter fracturam incompletam

©BIU Santé

tam brachii, & fracturam incompletam cruris intercedit; ambo enim brachii ossa, cubitus scilicet in parte superiori cum osse humeri, radius in parte inferiori cum ossibus carpi, ita articulantur, ut conjunctim brachium sustentant: crus autem unum fere os tibiæ sustentat; ideo dixit Hippocrates, quod *hoc fracto, longe tardius progredi eo crure poterint*, quam si pro eo fibula fracta fuerit.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXII.

Tibiæ os externum fractum.

SI vero externum os fractum fuerit, & multo facilius ferunt (1), & multo melius occultare poſſunt, etiam ſi non bene fuerit coaptatum: eſt enim carnoſum (2), & cito in pedes conſiſtunt (3): plurimum enim oneris internum tibiæ os vehit. Nam ſimul & una cum ipſo crure, & oneris ſecundum crus rectitudine, majorem laboris partem internum os ſuffert: femoris enim caput ſupernam corporis partem ſuſtinet. Hoc autem intra crus eſt, & non extra, ſed ſecundum tibiæ rectitudinem: & ſimul reliqua dimidia corporis pars huic rectitudini magis appropinquat, & non externe, & ſimul craſſius eſt internum, quam externum (4), quemadmodum etiam id, quod in

(1) FERUNT. Si externum tantummodo os, quod fibula nominatur, fuerit fractum, multo minus eſt incommodum, quod ex hujus oſſis, quam ex tibiæ fractura, ægri percipiunt; quoniam integra tibia crus in naturali figuratione ſatis conſervat; atque ipſa ſola omne cruris onus poteſt ſuſtinere; quemadmodum ait *Heiſterus part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 10. *Quoties non niſi fibula, ſive ſura comminuta eſt, levius plerumque afficiuntur ægroti: uſque adeo, ut interdum ne ab inceſſu quidem penitus impediantur*: ideo Hippocrates dixit, quod ægri hoc os fractum *facilius ferunt*.

(2) CARNOSUM. In *cap.* 21. dixerat Hippocrates, quod tibia eſt os *conſpicuum*, *& carnis exors*; atque ibi *not.*(4) *&* (11) adnotavimus, quod hac de cauſa, quæcumque vel minima in tibia deformitas conſpicua fit; ex quo ab omnibus, Chirurgum in ea curatione deliquiſſe, facile judicatur. Fibula autem longum, ſed gracile eſt os, & in parte cruris externa locatum, ubi a pluribus, & craſſiſſimis muſculis tegitur, inter quos Gaſtrocnemius, Soleus, ſive Solaris, Tibialis anticus, Peronei, Longus extenſor digitorum, numerantur; adeo ut, excepta ejuſdem extremitate inferiori, tota fibulæ longitudo ſub his muſculis recondita deliteſcat, quemadmodum ait *Veſalius lib.* 1. *cap.* 31. *Cæterum ex univerſa fibulæ amplitudine, nulla ipſius pars nuda, excarniſve eſt, præter infimæ ipſius partis externum latus*; ideo jure optimo dixit Hippocrates, quod hoc os *carnoſum eſt*, & melius, quam tibia, occultari poterit, *etiamſi non bene fuerit coaptatum*.

(3) CONSISTUNT. Rationes, quare ii, qui fibulæ fracturam paſſi ſunt, cito in pedes (ut *not.*(1) hujus capitis obſervavimus) conſiſtere poſſint, nunc ex anatomicis Hippocrates affert.

(4) EXTERNUM. In hoc textu paucis, ſed accuratiſſime, ſitum, atque uſum tibiæ deſcribit Hippocrates: ait enim, quod tibia eſt majus os cruris; quod in ejus interna parte locatur; quod maximam oneris partem defert; quod femur cum tibia directe articulatur; quæ omnia efficiunt, ut fibulæ fractura

©BIU Santé

in cubito eſt ſecundum parvi digiti rectitudinem, tenuius eſt, & longius. In articulo tamen inferno non ſimilis eſt oſſis longioris conſtitutio: inæqualiter enim cubiti gibbus, ſive flexura, & poples, flectuntur (5). Propter has igitur cauſas, externo quidem oſſe fracto, celeres progreſſus fiunt, interno vero fracto, tardi.

ra facile ferri poſſit. Singula, quæ hic de oſſibus cruris ex anatomicis ſcripſit Hippocrates, ut & veriſſima, ſic etiam claris adeo verbis ſunt expoſita, ut a quocunque facile intelligantur; ideo ullam adjicere explicationem ſupervacaneum arbitror; alias, quæ appoſite ſcripſit *Galenus in lib. de Articul. comment.* 3. *text.* 49. poſſem repetere, ubi ait. *Qui ea, quæ adeo lucide ab Hippocrate deſcribuntur primo appulſu non intelligunt, monemus, ut iterum, & tertio, ſæpius attento animo legant, quod ſi fecerint hæc, ita aperte ab eo expoſita intelligent.* Si vero quis ne ita quidem intelliget, tunc idem Galenus ait, quod is *Non amplius explanationes, ſed potius ut hæc illi monſtrentur, indigeat.* Hippocrates enim, ut in *not.* (1) adnotavimus, hos libros de fracturis, & de Articulis pro illis ſcripſit, qui jam ſatis humani corporis fabricam didicerunt; hinc non alias anatomicas partium deſcriptiones in his libris dedit, præter eas, quas ad ſuarum ſententiarum rationes declarandas neceſſarium duxit exponere. Quod in Anatomicis ſatis inſtructus eſſe debeat is, qui hos Hippocratis libros intelligere voluerit, idem *Galenus* affirmat *comment.* 2. *text.* 17, ubi de oſſe calcanei diſſerens, ſic ait: *Illi vero committitur tendo, qui ortum habet a Muſculis poſterioris, ac carnoſæ partis tibiæ; & de his quoque in anatomicis tractationibus, ac in muſculorum diſſectione abunde locuti ſumus, quæ omnia prius didiciſſe eum, oportet, qui aſſequi voluerit, quæ ab Hippocrate hic tractantur.*

(5) FLECTUNTUR. Hucuſque Hippocrates de crure diſſerens, id ſemper brachio comparavit, quia ambæ iſtæ corporis partes ex duobus oſſibus, ſimili modo aliquatenus diſpoſitis, conſtant; nunc tamen maximas earum differentias in articulationibus commemorat. Superius autem dixit, quod externum cruris os, *quemadmodum etiam id, quod in cubito eſt ſecundum parvi digiti rectitudinem tenuius eſt, & longius.* Profecto tam fibula, quam cubitus ad externam partem, & ſecundum parvi digiti rectitudinem, locantur; nec non ambo hæc oſſa, altero illi oſſi, cui copulantur, comparata, tenuiora, atque etiam longiora ſunt. Hujus longitudinis exceſſus a longa oritur epiphyſi, qua ambo hæc oſſa in extremitatum altera donantur. Cubitus enim in ejus parte ſuperiori a proceſſu anconæo dicto, ſive olecrano; fibula vero in parte inferiori ab illo capitulo, quod malleolus externus nuncupatur, in longitudinem producuntur. Quamvis autem cum in brachio, tum in crure duo illa longiora oſſa, æque graciliora ſint, ſimilique directione, & modo diſtributa; ubi tamen articulantur eorum conſtructio ſummopere diſcrepat. Horum articulorum diſcrepantiam exponit Hippocrates, dum ait: *In articulo tamen inferno non ſimilis eſt oſſis longioris conſtitutio.* Nam cubitus in articulo inferiori radium adæquat, atque ita junctus, cum oſſibus carpi articulatur; fibula vero in ejus inferna parte, longius quam tibia, ſupra faciem externam aſtragali procedit; unde oſſium brachii, & cruris, *non ſimilis eſt in arti-*

©BIU Santé

articulo inferno ossis longioris constitutio. Neque minor est differentia, quæ inter constructionem flexuræ cubiti, & poplitis reperitur: in brachio enim cubitus, qui longius est os, sua cavitate sigmoidea, humeri extremitatem amplectitur, & per processum anconæum usque ad foveam posteriorem ossis humeri ascendit; in crure vero articulationem cum osse femoris fibula non attingit, sed externo tibiæ lateri suum capitulum adjungit; hinc dixit Hippocrates in hoc textu: *Inæqualiter enim cubiti gibbus, sive flexura, & poples flectuntur*. Animadvertendum hic est, quod cubiti gibbus apud Hippocratem idem significat, ac olecranon: *vid. Foesium Œconom. Hipp. pag.* 416. Horum ossium diversitates, eorumque varium in articulis contextum optime Hippocratem indigitasse, fatebitur quicunque in sceleti contemplatione versatus; neque ullus recentiorum Anatomicorum magis accuratam, completamque de his narrationem prodere potuisset: confer *Tab.* 44. *Eustachii*. Profecto egregios hos de fracturis, & de articulis libros edere non potuisset Hippocrates, nisi firmissimis super anatomicæ partium fabricæ fundamentis construxisset; atque fatendum est, veteres Medicos summa diligentia, & studio rem anatomicam coluisse. Omnino in Hippocratis scriptis subtilissimæ quædam anatomicæ descriptiones reperiuntur, quæ meliorem Anatomicum eum fuisse ostendunt, quam recentiores vulgo opinati sunt. Exemplo sit accuratissima descriptio, quam ipse tradidit de implicatissimo auditus organo, deque ejusdem membrana tympani, in libro *de Carnibus cap.* 8., ubi ait: *Foramina aurium ad os durum, & siccum lapidi simile pertingunt. Jam vero ad ipsum os est cavitas antrosa. Strepitus autem ad durum firmantur, os autem cavum resonat per durum. Pellicula vero in aure, juxta os durum tenuis est, velut aranei tela, & omnium pellicularum siccissima. Quod autem id, quod siccissimum est, maxime resonat, multa signa sunt.* Hunc Hippocratis textum perpendens *Vilhelmus Trillerus* in suis eruditissimis notis, quas adjecit ad illam *Isagogem Anatomicam*, quam ex Codice Græco in Latinam linguam converterat *Petrus Laurembergius*, sic ait: *Quum igitur subtilissima hæc membrana, inventu facilis non sit, quia in abstruso adyto, auri internæ est oppansa, ut Anatomicis notum, atque hinc acuta, & accurata diligentia, atque delicata, & suspensa manu, quæri, & inveniri debeat; hinc nemo non colligere liquido potest, studium anatomicum priscis Medicis longe diligentius olim excultum fuisse, ac quidam nostra tempestate Eruditi perperam opinantur, quod ex instituto refellere animus est, debita tamen cum modestia, in nostris ad Hippocratem Commentariis ad prelum fere paratis, si vitam, & otium indulserit amplius benignum Numen, cujus nutu humana pendent. Vid. not. Trilleri pag.* 121.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXIII.

Femoris brevius effecti dedecus. Quot diebus corroboretur.

AT vero si femoris os fractum fuerit, extensionem præ omnibus facere oportet, ita ut ne defectuosius fiat(1): amplior enim facta nihil læserit (2). Neque enim si quis distantia ex vehementia extensionis ossa deligaverit, fieri poterit, ut deligatio ipsa teneat, ut

(1) FIAT. Femur maximum est, & robustissimum totius corporis os. Utrinque unum, veluti validæ columnæ, hominis truncum sustentant. A pluribus hoc os, iisque longissimis; & crassissimis musculis est undique circumdatum; adeo ut, cum quia unicum est, atque solitarium hujus partis sustentaculum, tum quia musculi ad id pertingentes validissimi sunt, in ejus fractura, præ omnibus ceterorum ossium fracturis, fortior extensio requiratur. Si extensio per viros facta, quam Palestricam *Oribasius* nominavit, ut in *not.* 3. *cap.* 15. adnotavimus, non sufficerit; ad alios illos extendendi modos, Methodicos, & Organicos dictos, confugiendum est, de quibus abunde satis in *cap.* 15. *&* 16. dictum fuit. Hippocrates superius ubi generalem fracturarum curationem tradidit, ita monuit: *In puero enim vidi extenta magis, quam oportebat: verum plerique minus, quam oportet extenduntur.* Vid. quæ in hunc textum *not.*(22) *cap.* 4. adnotavimus. In femoris autem fractura hoc accidere plerumque solet; scilicet, quod minus, quam oportet extendatur; neque enim magis extendi contigerit, nisi id in tenero infante, vel gracillimo homine factum fuerit; quoniam, ut ossa in suam sedem restitui possint, omnem masculorum vim contractilem superare oportet; ut ait *Celsus lib.* 8. *cap.* 10. inquiens: *Ubi paulo longius, quam naturaliter esse debet membrum vis fecit, tum demum ossa manibus in suam sedem compellenda sunt*; quod non nisi multa, validaque adhibita vi poterit effici. Verum de Palestricis tantum, aut Methodicis extendendi modis hoc intelligendum est; de Organicis autem, quoniam horum vires in immensum intendi possunt, aliter sentiendum; quemadmodum monet *Celsus lib.* 8. *cap.* 20., ubi ait: *Etiamnum valentius intenditur membrum super scamnum, cui ab utraque parte axes sunt, ad quos habenæ illæ deligantur, qui ut in torcularibus conversi, rumpere quoque, si quis perseveraverit, non solum extendere nervos, & musculos possunt*; atque ideo in horum instrumentorum usu summa Chirurgi prudentia requiritur, ut non his sinat amplius extendi, nisi usque dum *paulo longius, quam naturaliter esse debet, membrum vis fecit.* Mala, quæ ex nimia extensione sequi solent *not.*(21) *cap.* 4. observavimus.

(2) LÆSERIT. Res maximi momenti est, femoris ossa fracta in naturalem figurationem restituere; nam si hæc ossa unum super aliud elata minus, quam oportet extendantur, crus altero brevius remanebit; atque homo quoad vivet, claudicabit. Ne igitur Chirurgi in hujusmodi fracturis deficerent; eisque, ad extendendum satis valida vi, animum adjiceret, dixit etiam, quod extensio *amplior facta nihil læserit.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 190 sur 355

©BIU Santé

ut ita diſtent(3): ſed coeunt inter ſe oſſa quam citiſſime, ubi intendentes ipſa remiſerunt(4). Craſſiſſimæ enim, ac fortiſſimæ quum ſint hac parte carnes, deligationem ſuperabunt, non ab ipſa ſuperabuntur(5): magnum enim dedecus eſt, ac detrimentum, femur brevius efficere(6). Nam ſi quidem manus brevior fiat, & occultari poterit, & non magnus eſt error: at crus ſi brevius fiat, claudum hominem efficiet: ſanum enim crus longius eſt, & id redarguit(7). Quare utilius fuerit, ut ſi quis male curandus ſit, ambo potius crura fracta habeat, quam alterum tantum: æquilibris enim ipſe ſibi ipſi fuerit hoc modo(8). Poſtquam vero ſufficienter extenderis, directione, ac coa-

(3) DISTENT. Dixerat Hippocrates in *cap.* 16. ubi de oſſium pedis luxatione egit: *Vbi vero repoſueris, ſi quidem fieri poterit, extentum ita deligabis; ſi vero præ loris impediaris, his exſolutis diſtentionem facias, donec deligaveris.* Ne ergo quis in deligatione fracturæ oſſis femoris quidquam de illa ampliori extenſione remitteret, verens ne oſſa diſtantia deligando, membrum juſto longius remaneat, & claudicatio conſequatur, ideo Hippocrates modo aſſeverat, quod *Neque ſi quis diſtantia ex vehementia extenſionis oſſa deligaverit, fieri poterit, ut deligatio ipſa teneat, ut ita diſtent.*

(4) REMISERUNT. Femur in ampliori extenſione, atque diſtantibus oſſibus deligatum, ubi, qui intendunt, remiſerunt, muſculorum contractione ad naturalem longitudinem quam citiſſime revertitur, atque tum oſſa fracta unum in alterum concurrent, atque coibunt.

(5) SUPERABUNTUR. Ratio hæc eſt, quare ubi intendentes remiſerunt, oſſa diſtantia quam citiſſime coeunt; ſcilicet, quia craſſiſſimæ, ac fortiſſimæ carnes, ſive muſculi, qui in hoc membro ſunt, eorum naturali contractilitate deligationem ſuperabunt; neque fieri quidem unquam poterit, ut vis contractionis muſculorum a deligatione ſuperetur, membrumque plus naturali extentum, oſſaque diſtantia remaneant.

(6) EFFICERE. Strenue inculcat Hippocrates, ut omnem artem, omnemque diligentiam adhibeat Chirurgus, ne femur fractum brevius remaneat: commemorat enim, quod id dedecus erit, & detrimentum. Dedecus nempe Chirurgo, qui male actæ curationis ignominiam ſubibit; detrimentum ægroto, qui in poſterum perpetuo claudicabit, atque ad plurimas res libere agendas impotens evadet.

(7) REDARGUIT. Oſſium brachii defectus occultari poſſunt, minime vero crurum; & claudicatio res perſpicua omnibus eſt, quippe eam ſanum crus redarguit: de qua *not.* (4) *cap.* 21. ſatis diſſeruimus.

(8) HOC MODO. Tanti æſtimandam eſſe claudicationem putavit, adeoque eam abhorruit Hippocrates, ut per hyperbolem, illi, qui male curandus fuerit, ominatus ſit, ut ambo potius crura fracta habeat, quam alterum tantum; quia tunc forſan æqualiter in utramque partem inſiſteret, liberiuſque poſſet incedere. Hanc Hippocratis ſententiam confirmare poſſe videtur hiſtoria, quam refert *Schenkius lib.* 5. *Titul. de Pede Obſervat* 4. ubi ait: *Nicolaus Architectus, cum de eminenti turri præ-*

©BIU Santé

coaptatione per manuum volas facta, eodem modo deligare oportet, velut etiam prius ſcriptum eſt, injectis etiam faſciarum initiis, velut dictum eſt, & deligationis diſtributione ſurſum verſus facta; & deligatus eadem reſpondeat, velut etiam prius: & doleat eodem modo, & melius habeat, & ſimiliter rurſus deligetur (9), & ferularum appoſitio eadem ſit (10). Corroboratur autem femur in quinquaginta (11) diebus.

præceps ruiſſet, tantum abfuit, ut ex tam ingenti caſu incommodum aliquod reportarit, ut, cum antea altero claudicaret pede, recte deinceps obambulaverit. Huic forſan Architecto longius crus fractum, ac male curatum, fuit; ex quo brevius remanſerit, alterique æquale; adeo ut *æquilibris ipſe ſibi ipſi fuerit hoc modo*, ut ait Hippocrates.

(9) DELIGETUR. Omnia, de coaptatione oſſium per manuum volas, de injiciendarum faſciarum modo, deque earum deligatione, & ſolutione, aliiſque de rebus, primis diebus agendis, quæ in hoc textu ab Hippocrate indigitantur, apertiſſima, notiſſimaque eſſe illi debent, qui legerit, atque in memoria habuerit ſingula præcepta, quæ generaliter pro fracturis curandis in *cap.* 5. *&* 6. tradita ſunt; atque ideo dixit Hippocrates: *Eodem modo deligare oportet, velut etiam prius ſcriptum eſt.*

(10) EADEM SIT. De ferularum appoſitione, vid. quæ *not.* (52)(53) *cap.* 5. *&* *not.* (8) *cap.* 20. adnotavimus.

(11) QUINQUAGINTA DIEBUS. Quoniam eſt femur os majus oſſibus brachii, & cruris; ideo ad ejuſdem conſolidationem major dierum numerus, quam in illis minoribus oſſibus, requiritur; ſi ergo illa minora oſſa, alia non ante trigeſimum diem, ut cubitus, alia non ante quadrageſimum, ut humerus, & tibia conſervent; femoris os, quod illis craſſius eſt, plus adhuc temporis exiget; ideo ante quinquageſimum diem nequit corroborari. Addenda hic tamen quoque ſunt ea, quæ in *not.* (13) (14) *cap.* 6. adnotavimus; ubi Hippocrates dixit: *Certum tamen nihil eſt, nam & natura a natura, & ætas ab ætate valde differt.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 192 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XXIV.

Femur magis gibbosum ad partem externam.

INsuper vero & hoc considerare oportet, quod femur gibbosum magis est ad externam partem, quam ad internam, & magis ad anteriorem, quam posteriorem (1). In has itaque partes etiam distorquetur, si non probe curetur (2): & sane iisdem partibus etiam ipse se

(1) POSTERIOREM. Magni Chirurgnm interest, structuram, atque figuram ossis femoris probe novisse, ut ejusdem fracturæ curatio institui optime possit: plurimæ enim, salebrosissimæque difficultates in variis hujus ossis fracturis occurrere solent, quæ in ejus contemplatione apud sceletum non multum versato, erunt insuperabiles; atque inde magnum dedecus Chirurgo, detrimentum ægroto posset evenire, ut *not.(6) cap.* 23. adnotavimus. Profecto in osse femoris duo hæc præ aliis animadvertenda maxime sunt; ejus nimirum corporis, sive diaphysis, gibbositas, & extremitatis superioris, sive capitis, singularis structura, unde est femur *gibbosum magis ad externam partem, quam ad internam; & magis ad anteriorem, quam posteriorem*; quod probe noverat, atque perpenderat Hippocrates; nam paucis, sed satis perspicue, id etiam adnotavit in libro *de Ossium Natura*, ubi scripsit: *Ipsum autem femur, & in anteriori parte curvum est*. Hæc femoris gibbositas, præ aliis artuum ossibus, adeo conspicua est, ut *Galenus lib.* 3. *de Usu Partium*, dixerit: *Cuipiam negligenter expendenti videri poterit figura femoris admodum vitiosa esse; quippe quod curvum priore, & externa parte, resimum vero partibus his contrariis factum est*; cujus curvaturæ elegantissimas rationes ibi refert Galenus. Prima igitur hujus ossis gibbositas, oritur a singulari structura ejus superioris extremitatis; nam duas inter apophyses, Trochanteres nominatas, portio illa oritur, collum, & caput femoris dicta, quæ non in rectum, ut in plerisque aliis ossibus, sed deflexa ad angulum aliquatenus obtusum, procedit. In hominibus adultis duos transversos digitos in anteriori parte, tres in posteriori, hoc femoris collum adæquat; proinde femur tantundem in hac parte a rectitudine recedit. Hanc femoris deflexionem ita describit *Vesalius lib.* 1. *cap.* 20. *Præterea femoris ductus, non recto tramite a coxendicis ossis acetabulo deorsum tenditur: sed femoris cervix a capite ipsius valde extrorsum oblique, & quasi transversim fertur, & hinc femur rursus reliquo ipsius corpore oblique versus interiora ad genu descendens procedit*. Altera autem gibbositas ab ejusdem diaphysi oritur, quæ est veluti columna cylindrica in partem anteriorem notabiliter arcuata; adeo ut, quemadmodum dixit Hippocrates, sic pariter *Galenus in libro de Ossibus ad tyrones cap.* 21. scripserit: *Totius autem femoris forma anteriore in parte, exterioreque gibba: in posteriore, interioreque sima est*.

(2) CURETUR. Monuit Hippocrates in *cap.* 9. ubi de offis humeri fractura egit, quod illud os ad externam partem

©BIU Santé

se ipso magis excarnis est, ut neque occultari possit in distortione (3). Si igitur hujusmodi quippiam suspectum habueris, machinari ea oportet, quæ in brachio distorto consuluimus (4). Pauca insuper (5) lintea tem incurvatum est, & distorqueri solet, si non bene curetur; atque etiam ibi hoc præceptum generale edidit, inquiens: *Sed & alia omnia ossa, quæ a natura ad hanc partem distorta sunt, etiam dum curantur, ubi fracta sint, distorqueri solent*; ideo *not.*(5) (6) (7) adnotavimus, quod, cum propter naturalem hujusmodi ossium incurvationem, tum propter peculiares musculorum insertiones hæc ossa in eas partes distorqueri solent; quæ omnia & ad hunc quoque textum debent transferri.

(3) DISTORTIONE. Os femoris a multis crassissimisque musculis est undique circumdatum, atque occultatum; sed circa superiorem extremitatem, & faciem anteriorem, minus carnosum est; adeo ut si aliqua distortio in his partibus remanserit, non poterit occultari. Pars enim superior, ejusque speciatim major Trochanter, qui sub ipsis tegumentis prostare videtur, tantummodo a latere anteriori musculi Glutei majoris, & a fasciæ latæ portione musculari aliquatenus tegitur. Anteriorem autem femoris partem duo duntaxat musculi contegunt, Rectus scilicet, qui musculus planus est, unde Gracilis anterioris nomine etiam salutatur, & Cruralis, qui convexam, sive anteriorem ossis femoris partem amplectitur; reliquæ vero femoris partes a pluribus, crassioribusque musculis undique occultantur; hinc Hippocrates dixit, quod in his duabus partibus *magis excarnis est, ut neque occultari possit in distortione*.

(4) CONSULUIMUS. In ossis femoris fractura æque omnia illa agere debemus, quæ in generali fracturarum curatione docuit Hippocrates; sed animadvertendum quoque est, quod sicuti hoc os majus est, atque crassius reliquis corporis ossibus, amplioribusque musculis donatur, ita ejusdem fractura non sine multa, majoreque vi, quam in aliis fracturis, extendi, ac coaptari poterit; atque etiam pro ejus deligatione, longiores, latioresque fasciæ requiruntur: vid. quæ *not.* (1) *cap.* 19. adnotavimus. Sed præter hæc, alia insuper peculiariter ob ejus structuram sunt consideranda; si enim fractura infra trochanteres, in ejus scilicet diaphysi, contigerit, cavere tunc oportet, ne os ad anteriorem partem distorqueatur, nam *si non probe curetur*, in hanc partem distorqueri solet, uti superius Hippocrates monuit. Hæc ad anteriorem partem distortio proclivior erit in fractura obliqua, quam in transversa. Os enim hoc transversim fractum, ubi in suam sedem fuerit restitutum, quoniam altera tunc fracturæ facies alteri insistit, mutuoque fulciuntur, non facile solet excidere, atque sine multis difficultatibus in ea figuratione retinetur. Quum vero oblique frangitur, hoc opus, hic labor est; nam quamvis satis distentum probeque fuerit femur coaptatum, attamen, nisi optima deligatione, opportunisque cautionibus fragmenta in sua sede coerceantur, a valida musculorum contractione inferior fracturæ pars sursum trahi solet, atque crus iterum brevius evadere. Obliqua ossis femoris fractura adeo difficilis curationis esse solet, ut plurimi Auctores tradiderint, quod omnem fracturam femoris semper claudicatio consequatur; ut *Celsus lib.*8. *cap.*10. inquiens: *Neque tamen ignorari oportet, si femur fractum est, fieri brevius: quia nunquam in antiquum statum revertitur, sum-*

mis-

©BIU Santé

miſque digitis poſtea cruris ejus inſiſti. Sed multa tum femori debilitas eſt, ubi fortunæ negligentia quoque acceſſit. Hoc non eſſe perpetuo verum, cum experientia, tum Hippocratis auctoritas evincunt; atque hoc Celſi prognoſticon ſatis confutavit *Tagaultius lib.4. cap.2. de Inſtitut. Chirurg.* Celſi tamen ſententiam alii poſtea Auctores, non modo ex Veteribus, ut *Avicenna*, aliique, verum etiam ex recentioribus ſequuti ſunt veluti *Platnerus*, qui §.1272. ita ſcripſit: *Nec ignorari oportet, medium femur, maxime ſi illud obliquum fractum eſt, brevius fieri, quia id plenioribus, & validioribus muſculis adducitur.* Ne igitur femoris fractura in anteriorem partem diſtorqueatur, *machinari ea oportet, quæ in brachio diſtorto conſuluimus*, ait Hippocrates. Ibi enim pro illius partis figura, & ſitu, rationes docuit, quibus oſſis incurvatio prohiberi poſſet; atque addidit, quod cavere etiam oportet, ne nimis ad oppoſitam partem vergat: *vid. not.* (8) (9) (10) *cap.9.* Quod ergo in ejuſmodi fractura ſummopere cavere debemus, eſt ejus incurvatio ad anteriorem partem. *Petitns*, *Col de Vilars*, aliique, femoris fracturæ craſſiores chartas deligabant, lectulumque ſtramineum ſubjiciebant; quod aliquos etiam ſui temporis Chirurgos conſueviſſe, ait *Paræus lib.14. cap.20.* Sed hæc ſuſtentacula, pro femoris robore, nimis imbecillia ſunt, & ejuſmodi deligationes, atque fulcimenta a muſculorum contractione certo ſuperabuntur. Huic fracturæ ferulas adhibere præcipit Hippocrates in *cap.* 23., ideo in harum optima, appoſitaque collocatione omnis bonæ curationis ſpes erit. Quoniam autem dixerat Hippocrates: *Craſſiſſimam autem ferulam eſſe oportet, qua parte extat fractura*, ut *not.* (2) *cap. 6.* adnotavimus; ideo in anteriori femoris parte, qua fractura extare ſolet, ſatis valida ferula adhibenda eſt; nec non in exteriori parte craſſa alia ferula, & a coxa uſque ad pedem protenſa, apponenda eſt, quæ os in ſua ſede retineat, atque totum crus firmum, atque extenſum cogat: duo vero aliæ, vel tres ferulæ circumponi etiam poſſunt, quibus os undique fulciatur. Majorem quoque ferularum numerum nonnullos ad femoris fracturas adhibere conſueviſſe ait *Guido a Cauliaco Tract. 5. Doctrin. 1. cap.7.*, ubi etiam barbarum *Albucaſſis* femur fractum deligandi modum damnat, inquiens: *Etiam præcipiunt, ut ligetur fortius, & haſtelletur cum ſex, vel ſeptem haſtellis: quarum exteriores volebat Guilelmus eſſe longiores, & fortiores, licet ſecundum Albucaſſim ſufficeret cum tribus, quia crus loco haſtellarum præcipiebatur ligari cum coxa, ut calcaneus perveniret ad nates, quod mihi non placet.* Harum ferularum longitudo, (majore illa excepta, quæ uſque ad pedem ducitur) non debet articulos genu, neque inguinis, pertingere; iiſque cautionibus, ac proviſionibus adhibendæ etiam ſunt, quemadmodum in *cap.5.* docuit Hippocrates. Quod in anteriori, & exteriori femoris parte validioribus ferulis opus ſit, ita docet *Guilelmus de Saliceto Chirurg. lib.3.cap.12.* ubi ait, quod femur fractum, *inclinatur ad partem ſuperiorem, & ad partem ſylveſtrem & iſtud non fallit. Quare conveniens eſt, ut haſtellæ ſuperiores, & exteriores, ſint groſſiores, & latiores, ac fortiores aliis.* Si ergo, uti propoſuimus, ferulæ apponentur, atque faſciarum deligationes inſtituerimus, ſpleniiſque membri inæqualitates æquaverimus, ceteraque omnia probe effecerimus, ut in curatione generatim fracturarum docuit Hippocrates, ſperandum tunc erit, quod quamvis fractura fuerit oblique facta, non ad anteriorem partem deflexum, ſed in naturali figuratione femur remaneat.

(5) INSUPER. Altera pars, ad quam femur gibboſum eſt, & in quam diſtorqueri ſolet, ſi non bene curetur, eſt

©BIU Santé

eſt ejus pars externa; dixerat enim paulo ante Hippocrates; *Conſiderare oportet, quod femur gibboſum magis eſt ad externam partem, quam ad internam, & magis ad anteriorem, quam poſteriorem. In has itaque partes etiam diſtorquetur.* Ejus diſtortionem ad anteriorem partem, quæ ex fractura infra trochanteres, ſpeciatim obliqua, accidere ſolet, jam in nota præcedenti adnotavimus; nunc vero ejuſdem perpendemus diſtortionem ad externam partem, quæ ex fractura ſupra trochanteres, in collo ſcilicet capitis femoris, ſuboritur, ut idem hic Hippocratis textus indicare videtur. Jam ſupra obſervavimus, quod multum artis, multumque diligentiæ exigit femoris fractura obliqua; & comperimus, quod, ut membrum in naturali figuratione, & longitudine reſtituatur, efficere poſſumus. At fractura colli capitis femoris omnem plerumque Chirurgi artem fruſtratur, atque diligentiam; & id membrum fere ſemper ad externam partem diſtortum, atque brevius ſolet remanere. Omnino ad hujuſmodi fracturam illud *Celſi* prognoſticon congruit, ubi dixit; *Neque tamen ignorari oportet, ſi femur fractum eſt, fieri brevius: quia nunquam in antiquum ſtatum revertitur, ſummiſque digitis poſtea cruris ejus inſiſti.* Atque etiam huc non iniuria illud Hippocratis effatum referri poſſet, quod *cap.* 39. protulit, ut in ancipiti, & adeo miſero caſu ſuæ famæ Chirurgus conſuleret, inquiens; *Maxime vero talia fugere oportet; ſi modo quis honeſtam fugam habeat; nam & ſpes paucæ ſunt, & pericula multa.* Duas eſſe arbitror rationes, quæ adeo difficilem colli femoris curationem reddunt; altera eſt hujus partis obliqua directio; altera muſculorum circa eam inſertiones, ac quantitas. Collum enim capitis femoris, quum ab oſſis corpore ad caput, quod in coxæ acetabulo reconditum eſt, oblique feratur; atque, ut ait *Winſlowius Tractat. de Oſſibus Sicc.* §. 745. *In quibuſdam ſubjectis ſitum fere tranſverſum obtineat*; quoties frangitur, ob hanc ejus obliquam directionem, nequeunt una alteri fractæ extremitates, ut in oſſibus in rectum diſpoſitis, mutuo inſiſtere, ſed inferior pars a muſculorum contractione ſurſum tracta, ſemper a ſuperiori recedit, atque ſupra articulationem effertur. Ad hanc oſſis obliquitatem, accedit ingens illa muſculorum craſſities, atque quantitas, quæ prope inferiorem colli partem inſeritur; tres enim illi craſſiſſimi muſculi, Glutæi dicti, Maximus ſcilicet, Medius, & Minimus, quorum maximus infra trocanterem majorem, alii vero duo in ipſo trochantere majori inſeruntur, nec non Pſoas magnus, & Iliacus, qui in trochantere minori deſinunt, ubi femoris collum fractum eſt, eorum ſumma contractione trochanteres ſurſum, atque aliquatenus retrorſum trahunt, ex quo femur aſcendit; unde crus brevius; pes autem, ob trochanteres retrorſum ab his muſculis detractos, ad externam partem deflectitur, quam deflexionem ulterius etiam muſculorum Pyriformis, Gemellorum, Obturatoris interni, & Quadrati actio promovet. Ab aliis etiam & femori, & tibiæ inſervientibus muſculis hæc decurtatio augetur; unde maxima eſt vis, qua ſurſum colli capitis femoris fractura trahitur. Cavendum quoque maxime eſt, ne ab hujuſmodi fractura decipiamur; veluti quamplurimi cum veteres, tum recentiores Chirurgi, etiam præſtantiſſimi, decepti fuere, qui colli capitis femoris fracturam pro femoris luxatione curarunt. *Colli femoris fractura non debet confundi cum luxatione hujus oſſis; qui error communis, hodie detectus, multa hactenus damna intulit, dixit Junckerus tab.* 63. *cap.* 21. In hunc errorem ſe incidiſſe fatetur *Paræus lib.* 14. *cap.* 21. ubi narrat, quod in honeſta Matrona hanc fra-

©BIU Santé

fracturam, ab ſignorum analogiſmo deceptus, luxationem eſſe judicaverit; *Itaque*, ait, *reliqua feci, quæ in luxationibus fieri ſolent. Poſtridie ſecundo inviſi, graviter dolentem comperi, crus partis affectæ brevius, pedem intro contortum animadverti. Tum deligationes omnes reſolvi, atque prominentiam, qualem antea, conſpexi. Conatus itaque ſum caput oſſis rurſum, ut primo feceram, compellere. Sed id dum conor, ipſius ſtrepitum ſubaudio, ſimulque cavitatem, ſeu depreſſionem nullam in junctura ſubeſſe conſidero, ex quibus fractum eſſe os, non luxatum, certo mihi perſuadeo.* Hanc Paræi ingenuam, glorioſamque ſui erroris confeſſionem, ſummis laudibus effert *Petitus Tom. 2. des Malad des os Chapitr.* 11. inquiens *Ambroiſe Paré s' y étant trompè, rapporte ſon erreur, avec toute la ſincerité poſſible; ſincerité rare au ſiecle ou nous ſommes, & qui, depuis Hippocrate n' a preſque point eu d' exemple.* Poſt hunc Paræi caſum, ejuſmodi fracturam a luxatione, accuratiſſimis obſervationibus, atque cadaverum ſectionibus diſcernere fategerunt quamplurimi celeberrimi viri, ut *Hildanus*, *Saltzmannus*, *Morgagnus*, aliique, qui hanc fracturæ ſpeciem hiſtoriis, atque diſſertationibus illuſtrarunt. Hæc calamitoſa fractura frequenter accidit, quia pars iſta femoris, præter obliquam directionem, ſubſtantia inſuper ſpongioſa, & reliquis oſſis femoris partibus magis friabili donatur: ideo quilibet Chirurgus probe inſtructus oportet ſit, ut conſulto enunciare prognoſim poſſit, ſuæque famæ conſulere; atque etiam, ut curationem probe inſtituat; nam ut ait *Celſus*, plus adhuc deformitatis, atque debilitatis in hac parte remanebit, *ubi fortunæ, negligentia quoque acceſſit*. Si enim negligenter hanc fracturam curáverimus, multo adhuc brevius, ac debilius id crus evadet, neque ſine multa difficultate, atque labore traduci poterit: ſic vetulam vidi, cui, ob talem fracturam negligenter curatam, oſſa non coaluerant, ſed femur ſurſum tractum, una cum genu deflexo, pendulum gerebat; adeo ut id crus altero eſſet longe brevius; neque eo, ob debilitatem, atque dolorem, uti unquam potuerit; proinde per duos annos, quos poſtea vixit, fulcimentis alaribus, & altero crure integro ſuffulta, per cubiculum tantummodo gradiebatur. Facile fuiſſet præfatam hujus vetulæ fracturam pro luxatione accipere; nam oſſis femoris extremitas ſuperior ſurſum tracta, ac ab articulatione ſoluta, & trochanter major ſub muſculis extuberans, femoris caput ab iſchii acetabulo prolapſum, videri poterant; atque in hunc errorem, ni ſumma perſpicacia, atque experientia inſtructus ad id fracturæ genus examinandum quis acceſſerit, facile incidet. Præſtantiſſimos etiam illos veteres Medicos, quos Græcia omnium artium ſplendidiſſima Mater protulit, non omnes hanc fracturam ſatis cognoviſſe cernimus; uti conſtat ex eo fragmento *Apollonii Citenſis*, quod *Antonius Cocchi* ex clariſſimæ bibliothecæ Mediceæ Græco codice vetuſtiſſimo tranſcripſit, atque una cum interpretatione Latina adjecit ad calcem ejus a ſe editi libelli, cujus titulus eſt; *Diſcorſo dell' Anatomia*. ibi enim apparet, quod *Herophilus*, ejuſque aſſeclæ, capitis femoris luxationem nullam curationem admittere ſtatuerunt, poſtquam tales luxationes a ſe repoſitas, nunquam in ſua ſede permanere, ſed ſemper iterum prolabi obſervaverunt; hujus rei rationem eſſe crediderunt, quod, ſemel rupto in femoris luxatione tereti illo ligamento, quod caput femoris acetabuli coxæ fundo alligat, nequeat deinceps in ſuo acetabulo perſiſtere, quoniam id ligamentum nunquam poſtea coaleſcit, atque ideo iterum excidere ſemper debeat, inutiliſque omnis reddatur curatio: quam ſen-

©BIU Santé

ſententiam *Appollonius* refutat. Propria verba, quæ *e lib.* 3. *Apollonii Citenſis de Articulis* in lucem primus edidit, atque e Græco in latinum tranſtulit *Cocchius*, hæc ſunt. *Equidem admiror de Herophileis per celebratam anatomen amplexantibus, maxime vero de ipſorum duce. Is enim libro de Cauſſis, de femore prolapſo ſic memoravit, hæc, quæ ſubjiciuntur dilucide exponens.* „ *Quamobrem* „ *autem non aggrediuntur quærere alium* „ *quemdam reponendi capitis femoris mo-* „ *dum præter eos, qui nunc fruſtra ſunt,* „ *quo cum id exciderit repoſitum maneat?* „ *Qui doctrinam ab eodem uſu duntaxat* „ *mutuantur, videntes ſimilitudine qua-* „ *dam reponi, & permanere maxillam,* „ *& humeri caput, & præterea cubitum,* „ *& genu, & digitorum quemcumque,* „ *& pleroſque fere, qui excidere ſolent,* „ *articulos, cum nullam ipſi rationem* „ *excogitare valeant, cur hic unus prola-* „ *pſus & repoſitus nequeat perſiſtere, id* „ *quod factum ſæpe fuit in aliis adhiben-* „ *tes, veriſimili quodam argumento addu-* „ *cuntur, ut reputent, an ullus unquam* „ *eſſe poſſit melior articuli reponendi mo-* „ *dus, quo is contineatur, non alter ac de* „ *cæteris plerunque ſolet evenire. Verum* „ *ſi adimadvertiſſent ex anatome, cauſſam,* „ *qua id fiat, nervum nempe e capite* „ *femoris exoriri, qui in medium coxæ* „ *ſinum inſeritur, quo quidem nervo per-* „ *ſtante femur excidere non poteſt, divul-* „ *ſus vero ſi is nervus fuerit, conglutina-* „ *ri nequit, & ſine ea conglutinatione,* „ *ut contineatur ſuo loco articulus pariter* „ *fieri non poteſt, hinc cauſſa manifeſtiſſi-* „ *me patuiſſet, quare abſtinere omnino ſe* „ *Medicus debeat a reponendo femore pro-* „ *lapſo, neque inceptare facinus, quod* „ *perfici neutiquam poſſit.* „ *In hiſce non ſolum Dux aberravit, ſed & eos, qui Medicinæ dant operam diverſos egit, & Hippocratis dicta nequaquam eſt aſſecutus, & ſimul a rebus minime cum propoſito congruentibus argumentationem ineptiorem conſtituit. Sed ne multa ſcribamus, & &c.* Hanc *Herophili* ſententiam de femoris lapſu, & de inutilitate Machinamentorum ad id reponendum, ex non bene intellecta colli capitis femoris fractura proveniſſe cenſet eruditiſſimus *Cocchi* in ſuis adnotationibus; atque primum Medicum, qui de hac femoris reſtitutione ſcrupulum injecit, *Cteſiam Gnidium* fuiſſe ait *Galenus comment.* 4. *de Articul. text.* 42. inquiens; *Damnarunt Hippocratem articulum ad coxam reſtituere tentantem, quum ſit rurſus relapſurus; primus quidem Cteſias Gnidius ejus cognatus; nam & ipſe ex genere Aſclepiadarum fuit, ac poſt Cteſiam alii quidem.* Sed contra hanc tantorum Auctorum ſententiam, qui immedicabile malum femoris luxationem reputarunt, aliorum æque graviſſimorum Medicorum auctoritatem, atque teſtimonia objicit *Cornelius Celſus lib.* 8. *cap.* 20. ubi ait; *Magnum autem femori periculum eſt, ne vel difficulter reponatur, vel repoſitum rurſum excidat. Quidam iterum ſemper excidere contendunt, ſed Hippocrates, & Diocles, & Philotimus, & Nileus, & Heraclides Tarentinus, clari admodum auctores, ex toto ſe reſtituiſſe memoriæ prodiderunt. Neque tot genera machinamentorum quoque ad extendendum in hoc caſu femur Hippocrates, Andreas, Nileus, Nymphodorus, Protarchus, Heraclides, Faber quoque quidam repperiſſent, ſi id fruſtra eſſet. Sed ut hæc falſa opinio eſt, ſic illud verum eſt.* Ex his igitur omnibus clariſſime apparet, quod vetuſtiſſimis, celeberrimiſque aliquibus Chirurgis non minus, quam recentioribus hæc colli capitis femoris fractura ſæpiſſime impoſuit; atque poſteaquam luxationem ſe reſtituiſſe crediderant, ſemperque iterum excidere obſervarunt, femur e coxa divulſum nunquam amplius reſtituendum eſſe ſtatuerunt; uti ex præfato *Apollonii Citenſis* textu apparet, qui ait, quod *abſtinere omnino ſe medicus debeat a reponendo femore prolapſo, neque inceptare facinus, quod perfici neutiquam*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 198 sur 355

©BIU Santé

tea circa coxam, & locum inter coxas, & lumbos, circumdare oportet (6); quo & inguina, & articulus circa intermediam crurum, ac

poſſit. Ex eo tamen quamplurimos erraſſe credimus, quod fractura in collo femoris ab externo impetu ſæpe, luxatio econtra accidere perraro ſolet; quare vel in chirurgicis exercitatiſſimi Profeſſores veram femoris luxationem ſe nunquam vidiſſe teſtati ſunt. Hinc eſt, quod in alterum oppoſitum errorem aliquos incidiſſe videmus, qui a cauſa externa femoris luxationem fieri nunquam poſſe contendunt; ſed a cauſa tantummodo interna, ab illa ſcilicet, quam deſcribit *Hippocrates Aphor.* 59. *ſect.* 6. ubi ait. *Quibus longo coxendicum dolore conflictatis femoris ſummum coxa excidit, rurſumque recidit, iis mucoſa ibidem pituita colligitur*. Verum quamvis hujus oſſis luxatio a vi externa rariſſime fiat, quia femoris caput alte in cavitate cotiloidea coxæ reconditum eſt, ibique validiſſimis revinctum eſt ligamentis, faciliuſque colli ejus fractura accidat; datur tamen & luxatio hæc, uti mihi ipſi certo videre ſemel contigit, atque ut ex accuratiſſimis obſervationibus a *Walthero*, *Platnero*, aliiſque *in Actis Medicis Berolinenſibus* recenſitis, confirmatur: de qua luxatione *in libro de Articulis* latiſſimus nobis erit differendi locus. Ut hæc fractura a luxatione diſtinguatur, animadvertere oportet, quod in fractura, præter decurtationem cruris, & perverſionem naturalis figuræ, femur huc, & illuc converti facile poteſt, & in ejus motu aliquis ſemper ſtrepitus, ſive fragor perſentitur; quod ſecus in luxatione accidit; ſic *Platnerus* §. 1197. ait; *Inter certiora vero ſigna eſt, ſi, levato dolore, ſolutaque inflammatione, pes ſine magno negotio, & extra, & intus, converti, atque inclinari poteſt. Nam hoc oſſe facto, fieri poteſt, non vero, ſi ad integrum ex ſinu ſuo excidit*. Accidere etiam quandoque poteſt, ut collum femoris ab apophyſi, ſive capite femoris evellatur, abſque fractura, ſed ſola deglutinatione illius ſubſtantiæ cartilagineæ, quæ illud connectit; ut oſtendit *Winſlowius in Tract. de Oſſibus ſiccis* §. 744. inquiens; *Caput hoc in juventute epiphyſis eſt, & quandoque in ætate admodum adulta talis reperitur, ita ut vi ſeparari, aut decollari poſſit*. Verum rariſſime hoc, & fere nunquam, niſi in infantibus, vel pueris accidere ſolet, in quibus etiam trochanteris majoris evulſio fieri poteſt, quoniam in ea ætate veræ epiphyſes adhuc eſſe reperiuntur. Ceterum quoad curationem, eadem agenda ſunt, quæ pro colli capitis femoris fractura requiruntur; ſic enim ait *Petitus Tom.* 2. *Chapitr.* 12. *Apres tout il ne ſert pas beaucoup pour la gueriſon de deſtinguer le decollement de l' epiphiſe, d' avec la fracture du Col; puiſque l' operation eſt la même, & que les moyenes de maintenir les os, quand ils ſont reduit, ne different point*. Plurimas ex *Realdo Columbo*, *Poupartio*, aliiſque de epiphyſium evulſione obſervationes collegit *Morgagnus lib. de Cauſ. Morb. per Anat. indag. Epiſtol.* 56. *num.* 34.

(6) OPORTET. Fracturam colli capitis femoris veteres Medicos non ſatis noviſſe vidimus nota præcedenti: Hippocratem vero, quamvis in hoc textu apertis eam verbis non nominet, ex curatione tamen, quam modo tradit, probe ipſam perſpexiſſe apparet: jubet enim *lintea circa coxam, & locum inter coxam, & lumbos circumdare*; quem locum inter coxas, & lumbos, *Ilia* interpretatur *Galenus*; quod quidem extremitatis ſuperioris femoris fracturæ convenit; nam

©BIU Santé

ac inguinum partem, plechada appellatam, insuper deligetur (7): nam & alias nam alias, si femur circa medium, vel inferiorem ejus partem fractum fuerit, nullius usus ea lintea essent inter coxas circumdata, & lumbos. Apertissimis verbis hoc ostendit *Galenus comment. 2. text. 70.*, ubi ait; *Quod vero ad rem nobis in præsentia propositam utile esse potest, hoc est, ut scjamus, quod quum superior pars femoris fracta est, non modo ad inguina deligatio progredi debet; sed magis adhuc ascendere, ac superiores partes apprehendere; in quibus primum coxa est, deinde ossa Iliorum.* Si ergo plurimorum præstantissimorum Medicorum aciem fractura hæc elusit, nequaquam nostrum potuit sapientissimum Senem latere.

(7) DELIGETUR. Difficultas in curanda femoris colli fractura ex eo præsertim oritur, quod ipsa, qua de loquimur, cervix, in sua sede, donec callus perficiatur, composita satis diu retineri firmiter nequit; cujus sane rei duas omnino esse supra ostendimus rationes; obliquam scilicet ipsius colli femoris directionem, & ingentem eorum, qui circum inserti sunt, musculorum numerum, & crassitiem, ut *not.* (5) hujus capitis fusius adnotavimus. His accedit, quod ob situm, structuramque partis, ubi superior femoris extremitas hæret, neque fasciæ, neque ferulæ eo modo aptari, atque constringi possunt, ut satis sint, ad musculorum coercendam contractionem, ossaque in sua sede retinenda. Solicitudines, labores, omnium huc usque Chirurgorum eo, in curando id genus fracturæ, pervenire non potuerunt, ut ossa iterum non exciderent: sic enim inquit *Junckerus tab. 63. cap. 15. Gravissima omnium est fractura colli femoris, quia raro sine claudicatione restituitur. Licet enim repositio decenter facta sit, conservatio tamen est res difficillima. Instrumenta, huic conservationi inservientia adhuc desiderantur.* Hanc rem ægre ferens *Heisterus* exoptabat, ut aliquis Chirurgus machinam aliquam ad id opportunam, tutamque tandem aliquando excogitaret; ait enim *Par. 1. lib. 2. cap. 8. Quam quidem ob rem operæ utique pretium is faceret, qui opportunam huic negotio machinam excogitaret.* Præter igitur ea, quæ paucis verbis in hoc textu Hippocrates indigitavit pro hac fracturæ specie, meliora nondum protulit Chirurgia, ideo operæ pretium erit ea optime assequi. Facta igitur, ut *not.* (1) *cap.* 23. observavimus, debita femoris extensione, & aliquo ex iis medicamentis, quæ in generali curatione commemorantur, dolente parte oblinita, ad deligationem debet omnis cura converti. Quoniam autem in hac fractura femur in sua sede difficillime retinetur, semperque iterum excidit ob validissimam musculorum contractionem, qua sursum trahitur, atque etiam tum aliquanto ad exteriorem partem plerumque convertitur; ideo tota deligationis vis ita intendi debet, ut deorsum nitendo femoris ascensum coerceat. Hæc vis nullibi aptius adhibebitur, nisi supra trochanterem majorem, qui ad radicem colli capitis femoris implantatur, & qui externe porrectus, aptam remoram præbet, in quam agere possit deligatio. Dixerat Hippocrates in *cap. 5.* uti nos *not.* (24) (25) adnotavimus; *Extremitates autem subaridas, & in acutum abeuntes, spleniis obvolutis curare oportet.* Trochanter major, extremitas est, quæ abit in acutum, & fere nuda sub communibus hæret integumentis; ideo spleniis obvolutis curanda est. Ad partem posteriorem, ubi confinia musculi Glutei maximi sunt, trochanter magis excarnis est; proinde ibi satis crassum, & longum splenium in rectum adhibere oportet, quod, dum hiulcum hunc locum æquabit, femur quoque ad exterio-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 200 sur 355

©BIU Santé

& alias confert, & ut ne extremæ ferularum partes lædant, ſi ad non deligata adhibeantur (8). Deficere autem oportet ſemper ferulas a nuda teriorem partem declinare prohibebit. Altera trochanteris pars, curanda ſpleniis, ſuperior eſt; ibi enim craſſum alterum, latumque ſplenium tranſverſim apponi debet, quod in apicem ejuſdem trochanteris deorſum nitatur. Splenium hoc optime deligatum femoris aſcenſui ſeſe objicit, atque muſculorum Glutæorum extremitates comprimendo, ingentem eorum femur trahendi vim refringit. Spleniis ita, ut angulum rectum deſcribant, appoſitis, manibuſque alicujus apti miniſtri ſuſtentatis, faſcias ſic ducere debet Chirurgus, ut coxæ, & ilia circumdentur: atque oblique deſcendendo, inguina, & interfemineum, quod plechada a Græcis nominatur, conſtringantur, & per clunes ſurſum iterum aſcendendo, una omnia firmiſſime colligentur. Hanc vincturam, quæ *ſpica inguinalis ſimplex* nominatur, deſcribit *Heiſterus tom. 2. part. 3. cap. 5. & 6.*, ubi etiam præcipit, *ut faſcia quatuor, vel quinque ulnarum longitudinem, trium autem, vel quatuor digitorum latitudinem habeat; deinde ut partem fractam, quantum fieri poteſt, firmiſſime comprehendat, fortiſſimeque deorſum verſus contineat, quia alias muſculi hic robuſtiſſimi hoc os facillime rurſum trahunt, atque ſic glutinationem cum capite femoris impediunt, quo ipſo pes brevior, & claudus fit.* Hæc faſcia circa coxas, & lumbos circumdata, caput femoris in ſua ſede cogit, atque prohibet, ne externe deflectat; ideo in principio hujus capitis dixerat Hippocrates; *ſi hujuſmodi quippiam ſuſpectum habueris, machinari ex oportet, quæ in brachio diſtorto conſuluimus*; atque *Palladius* in ſuis *ſcholiis ſect. 6.* in hunc Hippocratis textum ſcripſit: *Quo enim modo illic injectam faſciam in oppoſitam coſtam deligabamus, ne oſſa ad gibbas partes ferri permitterentur, ad eundem modum & in femore agendum.* Ne faſciæ quidquam poſtea recedant, laxiorque evadat deligatio, non incongruum etiam erit in hac fractura, ut nonnulli docent Auctores, futura eas hinc, illinc, firmare.

(8) ADHIBENTUR. Duo in hoc textu ſunt conſideranda; alterum eſt, quod pro curatione hujus fracturæ ferulas adhibere oportet; alterum, quod has ferulas circa coxam, & locum inter coxas, & lumbos circumponere jubet Hippocrates: nam inquit; *Pauca inſuper lintea circa coxam, & locum inter coxas, & lumbos circumdare oportet*; atque paulo poſt; *Nam & alias confert, & ut ne extremæ ferularum partes lædant, ſi ad non deligata adhibeantur.* Ergo extremæ ferularum partes ad ea loca, quæ linteis circumdare juſſit, debent pertingere. Profecto, quum hic de colli capitis femoris fractura agatur, totus curationis cardo circa coxam verti præcipue debet. Verum ſpecialem, propriamque methodum adhibendi ferulas in ejuſmodi fractura, peculiaremque locum, cui injicendæ ſint, nullus auctor protulit. *Paræus*, qui de hac fracturæ ſpecie diſtincte loquutus eſt, hæc tantum de curatione tradidit; *Os, complanatis ejus fragmentis, reſtitui, ferulas, appoſitis plagulis, circumpoſui, faſcia duobus capitibus prædita, ſupra junctiuram, & circum corpus decuſſando obvoluta, deligationem feci.* Cetera, quæ poſtea expoſuit ad generalem crurum curationem pertinent; atque neſcimus an hæc Ægrota, quam *Paræus*, curavit, perfecte ſana, abſque ulla claudicatione evaſerit. *Petitus* ſingulare caput de hac fractura ſcripſit, ubi etiam hiſtoriam refert talis fracturæ a ſe feliciſſime, nullaque ſuperſtite claudicatione ſanatæ; & narrat, quod hanc fracturam pro luxatione jam alius Chirurgus curare aggrediebatur: at de arte,

©BIU Santé

arte, atque proviſionibus, quibus id ipſe præſtiterit, ne verbum quidem attulit, ſed tantummodo ait, *tom. 2. chap. 11., Et je reconnu par la qu'il y avoit fracture au col du Femur, j'en fis la reduction, j'appliquai un appareil convenable, & le bleſſé fût parfaitement gueri ſans boiter.* Mirum tamen mihi videtur, quod *Petito* in hujuſmodi morbo adeo arriſerit fortuna; nam quum in hoc caſu nullam is peculiarem curationis rationem expoſuerit, credendum, quod hanc fracturam, ut obliquas femoris fracturas, curaverit; quippe quia hæc methodus eſt, quam ipſe pro colli capitis femoris fractura proponit; nam loco citato ait; *La cure de cette fracture conſiſte à faire cette extenſion, & contre-extenſion ſuffiſantes, & à maintenir l'os en ſon lieu, en ſe comportant comme dans la fracture oblique de la cuiſſe, à la quelle nous renvoyons.* Auſim ergo aſſerere, quod pro hujuſmodi fractura, plus opis, atque doctrinæ ab his, quæ paucis in hoc textu Hippocrates adumbravit, nobis haurire licet, quam a diſertis, longiſque aliorum, cum veterum, tum recentiorum auctorum diſputationibus. Noſter igitur magnus Medicinæ parens Hippocrates, quum juſſerit *circa coxam, & locum inter coxas, & lumbos linteis circumdare ..... ne extremæ ferularum partes lædant, ſi ad non deligata adhibeantur*; hoc monitu viam ſatis oſtendit, qua aptiſſimam methodum colli capitis femoris fracturam curandi eruamus. Revera in aliorum oſſium fracturis prope articulos, ferulis contiguum quoque os ſemper comprehendimus, ut illius firmitudine, atque ſtabilitate, os fractum fulciatur, atque nequeat in ullam partem de ſua ſede divertere; ſic ſi aliqua ex. gr. tibiæ fractura prope genu facta fuerit, præter tibiam, femoris etiam non parvam partem ferulis occuparemus. In fractura igitur colli capitis femoris, ferulæ non modo totum femur, ſed etiam os ilei occupare debent, ut innixæ ſuper proximum immobile fulcimentum, oſſa fracta in ſua ſede firmiter retinere poſſint. *Circa coxam, & locum inter coxas, & lumbos*, ferulas apponere omnino neceſſe eſt ob eas ipſas rationes, quas ſuperius de ſpleniis in *not.* (7) retulimus. Altera igitur ferula, ſpleniis ſufficienter ornata, a ſuperiori, & poſteriori oſſis ilei parte, uſque ad inferiorem femoris regionem protendi debet, quæ ferula in illud ſplenium, quod ad poſterius trochanteris latus in longum apponendum eſſe nota ſuperiori indicavimus, debet incumbere; & hæc erit illa ferula, quæ ſua extremitate pertinget ad *locum inter coxas, & lumbos*, ut innuit Hippocrates. Altera ferula, quæ longiſſima, & craſſior eſſe debet, a criſta ilei, ſuper aliud illud ſplenium tranſverſum, atque trochanterem majorem, per univerſum femur, & tibiam, uſque ad pedem producenda eſt. Ferula hæc pluribus ſpleniis variæ craſſitudinis inſtruenda eſt, ut omnes univerſi cruris inæqualitates, atque prominentiæ corrigantur, æqualiterque ubique comprimatur: atque hæc alia illa erit ferula, quæ ex Hippocratis mente, *circa coxam* adhibebitur. Ut harum ferularum quæque in ſuo loco adamuſſim, atque firmiter aptetur, brevior prius illa ferula, quæ ad poſteriorem partem inter coxas, & lumbos apponenda eſt, adhibebitur, eoque ipſo modo eam deligabimus, ut de ſpleniis in nota ſuperiori obſervavimus, quam deligationem, ſpicam inguinalem vocari diximus. Hac faſciis deligata, aliam longiorem ferulam adhibebimus, quæ a criſta ilei uſque ad malleolum externum pedis protenditur, ſimilique modo circa coxas, lumbos, & inguina, deligabimus, quæ faſciæ huc illuc ad majorem firmitudinem conſui etiam poſſunt; reliquum vero ferulæ uſque ad pedem ſpirali convolutione ſufficit vincire. Ex hujuſcemodi ferularum collocatione, atque deligatione, ſi reliqua omnia optime fuerint inſtituta, ut fra-

©BIU Santé

da parte, & hinc, atque illinc multum (9), & positionem ferularum, semper ita providere convenit, ut neque super os aliquod circa articulos natura prominens (10); neque super nervum circa arriculum, fiat (11).

fractum collum capitis femoris in sua sede retineatur, sperare possumus; vel saltem hæc curationis ratio aptior omnino, atque opportunior erit ad id obtinendum; & plus certe opis, atque utilitatis ab hac Hippocratis ferulas adhibendi ratione elici posse confidendum est, quam a lectulo stramineo, quem plerique auctores in hunc usum maxime commendant; qui nullimode quidem ad colli capitis femoris os fractum in sua sede retinendum sufficere potest; sed semper id excidet, ut ratio ipsa docet; atque unicuique experientia satis erit compertum. Hæ duæ ferulæ necessariæ prorsus sunt ad os sustinendum; si quis vero lectulum stramineum, qui a coxa usque ad pedem protendatur, adjicere quoque vellet, non incongruum erit, atque majorem firmitudinem toti cruri conciliaret. Neque etiam nullius erunt utilitatis cautiones illæ, quas recentiores auctores tradidere, ut contractionis musculorum vis retundatur, atque cruris decurtatio prohibeatur: sic enim in femoris fracturis se consuevisse ait *Guido a Cauliaco tract.* 5. *doctr.* 1. *cap.* 7. *Ego autem ad pedem ligo pondus plumbi, transeundo chordam super parvam polegeam, quod tenebit tibiam in sua longitudine. Et si est aliquis defectus in æquatione, trahendo paulatine rectificabit.* Alii linteum amplum, & longum femori interjiciunt, quod sursum ducunt, atque alicui loco fixo alligant, ut corpus sustineat, ne descendat; habenamque postea genu, vel malleolis injiciunt, lectique extremitati inferiori deligant, ut crus extentum sit, neque trahi sursum possit; quam deligationem hic maximæ utilitatis esse censet *Heisterus*. Certum quidem est, quod hujusmodi fractura nunquam satis diligenter curari potest; atque ideo nihil prætermittere debemus, quod alicujus opis sit, difficilique adeo curationi aliquod possit auxilium afferre: res enim non parvi momenti est, magnique interest, cum ad Chirurgi famam, tum ad ægroti commodum, a claudicationis miseria hominem liberare.

(9) MULTUM. In *not.* (54) *cap.* 5., præter cætera, quæ in ferularum appositione attendi debent, etiam in *Chirurg. Officin.* Hippocratem monuisse adnotavimus, quod ferulæ *paulo minores deligatione* esse debent, ne eorum duritie nuda cutis lædatur. In hoc autem textu idem iterum inculcat, quod quamvis in quacunque ferularum applicatione animadvertendum semper sit, hic tamen, quia longissimæ ferulæ adhibentur, ut id magis caveamus, iterum monere non inutile duxit. Locum igitur, ad quem ferulæ pertingere debent, linteis, & fascia prius contegemus; atque ferularum extremitates exsuperantibus spleniis instruemus, ut a nuda parte hinc, atque illinc multum deficiant.

(10) PROMINENS. Cur super prominentia ossa articulorum positiones ferularum fieri non debeant; & quomodo his sit providendum, jam pluries observavimus; vid. *not.* (6) *cap.* 6.

(11) FIAT. Præcepta, quæ nunc Hippocrates tradit, non modo ad femoris fracturam, sed etiam generatim ad omnes artuum fracturas pertinent, atque ideo addidit particulam, *semper*, ut ea aliis etiam fracturis communia esse indicaret; quemadmodum observat *Galenus* in hunc textum, inquiens; *Quod vero ab ipso nunc præcipitur, vere non ad femur tan-*

©BIU Santé

tantum, ſed ſemper utile eſt, & in omnibus fracturis, quæ appoſitionem ferularum requirunt. De aliis fracturis jam alias diximus; in femore autem conſiderabimus, quod non nimis alte ad interfemineum, ferularum extremitates apponi debent, ne muſculorum Tricipitis, Gracilis, aliorumque, qui ab oſſe pubis proveniunt, tendineæ inſertiones lædantur. Hic autem animadvertendum quoque eſt, quod non modo a ferularum extremitatibus, verum etiam a nimis arcta ad interfemineum faſciarum deligatione, excoriationes, & exulcerationes induci ſolent, quæ maximopere moleſtæ ſunt; ideo & ab his cavendum, atque,eam partem ſæpius inſpiciendo, ſpirituque vini, vel poſca madidum linteum indendo, ne cutis lædatur providendum eſt. Neque in inferioribus partibus ferularum poſitiones ſupra tendines circa genu articulum fieri debent; quod potiſſimum in parte femoris poſteriori, ubi in duos magnos condylos hoc oſſis extremum faceſſit, animadvertendum: ibi enim tendines muſculorum Seminervoſi, & Semimembranoſi ſuper condylum internum excurrunt; externum autem condylum muſculi Bicipitis tendo præterlabitur: qui omnes tendines a ferularum preſſione læderentur, ex quo, ut alias adnotavimus, non parvi momenti mala proficiſcerentur: ideo Hippocrates monuit, quod in appoſitione ferularum ad fractum femur, *providere convenit, ut neque ſuper os aliquod circa articulos natura prominens, neque ſuper nervum circa articulum fiat.* Quod per nervum, in hoc textu, tendo intelligi debeat, clare patet, atque vid. quæ *not.* (20) *cap.* 3. adnotavimus,

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXV.

Tumores juxta poplitem, aut circa pedem, aut aliam quampiam partem ex compreſſione elevati quomodo curentur.

TUmores vero juxta poplitem, aut circa pedem, aut juxta aliam quampiam partem ex compreſſione elevatos (1), multis lanis ſuccidis probe carminatis, vino, ac oleo reſperſis, cerato ſublito, deligare oportet (2), & ubi preſſerint ferulæ, citius laxare (3). Graciles

(1) ELEVATOS. Inter ſigna, quibus deligationis mediocritas in fractura brachii diſcerni poteſt, recenſuit Hippocrates, ſi *poſtridie tumorem parvum, mollem ad ſummam manum obortum eſſe* conſpexerimus; uti *not.* (35) *cap.* 5. adnotavimus. Ubi enim deligationes fracturarum deſinunt, ibi talis tumor exurget. Quoniam autem pro ſitus, locique diverſitate, ubi femoris os fractum fuerit, diverſa deligatione uti poſſumus, ideo talis tumor, qui ad deligationis finem elevatur, non ſemper in eodem loco exurget. Si enim femur tranſverſim fractum in centro fuerit, ſufficere tunc fortaſſe deligatio poterit, quæ univerſum femur comprehendat quidem, ſed non ultra genu procedat; in quo caſu *juxta poplitem* tumor elevabitur. Sin vero neceſſarium duxerimus, ut crus ſatis firmum, atque diſtentum conſervetur, longiorem ferulam ad externam partem adhibere, quæ uſque ad pedem protendatur, hujuſmodi tunc tumor circa pedem elevabitur; ſi denique hæc ferula externe poſita, non uſque ad pedem, ſed circa tibiæ medium, pertingat, tum juxta eum locum, ubi deſierit deligatio, ſubjecta pars intumeſcet. Hinc Hippocrates dixit, quod tumores *juxta poplitem, aut circa pedem, aut juxta aliam quampiam partem* ex compreſſione elevari poterunt.

(2) OPORTET. Partes illæ, quæ ob deligationem in tumorem attolluntur, aliquo medicamento, quod cutim emolliat, dolorem leniat, atque humores diſcutiat, curare oportet, ne inflammationes, ſuppurationeſque inducantur. Ad hoc veteres Medici aptiſſime utebantur lanis ſuccidis vino, & oleo imbutis. *Dioſcorides lib.* 2. *cap.* 60. de lanis ſuccidis ita ſcripſit; *Succidæ lanæ molles, e collo feminibuſque laudatiſſimæ habentur. Subveniunt inter initia vulneribus, percuſſis, dequammatis, lividis, oſſibus fractis, aceto, oleo, aut vino imbutæ: ſi quidem facile ſuccos combibunt, quibus immerguntur, & ob pecudum ſordem (ſic enim æſipum vocant) emolliunt.* Lana igitur ſuccida ob pecudis ſordem, qua eſt infecta, emolliendi vim habet. Ut autem efficacius tumores hi emolliantur, ſuadet Hippocrates, ut cerato prius illiniantur; poſtea multa lana oleo, vinoque perfuſa imponatur, ut emollientibus medicamentis, vis etiam repellendi, diſcutiendique humores coacervatos a vino addatur. Hæc lana probe carminata, ſive pexa eſſe debet, ut lenior ſit, nec non facilius atque uberius medicamentis imbuatur, quam copioſe adhibebimus, ut diutius humiditatem ſervet; nam parva lanæ quantitas facile areſcit. In hujus textus comment. ſic ait *Galenus. Oleum itaque vim habet dolorem leniendi, diſcutiendique, vinum vero exſiccandi, ac repellendi, præterea*

©BIU Santé

les autem fieri poterint, ſi ſupra ferulas gracilibus linteis tumores deligaris, ab infima parte initio facto, ad ſupernam procedendo (4): ſic enim quam citiſſime tumor gracilis fieri poterit, & tranſcenderit ſupra priores deligationes (5). Verum hoc deligationis modo uti non oportet, ſi non periculum fuerit in tumore puſtularum, aut denigrationis (6). Tale vero nihil fit, ſi non quis valde premat (7) fracturam, aut,

terea concoquendi, molliendi, diſcutiendique. Patet item ſordidas lanas, quæ ſuccidæ appellantur, nec non ceratum, una cum mitigandi vi, diſcutere, ac reprimere.

(3) LAXARE. Si a nimia ferularum preſſione, aut arcta deligatione tumores in recenſitis partibus produci cognoverimus; tunc ferulas, deligationemque citius laxare monet Hippocrates. Nulla enim ſpes tunc eſſet, quod emollientibus, ac diſcutientibus remediis tales tumores molliantur atque ſubſidant; quin potius plus duri, dolenteſque evaderent; nam niſi conſtrictio nimia, quæ humorum fluxum intercipit, tumoriſque eſt cauſa, removeatur, effectus ceſſare non poterit.

(4) PROCEDENDO. Dixerat Hippocrates, quod ſi tumores a ferularum preſſione producantur; tunc citius ferulas laxare oportet, atque id facili negotio, & citra quod crus dimoveatur, fieri poterit, ſi ſolis vinculis, ſive habenis, ferulas deligaverimus, ut ipſe præceperat ubi de fracturarum curatione generatim tradidit, atque nos *not.* (55) *cap.* 5. adnotavimus. Sin vero faſciis quoque ferulas deligaverimus, quemadmodum in oſſis femoris fractura ad majorem firmitudinem fieri debet; tunc eas quoque laxabimus. Tumores autem facilius ſubſidere, citiuſque deliteſcere, nunc docet Hippocrates, ſi relaxatis ferulis, tenues quoque, molleſque faſcias adjecerimus, quibus tumores ea ratione deligabimus, atque complectemur, ut initium delegationis ab infima parte ad ſupernam procedat.

(5) DELIGATIONES. Quum faſciarum, vinculorumque nimis arcte deligatorum relaxatio liberiorem liquidis tranſitum concedat, tumores ab liquidorum interceptione orti ſubſident. Eorum tamen declinatio magis magiſque promovebitur a preſſione faſciarum, quæ humores retentos urgebunt; & ideo Hippocrates dixit; *Sic enim quam citiſſime tumor gracilis fieri poterit*. Quoniam autem humores a tumentibus partibus expreſſi ad novæ deligationis confinia aliquatenus ſemper hærebunt; hinc addit Hippocrates, quod tumor *tranſcenderit ſupra priores deligationes*.

(6) DENIGRATIONIS. Faſciarum, ferularumque relaxatio tunc fieri tantummodo debet, quum nimis arcta fuerit deligatio, & periculum in tumore ſit puſtularum, aut denigrationis, quæ ſymptomata gangrænam prænunciant. Vaſa enim nimis compreſſa a retro urgente ſanguine replentur, diſtenduntur, & rubore prius, poſtea nigredine affectam partem inficiunt; atque etiam vaſa lymphatica, atque exhalantia, quæ ad cutis ſuperficiem appellunt, nimis repleta, humores effundunt, unde epidermis in puſtulas, ichore plenas, elevatur, quæ omnia incipientis gangrænæ ſigna ſunt. Si vero nullum hujus rei periculum ſit, tumoriſque qualitas non excedat illas magnitudine, & duritie, conditiones, quas *not.* (35) *cap.* 5. adnotavimus, nulla tunc alia deligatione opus eſt, quoniam ad tertiam diem ejuſmodi tumor ſponte gracileſcit, uti docuit Hippocrates in *cap.* 5.; ideo in hoc textu dixit; *Hoc de liga-*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 206 sur 355

©BIU Santé

aut ſuſpenſam (8) habeat, aut manu ſcalpat, aut aliud quid, quod irritet, corpori allabatur (9). At vero canalem ſi quis ſub ipſum femur ſupponat, qui poplitem non excedat, læſerit magis, quam profuerit: neque enim prohibuerit, quominus & corpus, & tibia, ſine femore moveatur (10): noxius (11) enim erit ad poplitem pertingens, & quod minime oportet, id facere impulerit (12).

ligationis modo uti non oportet, ſi non periculum fuerit in tumore puſtularum, aut denigrationis.

(7) PREMAT. Monet nunc Hippocrates, quod tumores ejuſmodi, qui præfatam deligationem requirunt, minime oriri ſolent, ſi mediocriter, atque ut artis eſt, primam deligationem fecerimus; nihil enim id genus plerumque evenit, niſi arcte nimis fracturam quis preſſerit.

(8) SUSPENSAM. In *cap.* 19. jam monuit Hippocrates, quod ubi crus fractum deligaverimus, *ſuper planum quoddam, & molle deponere convenit*, ut membrum æqualiter, ac commode detineatur; ſi enim locus, ubi id deponitur, inæqualis fuerit, pars deficiens, atque declivior minus ſuſtinebit, & tunc crus veluti ſuſpenſum habebimus; quod doloris, atque inflammationis cauſſa eſſe poterit.

(9) ALLABATUR. Præter arctam deligationem, aut inæqualem collocationem, aliæ etiam cauſſæ hos tumores inducere poſſunt; veluti ſi quis rudi manu affectam partem ſcalpſerit, quo oſſa dimoveri poterint, vel humores cieri; aut ſi aliud quid, quod irritet, corpori allabatur; quemadmodum ſunt remedia nimis adſtringentia, aut calefacientia; uti etiam pars irritari poterit a rudibus nimium, aut nodoſis plicis linteorum, ferularum ſcabritie, & ſimilibus.

(10) MOVEATUR. Canalis uſum ad offium tibiæ, aut femoris fracturam, non prorſus Hippocratem rejicere, in *cap.* 19. obſervavimus; hic autem monet, quod, *canalem ſi quis ſub ipſum femur ſupponat, qui poplitem non excedat, læſerit magis, quam profuerit*. Hujus rei rationem eſſe ait, quia talis canalis, qui poplitem non excedit, non prohibuerit, *quo minus & corpus, & tibia ſine femore moveantur*. Nam ſi ægrotus in dextram, aut ſiniſtram partem de rectitudine, in qua collocavimus, corpus moveret, canalis femori ſuppoſitus prohibere non poterit, quin pars ſuperior fracti oſſis conjuncta iſchio, totius corporis motionem non ſequatur; hinc quamvis femur canalis immobile retinuerit, ſuperior tamen fracti oſſis pars corporis motum ſequens, non amplius erit in naturali rectitudine, cum reliquo cruris. Neque minus inferior fracti femoris pars, quæ ad tibiam cohæret, a ſubjecto uſque ad poplitem canali, ne moveatur, prohibebitur; nam ſi tibia in hanc, aut illam partem diſtorqueatur; tunc ei conjuncta inferior fracti femoris pars, non erit in rectitudine cum reliquo corpore; unde ejuſmodi canalis, qui femori uſque ad poplitem ſupponitur, obſtare non poterit, quin vel a ſuperioris partis, vel ab inferioris motu, de ſua ſede oſſa defleCtant; hinc dixit Hippocrates; *Neque enim prohibuerit, quo minus & corpus, & tibia, ſine femore moveatur*.

(11) NOXIUS. In *not.* (5) *cap.* 19. obſervavimus, quod Hippocratis canalis multum differt a lectulo ſtramineo, quem Galli vocant *le fanons*; quamquam abuſive, & hoc quoque inſtrumentum canalis a nonnullis nominetur. Quum igitur canalis de quo Hippocrates loquutus

©BIU Santé

quutus eſt, inſtrumentum ſit ligneum, & juxta *Paulum Æginetam*, quandoque etiam fictile, ad partis affectæ figuram accommodatum; hinc quoties poplitem non exceſſerit, hujus inſtrumenti extremum incumbentem partem vexabit; unde contuſionis, doloriſque erit cauſa; quod lectulus ſtramineus non efficeret; ex quo dixit Hippocrates, quod erit noxius canalis ad poplitem pertingens. *Celſus*, pro diverſitate oſſium cruris fractorum, diverſas canalium menſuras accuratiſſime, & ad mentem Hippocratis tradidit *lib.* 8. *cap.* 10., inquiens; *Eſſe autem is debet a planta (ſi crus fractum eſt) circa poplitem: ſi femur uſque ad coxam: ſi juxta ſuperius caput femoris, ſic ut ipſa quoque in eo coxa ſit.*

(12) IMPULERIT. A firmitudine, & quiete partis affectæ fracturarum optima curatio multum dependet. Quidquid ergo ægroto motionis cauſa eſſe poſſet vitandum eſt. Incommodum, ſive dolor, quem canalis extremitas ad extentum poplitem excitaret, ægrotum cogere poterit, ad levamen quærendum, ſitum mutare; atque ſic periculum erit, ne de ſua ſede oſſa fracta dimoveantur, quod curationi ſummopere adverſaretur, &, ut ait Hippocrates, *quod minime oportet, id facere impulerit.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 208 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XXVI.

Genuflexio deligationibus in femore, ac tibia, turbationem inducit. Calcanei ſummi in tibiæ, & femoris fracturis cura habenda.

MInime vero oportet genu flectere (1): omnem enim turbationem deligationibus inducit, & femore, & tibia deligata, quiſquis genu flexerit: neceſſe enim erit propter hoc, muſculos alias, atque alias aliam figuram habere. Neceſſe eſt item oſſa fracta moveri (2). Præ omnibus itaque faciendum, ut poples ſit extentus (3). Videtur igitur canalem a miniſtris diſtentum retineri, quouſque deligetur; atque eo plus semper hoc attendi debet, quo id membrum craſſius erit, atque robuſtius, uti eſt femur; atque ideo *cap.* 23. inculcavit Hippocrates, in femoris fractura *extenſionem præ omnibus facere*; atque poſtea addidit; *neque enim ſi quis diſtantia ex vehementia extenſionis oſſa deligaverit, fieri poterit, ut deligatio ipſa teneat, ut ita diſtent, ſed coeunt inter ſe oſſa quam citiſſime, ubi intendentes ipſa remiſerunt*, uti nos *not.* (3) & (4) *cap* 23. adnotavimus. In *cap.* 16. de pedis luxatione loquens, pariter dixerat; *Ubi vero repoſueris, ſi quidem fieri poterit extentum ita deligabis. Si vero præ loris impediaris, his exſolutis diſtenſionem facias, donec deligaveris.* Quoniam ergo in ea extenſione, qua oſſa repoſuimus, femur deligari debet, atque in eadem figuratione, in qua deligatum fuit, collocandum eſt, ut *not.* (2) obſervavimus, ſequitur, quod ut femur optime collocetur, poples eſſe debet extentus; ideo ex præfatis concluſit Hippocrates; *Præ omnibus itaque faciendum, ut poples ſit extentus.*

(1) FLECTERE. Dixerat ſuperius Hippocrates, quod canalis, qui poplitem non excedet, noxius erit, & *quod minime oportet, id facere impulerit*; nunc autem monere proſequitur, quod canalis, qui poplitem non excedit, in loco ubi deſinit, inæqualitatem, & veluti gradum ſua craſſitie efformaret, quod *genu flectere*, & tibiam deſcendere cogeret; quæ res ob rationes, quas ipſe mox affert, femori fracto maxime noceret.

(2) MOVERI. Quantam turbationem deligationibus; quantam variationem muſculis, qui ad naturalem, commodamque figurationem deligavimus; quantumque impulſionis ad decedendum de naturali ſede fractis oſſibus afferre poſſit quæcumque membri deflexio poſt deligationem, *not.* (21) *cap.* 2. ſatis obſervavimus, ubi Hippocrates dixerat, quod tunc *neque oſſa, neque nervi, neque carnes in eodem permanerent, ſed ſuperata deligatione alio transferrentur*; quæ omnia & hic in femoris fractura evenire, monet Hippocrates, ſi quis poſt deligationem genu flexerit. Quoniam igitur canalis, qui poplitem non excedit, genu flexionem inferret, erit & hoc aliud, in quod talis canalis impulerit, quod minime facere oportet.

(3) EXTENTUS. Magni refert ad optimam fracturarum curationem, membrum

(4) CONTINEAT. In hujuſmodi fractura poples debet eſſe extentus; & canalis, qui femori ſupponitur, ſi poplitem non excederet, genu flectere faceret; hinc noceret. Canalis ergo nunquam proderit, niſi femur, totumque crus a coxa

©BIU Santé

canalis ſimiliter prodeſſe, qui a coxa ad pedem uſque ſubjectus contineat (4): & alias circa poplitem, faſciam cum canali laxe circumdare oportet, quemadmodum infantes in cunis, faſciis obvolvuntur (5): deinde ſi femur ad ſupernam partem diſtorqueatur, aut ad latus, melius (6) ita contineri poterit una cum canali. Cæterum calcanei ſummi valde magnam curam habere convenit (7); ut & in tibiæ, & in femoris fracturis

coxa ad pedem uſque ſubjectus contineat; quæ eſt altera conſequentia, quam ex præfatis Hippocrates deducit, quo declarat, vel nequaquam adhibendum eſſe canalem, vel ita, ut a coxa ad pedem uſque ſubjiciatur.

(5) OBVOLVUNTUR. Duplici ſenſu hæc Hippocratis verba a nonnullis veteribus explicata fuiſſe, narrat *Galenus* in commentariis; alii enim prius poplitem faſcia circumdare, poſtea vero ad majorem tutelam, canalem apponere, Hippocratem juſſiſſe cenſent: alii vero faſciam exterius obvolvendam eſſe perhibent, qua canalis una cum poplite comprehendatur; quod quidem ad Hippocratis mentem magis eſſe videtur; atque in hanc ſententiam *Scultetum* quoque deſcendiſſe apparet, dum ipſe canalem una cum poplite hac ratione deligatum *fig. 2. tab. 26.* expreſſit. Ut igitur poples ſit optime extentus, neque ab ulla cauſa exteriori, neque ab ipſo ægroto flecti poſſit, cum ipſo canali faſcia obvolvi debet; quemadmodum infantes in ipſis cunis faſcia nonnulli includere conſueſcunt, qua faſciæ obvolutione, ne cuna excidant prohibentur.

(6) MELIUS. Canalem in femoris fracturis non rejicit Hippocrates, ſiquidem optime is a coxa, uſque ad pedem fuerit protenſus, optime que collocatus, atque deligatus. Quoties vero vel ad ſupernam partem, aut ad latus facile diſtorquetur fractura, canalem tunc maxime utilem eſſe aſſirmat: nam præter ferulas, quæ oſſa in ſua ſede retinebunt, canalis totum crus magis ſemper extentum, atque immobile ſervabit; uti & vincula, una cum faſcia, ſive mitella circa poplitem, diſtortionem in eas partes tutius prohibebunt; unde dixit Hippocrates; *Melius ita contineri poterit una cum canali*. In aliis autem codicibus altera inſuper periodus reperitur, quæ in hac *Cornarii* verſione deficit, qua Hippocrates ex prædictis perſpicuum eſſe decernit, an canalis adhibendus ſit, & qualis eſſe debeat. *Fabius Calvus* enim ubi Hippocratem e Græco in Latinum vertit, hæc addidit ipſo in textu; *Canalis oblongus ſit, nec ne faciendus, hinc patet*. Et in traductione *Foeſii* legimus; *Canalis igitur a ſummo ad imum uſque, aut nullus adhibendus*. Quæ periodus, a *Cornario* prætermiſſa, Hippocratis genuina eſſe videtur, quoniam eam retulit etiam *Galenus comment. 2. text. 76.*; eaque in interpretationibus hujuſce textus, quas *Trincavellus*, *Felicianus*, & *Vidius* moliti ſunt, reperitur. Putandum igitur, exemplaria græca, quibus *Cornarius* pro ſua interpretatione latina uſus fuit, hac particula caruiſſe, quæ, forſan, aut per oſcitantiam, ut in aliis plurimis Hippocratis locis; vel ut pote non abſolute neceſſaria, ac veluti redundans, a librariis fuerit prætermiſſa. De hac librariorum culpa *Galenus* frequenter queritur, eoſque in luculentiſſimis, quibus Hippocratem auget commentariis, redarguit, acriterque perſtringit.

(7) CONVENIT. Quanta ſit cura habenda calcanei extremitati, ne ex figuræ neglectu corrumpatur; quibuſque auxiliis defendenda, jam *not.* (15) & (16) *cap.* 12. obſervavimus.

©BIU Santé

cturis apte (8) ſe habeat : ſi enim dependeat pes, reliqua tibia firmata; neceſſe eſt juxta anteriorem tibiæ partem oſſa incurva eſſe. Si vero calcaneum quidem moderato altius fuerit firmatum, reliqua vero tibia aliquantulum elevata; neceſſe eſt huic oſſi, ut circa anteriorem tibiæ partem moderato cavius appareat (9); atque hoc adhuc magis, ſi calcaneum hominis natura fuerit magnum (10). Sed & omnia oſſa tardius corroborantur, ſi non ſecundum naturam poſita fuerint (11), itemque ea, quæ non in eadem figura quieſcunt (12): & calli quoque debiliores ipſis obducuntur (13). Atque hæc quidem de his, quibus oſſa quidem fracta

(8) APTE. In oſſium tibiæ, aut femoris fracturis, non modo magna cura calcaneo proſpicere monet Hippocrates, ne corrumpatur; ſed etiam id apte collocare præcipit, ne vel nimis dependens, vel moderato altius poſitum, a naturali rectitudine os fractum cogat deflectere.

(9) APPARET. Ex non apta calcanei collocatione, idem femoris fracturæ accideret, quod de tibia Hippocrates ſuperius monuit; atque nos *not.* (2) *cap.* 19. obſervavimus.

(10) MAGNUM. Calcaneum duos digitos tibiam excedere alias adnotavimus; atque ideo ejuſdem figuratio peculiarem curam exigit; ſed quoniam ſunt aliqui, qui id grandius, atque magis etiam exporrectum habent, ideo major quoque in iis cautio erit adhibenda; unde Hippocrates monet; *Hoc adhuc magis, ſi calcaneum hominis natura fuerit magnum.*

(11) POSITA FUERINT. Monitum ad quaſcunque fracturas conveniens, eſt id, quod modo tradit Hippocrates: quodcunque enim os fractum, ſi non optime fuerit coaptatum, tardius corroborabitur, quoniam major tunc callus gigni debebit, ut oſſis non ſecundum naturam repoſiti, inæqualitates, & ſparia repleantur, atque conferruminentur; quod majorem operam, longiuſque tempus requirit.

(12) QUIESCUNT. Hoc etiam ad omnium oſſium fracturas pertinet; ſi enim oſſa fracta non perfecte quieſcant, quamvis in ſua ſede probe repoſita fuerint, non tamen poterit callus concreſcere, atque firmari; quoniam naturæ opus iis motionibus perturbatur, incipienſque callus deſtruitur, adeo ut ſi nimis frequenter, & diu dimoverentur, nunquam etiam quandoque hæ fracturæ coaleſcerent, ut *not.* (7) *cap.* 17. adnotavimus. Hinc Hippocrates dixit, quod omnia oſſa fracta tardius corroborantur, *quæ non in eadem figura quieſcunt.*

(13) OBDUCUNTUR. Si oſſa non ſecundum naturam poſita fuerint, aut in eadem figura non quieverint, non modo tardius corroborari; ſed debiliori etiam callo obduci, nunc Hippocrates monet. Oſſa enim male repoſita, quum non amplius ſub naturali, planaque ſuperficie ſint, ſed inæqualiter, & in latera incumbant, minus tuto ab inducto callo firmantur; nam in membri motionibus, gravitatis centrum ab oſſis rectitudine, ut antea, non ſuſtinetur; ſed in deficientem partem vis major fit; unde is callus, qui fractum os in ſua ſede repoſitum optime ſuſtineret, in oſſe male repoſito, debilis erit; atque tum in eodem loco ex caſu, aut ictu, fractura iterum fieri facile poterit; cujuſmodi fracturas, in loco jam antea fracto, atque conglutinato, non bis ſolum, ſed ter etiam accidiſſe legimus apud *De la Motte Traité complet de Chirurgie pag.* 194. Præter hanc reſpectivam calli debilitatem,

©BIU Santé

ɛta ſunt, non autem extra eminent, neque alias ulcus factum eſt (14).

tem, abſoluta etiam calli debilitas fit, ſi membrum, dum callus generabatur, non ſatis quieverit; gliſcentem enim fibrarum, lamellarumque texturam, quas natura ad oſſa conferruminanda gignit, motus, vellicatioque deturbat, ac deſtruit; unde calli compages debilioris contextus fit. Huc referri poſſent omnes illæ obſervationes de aliquibus fracturis adeo debili callo, ſpongioſæque ſubſtantiæ, ferruminatis, ut facili negotio iterum ſecederent, atque frangerentur, quas legimus apud *Hamelium*, *Rolfincium*, *Saltzmannum*, alioſque, quos *Morgagnus Epiſt. 56. n. 29. lib. de Morb. per Anat. Indagat.* recenſuit; nec non *Ruyſchii* monitum huc accenſendum eſt, qui *Theſ. Anat. 8. n. 40.* ait, quod *haud nimi fidendum ſit iis, qui autumant, fracturarum callum ſemper tantæ eſſe firmitatis, ut oſſa olim fracta, & ferruminata, citius (ſi denuo fracturam patiantur) in loco vicino, quam in dicto callo frangantur.* Hinc Hippocrates dixit, quod a præfatis cauſſis, *calli quoque debiliores ipſis obducuntur.*

(14) FACTUM EST. Omnia, quæ huc uſque Hippocrates de diagnoſi, prognoſi, atque curatione fracturarum docuit, ad eas tantum fracturas referenda eſſe perhibet, quas ſimplices nominamus; quibus ſcilicet neque vulnus, neque oſſis proruptio, acceſſit: quoniam fracturæ, quas complicatas vocamus, aliam exigunt curationem; de quibus nunc docere proſequitur. *Boerhaav. Aphor. 340.* has dedit fracturarum differentias. *Si ſola, & una, ſimplex; ubi multiplex, compoſita; ſi ſtipata vulnere, contuſione, inflammatione, ulcere, pluribus fracturis, complicata vocatur.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXVII.

De ossibus simplici modo fractis. Ulcerum curatio simplex. Splenia vino imbuta in ulcerum deligatione.

QUibus vero ossa fracta sunt simplici modo, & non multifido, ita ut eadem die reposita sint, aut postridie in suam sedem recepta, & nullus timor sit fissorum ossium discessionis: aut etiam, quibus ulcus quidem factum est, ossa vero fracta non extra eminent, neque modus fracturæ talis est, ut sint segmenta a fissis ossibus separata; tales, spes est simplici (1) modo curari posse. Et quidem sane neque magni quippiam boni neque mali facientes (2), ulcera

(1) SIMPLICI MODO. Quum doctrinam de fracturis complicatis nunc tradere Hippocrates aggrediatur; ab his exorditur fracturis, in quibus, quantumvis vulnus accesserit, spes tamen est, ut eo simplici modo, quem superius docuerat, curari possint. Notas itaque in hoc textu exponit, quibus cognoscemus, quales sint eæ complicatæ fracturæ, quæ simplici modo curantur. Ait enim, quod hanc curationem omnes fracturæ admittunt, quæ non *multifido modo*, sive absque pluribus fragmentis sunt, dummodo tamen ossa *eadem die reposita sint, aut postridie*; quoniam etiam in simplici fractura, si eadem die, aut postridie non reposita sit, intumescere pars solet, magis dolere, atque inflammari; proinde tum non amplius fractura simplex, sed fractura talibus cum symptomatis complicata diceretur; ex quo neque extendi, neque curari simplici modo posset; ideo Hippocrates dixerat; *Maxime quidem omnes fracturas in prima deligatione, quantum ejus fieri debet, extendere oportet; sin minus quam citissime*, quod *not.* (5) & (6) *cap.* 21. adnotavimus. Os vero in fragmenta disruptum, si eadem die repositum fuerit, *nullusque timor sit fissorum ossium discessionis*, etiamsi hujusmodi fractura de genere complicatarum sit, attamen quoque spem esse ait Hippocrates, quod simplici modo curari possit. In earum insuper numero, quæ simplici modo curari possunt, eas fracturas recenset, in quibus ulcus quidem factum est, ossa vero fracta non extra eminent, neque modus fracturæ talis est, ut sint segmenta a fissis ossibus sejuncta; quoniam tunc alia curatio esset adhibenda, ut inferius docebit. Quamvis ergo in fracturis complicatis alia requiratur curatio diversa ab ea, quæ fracturis simplicibus adhibetur; esse tamen possunt quædam fracturæ complicatæ, quas simplici modo curare possumus, quo citius, tutius, & jucundius ad sanitatem ægri restituentur.

(2) FACIENTES. Uti semper, sic etiam temporibus Hippocratis varias Medicorum sectas, variasque medendi methodos extitisse constat; quemadmodum de his jam nos *not.* (1) *cap.* 3. observavimus. Hippocrates autem errores, quos alii ejus ævi Medici in morbis curandis committere solebant, detegere prius, ac refellere consuevit, quam veram, propriamque medendi ra-

©BIU Santé

cera quidem curant (3) aliquo purgatorio (4), aut picatum (5) ceratum, (ut emplaſtrum cruentis vulneribus idoneum), aut aliud quid ex

rationem exponeret: veluti antequam debitam traderet fracti brachii figurationem, dixerat; *Dicendum igitur, quænam Medicorum peccata de natura manus tum dedocere, tum docere velim*; Vid. *not.*(1), *cap.* 2. Sic pariter modo, priuſquam veram, propriamque rationem ad complicatas fracturas curandas proponat, aliorum errores detegere ſatagit; ne in eos, a falſis doctrinis, rationibuſque decepti, incidamus; iis nanque perſpectis, recta via emicat, quam fidenter, neque abſque ratione proſequamur. Ab iis igitur, qui neque aliquod magnum malum in curandis fracturis vulnere complicatis, neque etiam aliquod magnum bonum faciunt, Hippocrates in hoc capite incipit proloqui; in ſubſequenti vero ad eos deſcendit, qui eorum pravo curandi modo, magnum omnino malum faciunt, prorſuſque a recta curandi via aberrant.

(3) CURANT. Eos, qui neque quippiam magni mali faciunt, neque tamen quippiam magni boni, illos eſſe Hippocrates narrat, qui omnem curationem ſolum ad vulnus primis diebus convertunt, nulla habita ratione oſſis fracturæ. *Hi ſiquidem*, ut ait *Galenus* in hunc textum, *quod ad ulcus attinet non male curant; fracturæ tamen nullam rationem habent*; quod non bene quidem faciunt, ob cauſas, quas modo exponet Hippocrates.

(4) PURGATORIO. Medicamentum purgatorium, ſive purgans, eſt vox, quæ duas habet ſignificationes, aliam latam, aliam ſtrictam. Stricta ſignificatione, ſumitur pro purgante ſolum per alvum; lata vero, pro omni vacuante tum per internas, tum per externas corporis partes; adeo ut medicamenta, quæ in ipſis ulceribus ad detergendum, depurandumque imponuntur, purgantia vocari ſoleant, de quibus ſpeciatim in hoc textu Hippocrates locutus eſt. Quum autem vulnera, quæ fracturis accidunt, cum carnium laceratione, & contuſione fieri plerumque ſoleant, & hujuſmodi vulnera non ſine aliquali ſuppuratione curentur; nam ut ait *Hippocrates lib. de Vulneribus Capitis*; *Neceſſe eſt carnes contuſas, ac conciſas pus fieri, ac conſumi*, & magis diffuſe *in lib. de Ulceribus* dixit; *Neceſſe eſt carnes contuſas, ac diſſectas putreſcere, ac pus fieri, & eliquari, ac conſumi, & poſtea novas carnes naſci*; ideo non quidem magni quippiam mali illos facere dixit Hippocrates, qui vulnus aliquo medicamento digerente, ſive purgatorio curant, ſed tamen in eo peccare, quod oſſis fracturam negligunt.

(5) PICATUM. Ceratum picatum ex cera componitur, oleo roſato, & pice arida, ut innuit *Galenus in comment.* 1. *text.* 21., inquiens; *Interdum quidem colliquata cera in roſaceo, vel oleo, nonnunquam vero & illi additur aridæ picis aliquid. Ejuſmodi autem cerata, picata vocant*. Hoc ceratum ad vulneris curationem non damnat Hippocrates; quoniam ut ait *Galenus comment.* 3. *text.* 4. *Quod ceratum, quod picem accipit, tum levandi dolorem vim habeat, tum vero pus gignendi, omnes fere conſentiunt*. Si igitur fracturæ etiam proſpexiſſent, qui vulnus cerato picato curare conſueverunt, in eorum curandi ratione nihil reprehendiſſet Hippocrates; nam ut animadvertit *Galenus in comment. Hi ſiquidem, quod ad ulcus attinet, non male curant, fracturæ tamen inter initia nullam rationem habent, poſterius eam adhibentes deligationem, quam a principio eſſe adhibendam duximus*.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 214 sur 355

©BIU Santé

ex his, quæ facere ſolent, imponentes (6). Ego vero eos laudo, qui ſplenia vino imbuta, aut lanas ſuccidas, aut aliud quid hujuſmodi deligant (7). Ubi vero ulcera pura facta fuerint, & jam coaleſcunt; tunc multis linteis deligare, & ferulis dirigere conantur (8). Hæc quidem curatio boni aliquid facit, nihil autem magni mali (9): oſſa tamen non ſimiliter (10) in ſuam ſedem firmari poſſunt. Verum corpora

(6) IMPONENTES. Alios Medicos aliis etiam diverſis ceratis traumaticis uſos fuiſſe apparet ex formularum numero, quas ex *Gallo*, *Aniceto*, *Juliano*, aliiſque refert *Galenus lib. 2. de Compoſitione Medicamentorum per genera*; cujuſmodi cerati formula, ſub nomine cerati Barbari, reperitur quoque in *Antidotario Bononien. part. 1. pag. 270.* cui non abſimilem formulam legimus apud *Celſum lib. 5. cap. 19.* Hippocrates ergo non magni quippiam mali eos facere ait, qui recenſita medicamina vulneri imponunt, ſed hos tamen male curare aſſerit, quia initio nullam rationem habent fracturæ.

(7) DELIGANT. Quoniam, ut ait *Galenus lib. 4. Method. Meden. Omne ulcus, qua ulcus eſt, ut ſanetur, mediocriter exſiccari poſtulat*; nam, quemadmodum ſcripſit *Hippocrates lib. de Ulceribus*; *Siccum ſano propius eſt, & humidum non ſano: eſt enim ulcus humidum, quod vero ſanum eſt, ſiccum*; ideo citius exſiccari, ac ad cicatricem perduci vulnus poteſt, cui vinum adhibetur, quam ſi purgatorium remedium, aut ceratum picatum, aut aliud quid ſimile imponatur. Hinc magis illos laudat Hippocrates, *qui ſplenia vino imbuta, aut lanas ſuccidas, aut quid hujuſmodi deligant*. Vinum enim exſiccat, ac detergit, ut idem *Hippocrates* ſcripſit *lib. 2. de Diæta*; *Vinum calidum eſt, & ſiccum. Habet & purgatorium quiddam a materia*.

(8) CONANTUR. Hujus ſectæ Medici, neque linteis oſſa fracta deligare, neque ferulis dirigere conſueverunt, niſi poſtquam ulcera pura facta fuiſſent, & jam coaleſcerent; ideo quamvis omnes ob hanc curandi rationem eſſent reprehendendi; illos tamen inter eos laudat, qui ſplenia vino imbuta vulneri imponebant. Vino enim breviori temporis ſpatio ad cicatricem vulnus perduci poterit, quam cerato picato, aut purgatoriis remediis; unde His citius, & quandoque adhuc in tempore opportuno, oſſa linteis deligare, & ferulis dirigere contigerit.

(9) MAGNI MALI. Qui medicamento purgatorio, aut cerato picato, aut ſimilibus vulnus curare aggrediebantur, *neque magni quippiam boni, neque mali* illos facere, aſſerit; de his autem, qui ſpleniis vino imbutis utebantur, utpote magis ad veram medendi rationem accedentes, dicit; *Hæc quidem curatio boni aliquid facit, nihil autem magni mali*.

(10) SIMILITER. Quamvis, qui vino medebantur, aliis citius oſſa in ſuum locum reponerent; illos tamen Hippocrates monet, quod *oſſa non ſimiliter in ſuam ſedem firmari poſſunt*, ac ſi prima die repoſita fuiſſent: quo enim citius oſſa reponuntur, eo melius, tutiuſque id fit; veluti idem præcipit *cap. 21.* inquiens; *Et maxime quidem omnes fracturas in prima deligatione, quantum ejus fieri debet, extendere oportet*. Quod efficere non equidem poterunt, qui uſque dum ulcus purum factum ſit, & jam coaleſcat, id non audent tentare; nam hoc non niſi poſt multos dies eveniet, ut ait *Galenus* in hunc textum; *Perſpicuum autem eſt, ſuppurare prius*

©BIU Santé

pora aliquanto tumidiora ea parte fiunt, quam ſit opportunum (11): fiunt autem & breviora (12) his, quibus utraque oſſa aut cubiti, aut tibiæ fracta ſunt (13).

prius ulcera, ac purgari, quam ad conglutinationem deveniant: quod tribus, aut quatuor diebus nequit fieri.

(11) OPPORTUNUM. Vulnus non ſecundum rationem deligatum, ac oſſa in ſuam ſedem non reſtituta, efficiunt, ut humorum ſtaſes, atque redundantiæ in parte affecta fiant, ex quo locus ille tumidior, quam ſit opportunum ad oſſa in naturalem ſedem dirigenda, feruliſque ſuſtentanda, evadet; nam ut dirigi oſſa facile poſſint, oportet, ut membrum gracile fiat, veluti monuerat *cap.* 5. ubi dixit; *Locus autem, qui deligatur, in omnibus deligationibus tenuior, ac gracilior comperietur: verum in ſeptimo etiam valde tenuis: & oſſa fracta magis moventur, & facilius ad correctionem ducuntur.*

(12) ET BREVIORA. Ex fracti oſſis, atque opportunæ deligationis neglectu, corpora aliquanto tumidiora ea parte fieri, quam ſit opportunum, dixit Hippocrates: ubi tamen a nobis ſubintelligi debet, quod membrum brevius etiam evadit: uti fere ſemper in ſimili caſu ſolet evenire, atque ex hoc comparativo; *Fiunt autem & breviora his*, Hippocratem id intellexiſſe apparet. Sic animadvertit *Galenus comment.* 3. *text.* 4. ubi ait; *Hoc peculiare eſt Hippocraticæ brevitati, ut id, quod in præcedenti ſermone prætermiſſum fuerat, dilucide ex his, quæ ſequuntur, aperiatur.* Revera non modo partes carnoſæ, ſed ipſa oſſa fracta, & non repoſita, a naſcente callo fiunt tumidiora, ex quo in priſtinam ſedem nequeunt coaptari, unde membrum brevius remanet; *Palladius in Schol.* ad hunc Hippocratis textum *ſect.* 3. ita ſcripſit; *Sæpenumero etiam procul oſſa inter ſe diſtabant, callo non permittente, ut ipſa in directum concedant.*

(13) FRACTA SUNT. In cubito, & tibia; ubi duo oſſa ſunt, ſi alterum tantum os fractum fuerit, non equidem breve id membrum fieri poterit; quoniam, ut ait *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. *Ubi alterum integrum eſt, plus opis in eo, quam in faſciis feruliſque eſt;* ſin vero ambo frangantur, tum quidem brevius fiet. Luculentiſſime hoc explicat *Galenus comment.* 3. *text.* 4. inquiens; *Verum membrum in his non evadit brevius, quum os alterum, quod integrum permanet, poſſit ejus naturalem ſervare magnitudinem. Ubi vero utraque confringuntur, una cum muſculis, ut antea oſtendimus, ſuperiores oſſium fractorum partes contrahuntur.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 216 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XXVIII.

Ulcera perfrigeratione ſanantes, male agunt.

ALii (1) vero rurſus ſunt, qui talia ſtatim linteis curant; & hinc, atque illinc linteis deligant, ulcus vero ipſum relinquunt (2), & perfrigerari (3) ſinunt: deinde ſuper ulcus purgatorium aliquod imponunt, & ſpleniis vino imbutis, & lanis ſuccidis curant (4). Hæc curatio mala eſt, & veriſimile eſt eos, qui ita curant, tum in aliis fracturis, tum in hujuſmodi maxime imprudenter ſe gerere (5): maximum

(1) ALII. In hoc capite aliam Medicorum ſectam damnat Hippocrates, quæ contrario a præcedentibus errore peccabat: illi enim Medici vulnus non male quidem curabant, fracturam vero nimis diu negligebant; iſti autem, quamvis fracturæ ſatis proſpicerent, vulneri tamen non rectam curandi rationem adhibebant; quam ob rem, quum majora mala ab horum methodo conſequantur, hos magis reprehendendos eſſe Hippocrates in hoc capite oſtendit. *Vid. not.* (2) *cap.* 27.

(2) RELINQUUNT. Hos nunc Hippocrates redarguit Medicos, quamvis *talia ſtatim linteis* curarent, quia hinc, atque illinc tantummodo deligabant, membrumque faſciis, ſive linteis convolvebant, ulcus vero nudum relinquebant; quod ob rationes, quas modo affert, maxime noxium eſſe declarat.

(3) PERFRIGERARI. Primum nocumentum, quo ab hac ratione curandi vulnus afficitur, eſt, quod per totum illud temporis ſpatium, quo hinc, & illinc fracturam hi Medici deligant, ipſum vulnus detectum relinquunt, & perfrigerari ſinunt. Quantum noceat frigus, quæque damna vulneribus, ac ulceribus inferre ſoleat; docet *Hippocrates Aphoriſm.* 20. *Sect.* 5., ubi ait: *Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, nigrores, rigores febriles, convulſiones, & tetanos.* Cujus aphoriſmi luculentiſſimas dederunt explanationes *Galenus*, *Hollerus*, *Gorterus*. Calidi autem utilitates *aphoriſm.* 22. ejuſdem ſectionis oſtendit idem *Hippocrates*, inquiens, quod calidum *Cutim emollit, attenuat, dolores ſedat, rigores, convulſiones, tetanos mitigat: capitis vero gravitatem ſolvit, plurimum autem confert oſſium fracturis; maxime vero denudatis.* Quum igitur, qui fracturam hinc, illinc utrinque deligant, ulcus autem ipſum relinquunt, & perfrigerari ſinunt, incongruam curationem agant; ideo hanc medendi rationem damnat Hippocrates.

(4) CURANT. Præfatis deligationibus hinc & illinc peractis, ceratum picatum, vel aliud ſimile medicamentum digerens hi Medici ulceri imponebant, ſpleniiſque vino imbutis, aut lanis ſuccidis totam hanc partem, quam non deligatam, atque nudam reliquerant, curabant; ex quibus omnibus decernit Hippocrates his verbis: *Hæc curatio mala eſt.*

(5) GERERE. In *cap.* 5., ubi generalem fracturas ſimplices curandi doctrinam Hippocrates tradidit; ita monuit: *Poſtea linteo deligare, initio ejus*

ſupra

©BIU Santé

ximum enim eſt cognoſcere, quomodo initium lintei injicere oportet, & qua parte maxime comprimere: & quæ utilitas contingat, ſi quis initium lintei recte injiciat, & qua maxime oportet parte, premat (6): & quæ detrimenta inducantur, ſi quis non recte injiciat, neque qua maxime oportet premat, ſed hinc, atque illinc id faciat: & dictum quidem eſt etiam in ſuperioribus (7), quæ ex utriſque eveniant. Teſtatur autem & ipſa hæc medicina (7*): neceſſe eſt enim ei, qui ita deligatur, tumorem ad ipſum ulcus elevari; etenim, ſi ſanum corpus hinc, atque illinc fuerit deligatum, in medio vero relictum, juxta relictum utique ſpatium maxime intumuerit, ac decoloratum reddetur (8); quo modo ulcus hæc non perpetietur? neceſſe igitur eſt, ut ul-

ſupra fracturam injecto, ita ut firmet quidem, non tamen admodum premat; atque hic licet agat de fractura cum vulnere, de ea tamen in hoc capite loquitur, de qua *ſpes eſt ſimplici modo curari poſſe*, qualem deſcripſit *cap.* 27.; ideo quum hi Medici ſupra hujuſmodi fracturam initium faſciæ non injicerent; de his non abſque ratione ſuſpicatur Hippocrates, quod quoniam ita curant, in aliis quoque fracturis, quæ abſque vulnere ſunt, æque male ſe gerere conſueverint.

(6) PREMAT. Hoc præceptum chirurgicum, quod eſt ad praxim utiliſſimum, quamplurimi non attendunt; ſed omnem curationis effectum a ſola variorum remediorum, quæ imponunt, virtute expectant: ſed male hi agunt, dum interim negligunt utilitates, quæ contigiſſent, *ſi quomodo initium lintei injicere oportet, & qua parte maxime comprimere*, advertiſſent. Hoc *maximum eſt cognoſcere*, ait Hippocrates; atque juſta deligandi, comprimendique ratio non ultimum habet locum, magnique momenti res eſt, non modo in his, ſed in aliis etiam quibuſcunque vulneribus, & ulceribus; quoniam plurimæ ex hoc utilitates, aut damna erui poſſunt, veluti ex Hippocrate inferius apparebit.

(7) IN SUPERIORIBUS. Detrimenta quæ ſequerentur, ſi quis faſcias non recte injiceret, neque qua maxime oportet premeret, *dictum quidem eſt* ab Hippocrate *etiam in ſuperioribus*, ubi ſcripſit: *Siquidem enim hanc prius deligaveris, ſanies ex hac ad extremitates hinc, atque illinc exhauriuntur. Si vero aliquam aliam partem prius compreſſeris, in illam ex compreſſu exhauriuntur. Vid. not.* (44) *cap.* 5.

(7*) MEDICINA. Medicina, ars ſcilicet medendi, ſive praxis clinica, hujus aſſerti veritatem teſtatur.

(8) REDDETUR. Maximum meritum, atque dignitas librorum Hippocratis, quibus ipſe divini nomen promeritus fuit, ab eo dependet, quod omnia præcepta, omnemque doctrinam, qua ipſos ornavit, non a priori, a præconceptis ſcilicet hipotheſibus, ſive lubricis ſæpe ratiociniis, ſed a ſubſequenti, ab obſervationibus ſcilicet, & fida experientia deduxerat: atque iis potiſſimum experimentis uſus ſemper fuit, de quorum certitudine minime eſſet dubitandum. Sic modo, ut vera eſſe oſtenderet, atque probaret ea, quæ aſſeruit, experimentum offert, quod quantum id ſimplex, tantundem eſt verum, atque tutiſſimum. Quum igitur affirmaverit, quod *neceſſe eſt ei, qui*

©BIU Santé

ulcus quidem decoloratum (9) ſit, & labiis everſum (10), ac protuberans (11), verum lacrymoſum, & non ſuppurans (12): oſſa vero etiam

qui ita deligatur, tumorem ad ipſum ulcus elevari; luculentiſſimo experimento, id noſci poſſe affirmat, ſi ſanum corpus hinc, atque illinc fuerit deligatum, in medio vero nullo vinculo comprehenſum.

(9) DECOLORATUM. Quum neceſſe ſit, ut ſpatium illud, ſive intercapedo, in qua vulnus hæret, in tumorem elevetur, quia id faſciæ non comprehenderunt; hinc omnibus iis damnis, quæ mox ordine recenſet Hippocrates, affici vulnus certo debet, primo inquiens: *Neceſſe eſt, ut ulcus decoloratum ſit.* Quamvis autem *decoloratum*, Adjectivum ſit, aliquid ſine colore ſignificans; hic tamen translate pro vitioſo, & turpi colore poſuit Hippocrates: veluti *Horatius Flaccus*, qui aquas ſanguine infectas decoloratas dixit *lib.* 2. *Ode* 1. dum cecinit:

Quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?

Ideo *Galenus comment.* 3. hanc vocem, *decoloratum*, idem ac inflammatum ſignificare oſtendit, nam *text.* 6. ſcripſit: *Si hic deligandi modus ſanis adhibitus, ad mediam eam partem inter deligatas interceptam, ſanguinem utrinque a deligatis detrudit, inflammationem concitat: quo unquam pacto id ipſum, & longe etiam magis in male jam affectis partibus non efficient?* atque *text.* 7. dixit: *Totus præterea locus is decolor evadit, nec injuria quidem: nam & id eſt ſymptoma ingentis inflammationis.* Ergo unum ex ſymptomatis, quæ ſic deligato vulneri accidunt, eſt, quod decoloratum, ſive inflammatum ſit ulcus.

(10) EVERSUM. Quum partes inflammatæ majorem ſemper ſanguinis quantitatem in turgentibus vaſis contineant; atque laxa membranæ adipoſæ, ſive tunicæ celluloſæ compago præcipua inflammationis ſedes ſit; hinc per vulneris hiatum, ubi nulla ſit reſiſtentia, potiſſimum inflammata membrana celluloſa exſurgens, ac prominens, vulneris labia retorquet, atque evertit.

(11) PROTUBERANS. Inflammatione non modo vulneris labia evertuntur, verum etiam totum vulnus una cum vicinis partibus in tumorem attollitur, atque protuberat; ut unicuique vel parum in re chirurgica verſato compertum eſt.

(12) NON SUPPURANS. Pleraque vulnera, eaque præcipue, quæ cum laceratione, atque contuſione inflicta fuerunt, nequeunt ad cicatricem perduci, quin prius in eorum cavo aliqualis ſuppuratio fiat; nam ut ait *Vanſwietenus in comment. aphoriſm.* 158. *n.* 7. *Pus ſic natum in vulnere pulcherrimos effectus præſtat: hac enim via utitur natura, ut ſcilaceras partes, inflammata vaſorum extrema, una cum infarctis liquidis, in labiis, & fundo vulneris hærentia, ſolvat, & a partibus vivis, & ſanis ſeparet: deinde ſub hoc pure facto recreſcunt omnia perdita.* Tale pus, ut præfatos effectus vulneri inducat, eas conditiones habere debet, quas recenſet *Hippocrates lib. Prænotionum*, ubi ait: *At vero pus optimum eſt, ſi eſt album, & æquale, & leve, & quam minime graveolens;* & in libro de *Judicationibus* puris prava, vel bona qualitate, ita prænunciat: *Nam ulcera ſi repurgantur pure albo, celerem curationem indicant: ſi vero in ſanioſos humores tranſmutentur, maligna fiunt.* Quoniam autem, ut optima fiat ſuppuratio, moderatus quidam fluidorum vitalium motus, atque temperies requiritur, ut vis vitæ in parte affecta, nec torqueat nimis, neque nimio impetu excitetur; deliga-

tio-

©BIU Santé

etiam, quæ diſceſſura non erant, diſcedant (13): ſed & pulſans, & febriens (14) ulcus fuerit. Coguntur autem propter tumorem cataplaſtiones vero illæ efficiunt, ut liquida in intercapedine non deligata ſtagnent, corrumpantur, calefiant, totamque affectam partem magno niſu diſtendant, ideo laudabilis ea ſuppuratio fieri nequit; quare non optimum, verumque pus; *Sed* (ut ait *Galenus in comment. text.* 7.) *ſanies quædam tenuis, crudaque ex ulcere deſtillat, juxta ac ex oculis inflammatione laborantibus lacryma: a quorum ſimilitudine per translationem Hippocrates ulcus hoc modo affectum lacrymoſum hic appellavit.*

(13) DISCEDANT. Duplici modo oſſa, *quæ diſceſſura non erant*, diſcedent; nam vel diſcedet aliquod oſſis fragmentum, quod, ſi ulceris curatio optime proceſſiſſet, cum reliquo oſſe iterum conglutinari potuiſſet; vel corrupto perioſteo, oſſis ſuperficies carioſa evadet, quæ niſi diſcedat, ulcus ad cicatricem perduci nunquam poterit. Hæc omnia ulcus ab utraque parte devinctum, quod turgidum fit, inflammatum, & non ſuppurans, ſed lacrymoſum, & potius ad necroſin tendens, producere poteſt: nam ſi inflammatio eo pervenerit, ut liquida magno niſu ſtagnent, tunc gangræna, atque corruptio uſque ad oſſa fient; ſin minus inflammata pars, citius, vel ſerius in ſuppurationem uſque ad os abibit; ex quibus utriſque cauſis, ulcus longæ, difficiliſque erit curationis, atque os abſcedere debebit. Dixerat enim *Hippocrates Aphoriſm.* 45. *Sect.* 6. *Ulcera quæcumque annua fiunt, aut longius tempus occupant, neceſſe eſt, os abſcedere, & cicatrices cavas fieri.* Ideo in hoc textu monet, quod hac mala curatione vulnus in pravum, diuturnumque ulcus converti poterit; ex quo fiet, ut *oſſa etiam, quæ diſceſſura non erant, diſcedant.*

(14) FEBRIENS. In omnibus vulneribus, in quibus ſuppuratio fit, aliquis major calor ſemper oritur, & pulſus celerior eſt; ſed confecto pure, hæc omnia ceſſant; & hoc non modo vulneris curationi non nocet, immo prodeſt potius; *quatenus*, ut ait *Van-ſwiet. comment. aphor.* 158., *per hanc febriculam pus naſcitur, pure autem facto, ſolet plerumque ceſſare.* Sed in hoc vulnere inflammato, ubi vaſa nimis turgent; & in hac parte utrinque deligata, ubi vaſorum diametri anguſtiores ſunt, ea omnia majora fiunt, neque per blandam ſuppurationem cito ceſſant; *ſed & pulſans, & febriens ulcus fuerit;* nam ut ait *De Sauvages Noſolog. Med. Claſſ.* 3. §. 147. *Pulſatio arteriarum eſt effectus colliſionis ſanguinis, qui cum velocius ſubſequatur, quam alter antecedit, colliſionem patitur, & ad latera diffluit, & ea colliſio eſt in ratione vis emboli prementis, & duplicata velocitatis reſpectivæ.* Febris autem, quamvis ſit, ut ait *Fernelius lib.* 4. *cap.* 1. *Calor præter naturam e corde in omne corpus effuſus*; datur tamen quandoque in partibus inflammatis talis calor peculiaris, & ſenſus pulſationis cum celeritate motus, ut in ea tantum parte febris adeſſe videatur: ſic *Boerhaavius aphor.* 579. *In omni febre, oritur calor, major, minor, brevis, diuturnus, internus, externus, univerſalis, vel loci pro varietate febris.* Hujuſmodi febris localis ſæpe obſervatur: veluti in paronichia incipiente, ubi digiti affecti extremitas tumet, rubet, pulſat, atque adeo calet, ut hunc digitum febrire diceres. Legi merentur, quæ de pulſatione in partibus inflammatis, quæ febri-

©BIU Santé

plasmata insuper imponere, quod & ipsum incommodum est his, qui hinc, atque illinc deligantur. Pondus enim inutile ad reliquum pulsum accedit (15). Postremum vero deligamenta resolvunt, ubi jam malum

febrientes dici possent, *in comment. aphor.* 382. *num.* 7. scripsit *Van-swietenus*; ubi post suam theoreticam expositionem, his verbis concludit: *Pulsus ergo augetur in parte inflammata, & suo rubore, & velocitate auctis superans naturalem percipitur distinctissime*. Veteres Medici rigidissimi naturæ observatores, hoc non ignorabant; *Galenus enim comment.* 3. *in lib.* 6. *de Morb. Popular.* ait: *Sæpe cutis vel etiam universa nullum videtur præter naturam habere conspicuum calorem, neque nobis exterius tangentibus, neque etiam ipsismet laborantibus: quem tamen interne, & in profundo ipsi ægrotantes sentiunt; ajunt enim viscera sibi ardere*. Ut igitur inflamationis, atque caloris gradum, ipsius etiam ægrotantis sensu, ad quem pars ita deligata perveniet, ostenderet, & *pulsans*, & *febriens ulcus fuerit*, dixit Hippocrates.

(15) ACCEDIT. Hi præterea, qui hac methodo deligare consueverunt, non advertentes, aliud quoque afferunt incommodum, quum ob subortam inflammationem refrigeratoria cataplasmata insuper cogantur imponere, quæ proprio pondere partem affectam jam pulsantem, & febrientem magis vexant. Hippocrates igitur, incommodum, atque inutile pondus cataplasmata inflammato vulneri afferre putat; quod etiam monet *lib. de Ulcerib.*, ubi ait: *Quanquam aliqua ulcera, neque cataplasma ferre possint, magis autem recentia, quam vetustiora, & quæ sunt in articulis*. Vulneribus igitur admodum dolentibus, atque inflammatis incommodum est remedium cataplasma, atque inutile pondus. Præceptum hoc, quod ægros respicit a dolore, quoad ejus fieri potest, levandos, pauci quidem advertunt; sed absque ullo discrimine inflammatas, dolentesque partes ponderosis opprimunt cataplasmatis, ex quo dum ægrotis succurrere putant, illi miseri ob auctum eo pondere dolorem, noctu, diuque excruciantur, atque conqueri coguntur. Verum non in omnibus inflammatis ulceribus cataplasmatis usum damnat Hippocrates; nam *lib. de Affectionibus num.* 37. scripsit: *Inflammata cataplasmatis frigefacito*; ubi plurimas cataplasmatum formulas, eorumque qualitates recenset, atque in fine ait: *Si vero nil horum habueris, neque ulluu aliud cataplasma, polentam aqua, aut vino subactam, imponito*. Ex quo elicere debemus, quod vulnerum, ulcerumque curatio, non in peculiari hujus, vel illius remedii scrupulosa perquisitione consistit; sed in prudenti, opportunaque eorum collocatione; nam ex ipsis rebus familiaribus, quas ad vitæ usum adhibemus quotidie, remedia deligi possunt, quæ omnibus indicationibus satisfaciant. Morborum enim, non famigerata remedia, sed natura est vera medicatrix, quæ si auxilium ab arte expostulat, doctus Medicus, optimisque præceptis imbutus, quid ei opus sit, cognoverit, & facile conquisiverit. Hanc veritatem noverat Hippocrates, & non ignorarunt veteres illi eximii Medici, qui eum secuti sunt; ideo *Celsus lib.* 2. *cap.* 33. postquam plurimas remediorum formulas, quibus varii Medici uti consueverant, recensuit, ita concludit. *His autem omnibus & simplicibus, & permixtis varie Medici utuntur, ut magis, quid quisque per-*

©BIU Santé

malum ipſis recrudeſcit, & de cætero citra deligationem curant (16). Neque vero minus, etiam ſi aliud quoddam ejuſmodi vulnus acceperint, eodem modo curant: non enim deligationem hinc, atque illinc factam, & ulceris perfrigerationem, in cauſa eſſe putant, ſed aliud quoddam infortunium (16*). Attamen de hoc tam multa non ſcripſiſſem, ſi non certo ſcirem incommodam eſſe hanc deligationem (17), & mul-

perſuaſerit ſibi, appareat, quam quid evidenter compererint. Poterit igitur prudens Chirurgus hanc dolentem partem, & inflammatam delinire, quin onerosa cataplaſmata imponet, *ne pondus inutile ad reliquum pulſum accedat*.

(16) CURANT. Ægritudinem recrudeſcere, dicere conſuevit Hippocrates, quum aliquis morbus pravis cum ſymptomatis in deterius vergit, vel in alium pejorem morbum degenerat, ut *not.*(1) *cap.* 13. adnotavimus. Quoniam igitur vulnus ita deligatum, hacque ratione curatum recrudeſcit; ne pars inflammata, ac utrinque faſciis (quæ a partis tumore ſtrictiores etiam ſemper evadunt) diutius conſtricta in necroſin abeat, deligamenta hi Medici reſolvere coguntur, *& de cætero citra deligationem curant*; quod non ipſis accideret, ſi recta medendi ratione, ut mox exponet Hippocrates, uterentur.

(16*) INFORTUNIUM. Optandum maxime eſſet, ut vel omnes Medicorum ſcholæ, atque libri optimum, rectumque docerent; vel auditorum animi ita eſſent prudentia, ſagacitate, ac docilitate præditi, ut vera a falſis ſecernere poſſent, neque præceptoris fama, aut auctoris nomine præoccupati, in eorum præceptis, atque medendi methodis, etiam citra rationem, atque experientiam, nimis tenaciter perſiſterent. Hoc in omnibus ſcientiis, atque artibus maximum malum eſt; ſed cavendum præcipue eſſet in medicina, quæ ſanitatem, atque hominum vitam complectitur. At nonnulli adeo pertinaces ſunt in iis, quibus ſemel imbuti fuere, ut veritatem non diſcernant, immo eam noſcere refugiant; idque ſolum habeant ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Calamitatem hanc Medicis enarrata methodo utentibus accidiſſe narrat Hippocrates. Hi quippe, etſi vulnus hac ratione curatum recrudeſcere, atque in deterius converti, non ſine ægroti vitæ diſcrimine, conſpexiſſent; attamen *neque minus etiamſi aliud quoddam ejuſmodi vulnus acceperint, eodem modo curant*: quare? quia minime adduci poſſunt, ut credant, deligationem, quæ hinc, atque illinc injicitur, atque ulcus ipſum nudum relictum, iſtorum eſſe cauſam, *ſed aliud quoddam infortunium*; ſcilicet, aut vulneris qualitatem, aut ægroti temperamentum, aut temporum conſtitutiones accuſant, ita ut eorum errores neque in ipſa experientia diſcernant.

(17) DELIGATIONEM. Paucis multa complecti in ſuis ſcriptis Hippocrates conſuevit; neque longa oratione, ſed graviter, ac ſapienter morborum prænotiones, prognoſtica, differentias, ac curationes, veluti oracula, paucis effudit. Ubi vero non ſua præcepta tradit, ſed aliorum hallucinationes, atque errores detegit, atque refellit, depoſita ſua concinna, reſtrictaque ratione dicendi, omnia tunc, quæ rem in apertum prodere poſſunt, ut veritas eluceſcat, erroreſque dediſcantur, prolixa potius oratione percurrit, ac

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 222 sur 355

©BIU Santé

multos esse, qui ita curent (18), & magni momenti esse hanc rem dediscere, & testimonio hæc esse, quod recte scripta sint ea, quæ prius scri-

discutit. Probe enim cognoverat, difficilius esse errorem jam insitum evellere, quam veritatem in animum liberum, solutumque præjudiciis infundere. Hanc suam scribendi consuetudinem, jam in *cap.* 1. adnotavimus, ubi dixerat Hippocrates: *Verum cogor plura de hoc scribere, quod sciam medicos esse, qui sibi sapientes esse videntur ex figuris manus in deligatione, ex quibus ipsos indoctos esse putare oportebat.* Et ad calcem capitis tertii, postquam plurimis solidissimis rationibus, atque experimentis omnes illorum Medicorum errores prosequutus fuerat, exclamavit: *Tanta sane, ac talia sint peccata, & ignorantiæ naturæ manus.* Hippocrates igitur, qui præter suum institutum, plura in hanc deligandi rationem se scripsisse cognoverat; ut necessitatem, qua id facere coactus fuerit, ostenderet, deque sua sinceritate nos certos redderet: dixit: *Attamen de hoc tam multa non scripsissem; si non certo scirem incommodam esse hanc deligationem.*

(18) CURENT. Mirum non est, si temporibus Hippocratis multi fuerint, qui has fracturas ita deligarent, rationi licet, & experientiæ hanc methodum contrariam esse Hippocrates declaraverit, & illi Medici noscerent, quod neque ipse Hippocrates, neque celebres alii Scholæ Coæ Fautores hujusmodi fracturas cum vulnere tali modo deligare consueverint: nam quum alii etiam principes artis Medicæ præceptores tunc florerent, qui Hippocratis famam, dignitatemque æmulabantur, ut *not.* (1) *cap.* 3. adnotavimus; quique suorum majorum præceptis, atque dogmatis firmiter hærebant; in diversas horum vulgus sententias scindebatur, & alii Hippocratis scholæ, alii aliorum erant addicti; unde variæ tunc medendi rationes vigebant; quod quum Hippocrates non ignoraret, ideo dixit: *De hoc tam multa non scripsissem, si non certo scirem incommodam esse hanc deligationem, & multos esse, qui ita curent.* Sed quod admirationem movere maxime debet, est, quod quamvis multis abhinc jam sæculis Hippocratis nomen aliis omnibus Medicis famæ, principatusque palmam præripuerit, solaque ejusdem scripta, ex iis sapientissimis Veteribus, nobis superfuerint, & ejusdem præcepta ab omnibus Medicis uno ore pro oraculis excepta fuerint, divinique eum nomine salutaverint; attamen non defuerunt, etiam in iis, qui presso pede Hippocratem sectari constituerunt, qui hanc pravam rationem curandi inirent, quin ullam de his Hippocratis monitis mentionem facerent, neque rationem redderent, cur in hac re ab ejusdem vestigiis aberraverint. Sic *Paulus Ægineta* vulnus ita deligandum esse censet *lib.* 6. *cap.* 107. *Circulares itaque fasciæ, partibus vulneris utrobique injici debent: oblique vero per ulceris longitudinem, ut in litteræ Græcæ X; similitudinem, concluſio omnium fiat.* *Paulum* in hujus fracturæ curatione ad verbum sequutus quoque est *Tagaultius lib.* 4. *cap.* 3. *Paræus* tamen, qui Hippocratis methodum inculcat, optimamque esse cognoverat, hanc *Pauli*, ejusque sectatorum praxim his verbis reprehendit *lib.* 14. *cap.* 24. *Hæc eo consilio mihi inculcare visum est, quod plerique adhuc reperiuntur, qui Pauli praxim sequuntur, ac convolutiones multas hinc inde supra infraque vulnus faciunt, quas mox decussatim referunt. Sed calathratum id, & fenestratum deligationis genus, omnino est improbandum: atque id modo usurpandum, quod*

©BIU Santé

ſcripta ſunt: ſive maxime premendæ ſint, ſive minime ipſæ fracturæ (19).

quod ante ex Hippocratis mente deſcripſimus. Sic etiam *Avicenna*, *Rhaſis*, *Lanfrancus*, *Rogerius*, *Guido a Cauliaco*, *Pigræus*, aliique, aut utrinque deligant, vulnuſque detectum relinquunt, aut faſcias perforatas adhibent: quin *Avicenna* ferulam quoque ſupra vulnus perforatam imponit, ut pus expurgari per ea foramina queat, & liciniis, & unguentis curari. Horum autem Scriptorum auctoritas, atque librorum Hippocratis neglectus, aliorumque præſtantiſſimorum Auctorum, tum veterum, tum recentiorum, qui Hippocratem ſequuti ſunt (quos paulo poſt recenſebimus) parum accuratæ collationes, effecerunt, ut non modo temporibus Hippocratis, ſed ad hunc uſque diem quamplurimi ſint, qui in hunc errorem incidant, quin immo multum hi ſibi ſapere videntur, dum fracturarum vulnera utrinque deligant, quam deligationem, *feneſtratam*, vocant. Quoniam igitur hæc prava deligandi methodus etiamnum viget, de qua dixit Hippocrates: *Tam multa non ſcripſiſſem, ſi non certo ſcirem incommodam eſſe hanc deligationem*: ideo ut tunc, ita & nunc quoque dicere poſſet, ſe ſcire *multos eſſe, qui ita curant*. Clariſſimus *Van-ſwietenus*, qui medendi præſtantiam Hippocratis methodo noverat, & qui ſciebat, multos nunc quoque eſſe, qui ea ratione, quam in hoc capite Hippocrates damnat, medentur, hos pariter, ad Hippocratis exemplum, increpans, *comment. aphor.* 356. ait: *Peccant illi, qui ſic deligare conantur, ut faſcia ſpiralis vicina premat tantum, vulneris vero locum liberum relinquat, vel exciſſo in faſcia foramine feneſtram quaſi relinquunt in loco vulneris. Dum enim omnia vicina conſtringuntur faſciis, ſolum vulnus liberum relinquitur, major humorum impetus, & copia urgebunt vulneris locum, unde inflammatio, carnis fungoſæ protuberantia, & ſimilia mala orientur.*

(19) FRACTURÆ. Si quis probe intellexerit, quæ generatim circa deligationem fracturarum in *cap.* 5. docuit Hippocrates, clare cognoverit, ea omnia recte ſcripta eſſe; atque hinc illa ipſa teſtimonio eſſe, atque oſtendere, quod magni momenti res eſt, hanc utrinque vulnera deligandi rationem dediſcere: ex iis enim modus innoteſcit, quo utiliter deligandæ, quantumque comprimendæ ſint fracturæ.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 224 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XXIX.

Vlcerum horum eadem, quæ eorum quibus os fractum eſt curatio. Victus horum ratio.

OPortet autem, ut in ſumma dicam, his, quibus non eſt futuri diſceſſus oſſis expectatio (1), eandem curationem adhibere, velut his, quibus os fractum fuerit, ulcus autem non habent: nam & ex-

(1) EXPECTATIO. Hactenus Hippocrates duobus capitibus præcedentibus aliorum Medicorum errores in hujus fracturæ curatione detexit; nunc vero ad ſuam medendi rationem exponendam progreditur, quæ præſtantiſſima omnino eſt reputanda, & quam quiſque ſequi debet, ut curatio optime procedat; nam oſtendit experientia, tutiſſimam hanc eſſe, hacque ſola nos cito poſſe, & jucunde ad ſanitatem ægros reſtituere. Verum non poſſumus in admirationem non commoveri, quum videamus tot inter auctores, qui poſt Hippocratem de fracturis cum vulnere docuerunt, adeo paucos reperiri, qui tanta prudentia, ac perſpicuitate, quanta Hippocrates, ſcripſerint. Is enim hoc in textu diſtinctam primum, ſpecialemque curationem tradidit illius fracturæ cum vulnere, in qua neque os denudatum eſt, neque oſſis fiſſi diſceſſio expectatur; cujuſmodi diſtinctionem, quæ non parvi momenti eſt pro curatione, plerique ſcriptores prætermittunt, unam ſemper, eandemque deligationem pro quibuſvis fracturis cum vulnere exponentes. Recentiores enim Chirurgi, veluti *Petitus*, *Col de Vilars*, *Junkerus*, *Heiſterus*, *Platnerus*, *de Gorter*, aliique uno ore pro fractura cum vulnere, ullo abſque diſcrimine, celebratiſſimam tantummodo illam eorum faſciam octodecim capitum omnes proponunt, qua certe Hippocratis indicationibus, pro ea fractura, de qua in hoc textu agit, minime ſatisfacere poſſumus. Hujus tamen faſciæ octodecim capitum, quam Veteribus incognitam fuiſſe ait *Heiſterus*, præſtantiſſimum uſum in aliis diverſis fracturis cum vulnere habere poſſe fatemur, quamvis non magni facienda ſit in ea fractura, de qua ſpeciatim nunc agere intelligit Hippocrates; atque etiam hujuſmodi faſciam non prorſus incognitam Hippocrati fuiſſe, inferius forſan apparebit. Alii auctores, inter quos *Celſus*, *Oribaſius*, *Paræus*, vulnus, uti Hippocrates monet, deligare quidem docent, ſed in eo deficiunt, quod cautiones, differentiaſque fracturarum, atque deligationum, quas refert Hippocrates, prætermittunt. Alii autem adeo Hippocratem ſequuti ſunt, ut integrum, merumque ejus textum in eorum libris retulerint, uti *Theodoricus*, *Vidius*, *Fabricius ab Aquapendente*, *Sculletus*, *Magatus*, *Pecettus*, *Municks*, aliique. Sed inter hos Hippocraticos multam hic laudem meretur *Theodoricus*, quoniam nullus ipſo magis appoſite, propriaque experientia confirmatam, hanc Hippocratis methodum tradidit; eamque Chirurgorum animis enixe inculcare quoque ipſe non deſtitit, etiamſi ea ætate floruerit, quum nulla fere amplius Chirurgia ſuperſtes eſſet; artes enim omnes, atque

©BIU Santé

extenſiones, & directiones, ac coaptationes oſſium eodem modo facere oportet, & conſimilem deligationem: ſuper ipſum enim ulcus ſplenium tenue duplex picato cerato illitum deligandum eſt (2), & circumſitæ partes cerato albo illinendæ (3). Verum lintea, & reliqua ia-

que ſcientiæ temporibus illis fuerant ignorantiæ tenebris deletæ, atque omnia prorſus barbariem necdum extinctam redolebant: floruit enim *Theodoricus* ſæculo XIII. Ex his igitur variis deligationum methodis cognoſcimus, quod in hac re aliqui auctores non bene docuerunt; alii non ſatis accurate; alii vero, qui Hippocratem ſequuti ſunt, rectam viam, præ aliis, inierunt, quamvis æque omnibus Hippocratis doctrina præfulſerit. Magni ergo intererit varias auctorum opiniones conferre, ut quid huic curationi conducibilius, magiſque experientiæ fuerit conſentaneum eligamus.

(2) DELIGANDUM EST. Quoties igitur fracturam cum tali vulnere curare debebimus, ut neque oſſis denudatio ſit, neque diſceſſus alicujus fragmenti expectetur, tunc extenſiones, & directiones, ac coaptationes oſſium eodem modo facere oportet, & conſimilem deligationem, veluti his, quibus os fractum fuerit, ulcus autem non habent. Idem ſcriptum eſt in collectione *Nicetæ* ex *Oribaſio*. *In fracturis cum vulnere, ubi nullum parvulum fragmentum oſſis emineat, vel abſceſſurum videatur, eodem deligationis modo utendum eſt, quem ad fracturas ſine ulcere præcepimus.* Verum ad peculiarem vulneris curationem, aliqua nunc addit Hippocrates, quibus opus non eſſet in fractura ſimplici: præcipit enim primum, ut ſuper ipſum ulcus ſplenium tenue duplex, cerato picato illitum, deligemus. Quomodo hoc ceratum picatum conficiatur, diximus *not.* (5) *cap.* 27. *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. ait; *Omnibus autem his vulneribus imponendum primo linamentum eſt vino madens, cui roſæ paulum admodum adjectum ſit.* Hippocratis methodum *Cæſar Magati lib.* 2. *cap.* 6. ſequutus eſt, inquiens; *Hippocrates cerato utitur picato, nos eodem utimur, & etiam ipſa terebinthina, & aliis quibus in vulneribus talibus citra oſſis fracturam uteremur ..... poſtea linteo poſca imbuto partem circumvolvimus, ac demum deligamus.* Recentiores autem Chirurgi balſamis, oleiſve balſamicis, aut remediis digerentibus curant; linteiſque aut vini ſpiritu, aut poſca madidis circumpoſitas partes contegunt; ſed a pinguibus, atque oleoſis in hujuſmodi vulneribus cavendum maxime eſt; *Quippe*, ut ait *Galenus lib.* 6. *Method. Meden. cap.* 5. *putreſcunt ſive oleo quis utatur, ſive cerato; cum poſtulent amplius, quam reliqua ſiccari, utpote vitio ipſo reliquis majore; quin etiam medicamenta quoque omnia exſiccantium ſint numero, ſicuti Hippocrates præcipit.* Huic autem vulneri ceratum picatum, quo Hippocrates utitur, præ aliis remediis utilius omnino erit; id nanque digerens eſt, atque ſimul ſua exſiccante, lenienteque qualitate, vulnus ad cicatricem cito perducet: neque circum vulnus adeo hærebit, ut difficulter poſtea, nec abſque dolore detegatur; quemadmodum accidere ſolet, quum linteum ſupra vulnus vel vino imbutum, vel poſca, vel aqua tepida, vel aliis remediis aquoſis, & areſcentibus adhibetur.

(3) ILLINENDÆ. Ut inflammatio arceatur, doloreſque leniantur, partes vulneri circumſitas laxare oportet; ſic enim facilius ſanguinis circulatio expedietur, humorumque ad dolentem par-

©BIU Santé

latiora, aliquantum fiſſa ſint magis, quam ſi non ulcus haberent (4): & id, quo primum deligamus, multo latius (5) ſit ipſo ulcere. Quæ enim anguſtiora ſunt, quam ulcus, cinctum ulcus tenent, id quod fieri non convenit: ſed prima circumductio totum ulcus comprehendat, & linteum hinc atque illinc præmineat (6). Itaque ſecundum ulceris rectitudinem, linteum injicere oportet (7), & premere paulo minus, quam ſi ulcus non haberent (8). Diſtribuenda vero eſt deligatio, velut etiam prius dictum eſt (9). Lintea autem ſemper quidem mollis modi

partem affluxus cohibetur; mechanica enim corporis viventis proprietas eſt, ut ubi erethiſmus excitatur, humores illuc convocentur; unde ad humores revellendos epiſpaſticorum indicationes ortæ ſunt in Medicina. Hoc Hippocratis ceratum, quod ex ſolacera, & oleo conficitur, ut *not.* (3) *cap.* 5. adnotavimus, optimum erit remedium ad dolorem demulcendum, arcendamque inflammationem. *Paulus Ægineta* aqua, vel poſca faſcias madefacit; Recentiores ſpiritu vini plerique utuntur; quæ omnia, & ſimilia, ad hæc accommodata eſſe poſſunt; ſed ad illinendas circumſitas vulneri partes ceratum album Hippocratis erit aptiſſimum.

(4) HABERENT. Aliam cautionem nunc docet Hippocrates, quæ attendi debet, ubi fracturæ vulnus acceſſerit; monet ſcilicet, ut lintea, & faſciæ, late magis ſcindantur, quam ſi vulnus non adeſſet.

(5) LATIUS. In decernenda linteorum, & faſciarum latitudine, ratio habenda eſt ad vulneris magnitudinem, quoniam & ſplenium, quod cerato picato illitum vulneri adhibetur, & prima faſcia, quæ ſupra vulnus injicitur, multo latiora ipſo vulnere eſſe debent. Hoc eriam monuit *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. inquiens. *Cæterum eadem deliganda faſciis ſunt, aliquanto quam vulnus latioribus.*

(6) PRÆMINEAT. Ratio, quare id linteum, quo primum deligamus, multo latius ipſo vulnere eſſe debeat, eſt, ne ulceris area laterum lintei extremitatibus cingatur, quod *fieri non conveuit*; ita enim inæqualiter premendo, ulcus, quaſi zona cinctum, obſignarent, ſanguinis circuitus æquabilitatem interciperent, doloremque excirarent. *Oportet*, ait *Palladius in Schol. ſect.* 3. *latum injicere vinculum, ut totum ulcus ſemel, non medium tantum, comprehendas*; ideo monet Hippocrates, ut *prima circumductio totum ulcus comprehendat, & linteum hinc, atque illinc præmineat*. Præceptum hoc in univerſum ad quodlibet aliud vulnus accommodatum eſſe docet *Celſus lib.* 5. *cap.* 26., inquiens; *Faſcia vero ad vulnus deligandum linea aptiſſima eſt, eaque lata eſſe debet, ut ſemel injecta non vulnus tantum, ſed paulum utrinque etiam oras ejus comprehendat.*

(7) OPORTET. Linteum ſcilicet, directe ad omne vulnus injiciendum eſt.

(8) NON HABERENT. In deligatione harum fracturarum ſuſpenſa manu procedendum eſt, aliquantoque minus comprimendum, quam ſi ulcus non haberent, ne vexetur ulcus, doloreſque concitentur.

(9) DICTUM EST. In *cap.* 5. dixerat Hippocrates; *Hic igitur lintea ad ſiniſtram, aut dextram deligentur, aut ad utram partem contulerit ad fracturæ figuram, & in utram declinare expedierit*, ut *not.* (19) obſervavimus. Eadem nunc mo-

©BIU Santé

modi ſint, magis tamen in talibus, quam ſi ulcus non eſſet (10). Copia vero linteorum non minor ſit prius relatis; ſed etiam aliquanto amplior (11). Si vero deligatus fuerit, videatur is ſibi lintea firmata quidem eſſe, non autem compreſſa: dicatque ſuper ulcus maxime firmata eſſe: eadem autem tempora eſſe oportet, ad hoc ut magis firmata eſſe videantur, & ad hoc, ut magis laxa videantur, quemadmodum etiam in ſuperioribus dictum eſt (12). Deligatio etiam poſtea facienda per tertium diem, ita ut omnia poſtea faciamus conſimili modo, velut prius dictum eſt, præterquam, quod in totum, minus aliquanto hæc quam illa comprimenda ſunt (13). Quod ſi ſecun-

monet, ut hic attendantur. Animadvertendum nunc tamen eſt, quod non modo ad fracturæ figuram, ſed ad vulneris quoque commodum, atque utilitatem, faſciarum convolutiones tendere debent. Si enim vulnus ad dextram, vel ſiniſtram partem dilaceratum ſit, atque propenderit; e re tunc erit faſciam in contrariam partem convertere, ut vulneris inclinatio ſuſtineatur; quin etiam, ut ad unionem, quo magis fieri poterit, vulneris ora reducantur.

(10) NON ESSET. Lintea qualia eſſe debeant *not.* (8) *cap.* 5. adnotavimus; ibi enim ex *Hippocratis Chirurg. Officin.* cognovimus, quod *præparare oportet lintea levia, tenuia, mollia, pura, non conſuta, neque extuberantias habentia, & ſana, ut extenſionem ferant.* Hæc omnia in quibuſcunque fracturis debent animadverti; ſed in fracturis cum vulnere præcipue monet, ut lintea molliora ſemper eligantur, quam ſi ulcus non adeſſet; nam rude linteum dolentem vulneris ſuperficiem lædere poſſet.

(11) AMPLIOR. In fracturis ſimplicibus non ante ſeptimum diem ferulas adhibere Hippocrates conſuevit, uti *not.* (52) *cap.* 5. adnotavimus: ſed ubi fracturæ vulnus quoque acceſſit, & tardius adhuc ferulas apponere, & laxius faſcias deligare idem præcipit, uti *not.* (8) hujus capitis obſervavimus. Vulnus autem in hoc caſu efficit, ut oſſa fracta a circumpoſitis carnibus minus ſuſtineantur, atque facilius, poſteaquam repoſita fuere, e ſuis iterum ſedibus excidant. Ut igitur hoc laxo vinculo ſufficienter in naturali figuratione fractura fulciatur, majori linteorum, ſpleniorumque quantitate ſupplebimus: ideo in hoc textu dixit Hippocrates; *Copia linteorum non minor ſit prius relatis, ſed etiam aliquanto amplior.* Idem monuit *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. ubi ait; *Cæterum eadem deliganda faſciis ſunt aliquanto quam vulnus latioribus, laxius ſcilicet, quam ſi ea plaga non eſſet, quanto facilius, & alienari, & occupari cancro* (ſcilicet gangræna) *vulnus poteſt, numero potius faſciarum id agendum eſt, ut laxæ quoque æque contineant.*

(12) DICTUM EST. Signa hujus fracturæ recte curatæ, & terminus bene deligatæ, eadem eſſe debent, qualia de fracturis generatim in *cap.* 5. Hippocrates expoſuit; atque nos a *not.* (30) uſque ad (40) adnotavimus.

(13) COMPRIMENDA SUNT. Hujus complicatæ fracturæ deligationem per tertium diem reſolvendam quoque eſſe, Hippocrates docet, quemadmodum præceperat in *cap.* 5., uti *not.* (41) obſervavimus; ſed hic iterum monet, quod

©BIU Santé

cundum rationem, quæ fieri par eſt, facta fuerint; gracilior quidem ſemper comperietur ulceris pars, graciliores autem & reliquæ omnes, quæ a deligatione continentur (14), & ſuppurationes citiores erunt, quam in ulceribus aliter curatis (15), & quæcunque carunculæ in vulnere denigratæ ſunt, & mortificatæ citius abrumpuntur, ac excidunt (16) in hac curatione, quam in aliis: & ad cicatricem citius pervenit ulcus, ſi hoc modo, quam ſi alio curetur (17). At omnium horum cauſa eſt, quod minus aliquanto hæc fractura, cui vulnus acceſſit, quam aliæ fracturæ ſimplices, comprimenda eſt, ob rationes, quas paulo ante adnotavimus. Nonnulli tamen auctores, ut *Theodoricus*, *Magatus*, aliique, etiam plures poſt dies, quam hic Hippocrates præcipit, hujuſmodi vulnera detegere conſueverunt; quod quidem utiliſſimum eſſe, experientia comprobatum eſt; niſi vero dolor, inflammatio, tumor, aut aliquod aliud ſymptoma deligationem maturius ſolvere cogat.

(14) CONTINENTUR. De his jam ſatis docuit in *cap.* 5. ut obſervavimus *not.* (44).

(15) CURATIS. Vulnera, quæ in fracturis accidunt, cum laceratione plerumque fiunt, ac contuſione; nam vel caſus, vel ictus, vel preſſio, vel vis alicujus inſtrumenti obtuſi, gravis, & duri, fracturarum frequentiſſimæ cauſæ eſſe ſolent. Quum autem in *lib. de Capitis vulnerib.* dixerit *Hippocrates*; *Neceſſe eſt, carnes contuſas, ac conciſis pus fieri, ac conſumi:* & in *lib. de Ulceribus*; *Neceſſe eſt carnes contuſas, ac diſſectas putreſcere, ac pus fieri, & eliquari, ac conſumi, & poſtea novas carnes naſci*; ideo contuſa hæc vulnera ad cicatricem perduci non poterunt, quin prius ad ſuppurationem ducantur, carneſque contuſæ, ac conciſæ conſumantur. Si igitur ſecundum rationem, quam Hippocrates docuit, talia vulnera curentur, hæ ſuppurationes citiores fient, novæque carnes maturius naſcentur, quam in ulceribus aliter curatis, ut ipſe teſtatus eſt, ipſaque experientia confirmat.

(16) EXCIDUNT. In vulneribus contuſis, ac laceratis, ſæpiſſime in lacinias carnes conciſæ finduntur, ac conteruntur, quæ vita privantur, ac denigreſcunt; hæ, veluti corpus extraneum, vulneris conglutinationem, cicatricemque impediunt, quouſque non abrumpantur, atque a partibus vivis excidant; tunc enim ulcere abſterſo, impedimentis ſublatis, ſubſtantiam jam deperditam natura ſolers reſarciet.

(17) CURENTUR. Nonnulli Chirurgi, ut optima ſuppuratio inducatur, ac denigratæ carunculæ excidant, pluribus remediis, quæ ſuppurantia, ac digerentia nuncupantur, opus eſſe autumant, eaque non quotidie modo, ſed bis etiam diebus ſingulis adhibent, ſummaque cura, atque diligentia ſordes abſtergere nituntur; quod apud imperitum vulgus magni fit, quum cenſeat valere id plurimum ad citiorem vulneris curationem. Magno tamen in errore verſantur hi Profeſſores, alioſque plauſibili, erronea tamen, eorum ratione decipiunt; unde hic iterum Hippocrates monere voluit, quod citius ad cicatricem ulcus perveniet, ſi methodo a ſe expoſita, quam ſi alia curetur. Hujus rei fidem facit propria experientia *Theodoricus*, qui *lib. 2. cap. 21.* ait. *Nos tamen doctri-*

nam

©BIU Santé

eſt, quod & locus circa ulcus gracilis fit, & quæ circumſita ſunt, gracilia omnia fiunt (18). In reliquis igitur omnibus conſimiliter curare oportet, velut oſſa ſine ulcerationibus fracta: verum ferulas apponere non oportet (19). Et propterea lintea his plura eſſe debent, quam aliis, & quod minus comprimantur, & quod ferulæ tardius apponantur (20). Si tamen ferulas appoſueris; non ſecundum rectitudinem ulceris appones (21), ſed ita, ut laxæ adhibeantur, providen-

nam domini Hugonis de Luca ſecuti, vulnus ligamus pariter cum fractura; & alium modum, non inexperti, iſtum probavimus meliorem: & paulo poſt ſubdit; *Nam ego hanc viam ſecutus deceptum me nunquam reperi: ſed ſemper eventum proſperum cum Dei auxilio ſum conſecutus*.

(18) FIUNT. Rationem nunc affert Hippocrates, quare ad cicatricem citius perveniat ulcus, ſi hoc modo, quam ſi alio curetur; quia nempe hoc modo ulcus, & quæ circumſita ſunt, gracilia omnia fiunt. Illa enim curandi ratione, de qua in *cap.* 28. differuit, contrarium evenire monuit, quum tunc *Ulcus decoloratum ſit, & labiis everſum, ac protuberans, verum lachrymoſum, & non ſuppurans*; Vid. *not.* (9) (10) (11) (12); quæ omnia blandam ſuppurationem impediendo, longiorem, ac difficiliorem ulceris curationem reddent. Quum igitur humorum nimius affluxus ulcerum curationes impediat; unde eſt, quod *Aphoriſm.* 8. *Sect.* 6. dixerit; *Aqua inter cutim laborantibus exorta in corpore ulcera non facile ſanantur*; ideo quoniam hac methodo humorum confluentiæ prohibentur, graciliaque omnia fiunt, *ad cicatricem citius pervenit ulcus ſi hoc modo, quam ſi alio curetur*.

(19) NON OPORTET. In *cap.* 5. ubi generalem fracturarum curationem tradidit Hippocrates, die ſeptimo ferulas adhibere præceperat; in hac autem fractura cum vulnere, omnia conſimiliter quidem, ut ibi docuit, facienda eſſe cenſet, ſed die ſeptimo ferularum appoſitionem nondum opportunam eſſe jndicat.

(20) APPONANTUR. Quamvis ſuperius dixerit, *Ferulas apponere non oportet*; nunc tamen clarius exponit, quod ferulæ non prorſus rejiciendæ ſunt in hujuſmodi fracturis, ſed tantum, quod tardius apponi debent.

(21) APPONES. Si quis autem die ſeptimo, aut etiam prius ferulas apponere voluerit, vel quia id facere conſueverit, vel quia pro qualitate fracturæ eas apponere neceſſarium duxerit, non id damnat Hippocrates; ſed tamen hac cautione apponendas eſſe monet, ut ſecundum ulceris rectitudinem (ſupra, ſcilicet, ulcus) non adhibeantur; ferularum enim durities vulnus vexaret, doloreſque atque inflammationem cieret. Quum autem Hippocrates ſcripſerit; *Non ſecundum rectitudinem ulceris appones*, ſignificare eum voluiſſe apparet, quod hæc præmatura ferularum appoſitio fieri tantummodo poſſit, ubi vulnus ſecundum membri rectitudinem ſit, minime vero ſi fuerit tranſverſum: vulnus enim tranſverſum, niſi admodum parvum fuerit, ne a ferularum preſſione vexetur, cavere non poſſumus. Hoc idem animadvertit *Palladius* in ſuis ad hunc textum ſcholiis *ſect.* 3. inquiens; *Deinde ſi ulcus ſit tranſverſum in totum arundinibus non uti. Quod ſi in directum tendat, uti quidem, ſupra vulnus vero minime*. *Oribaſius* quoque ex collectione *Nicetæ*.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 230 sur 355

©BIU Santé

dendo, ut nulla magna ab ipsis constrictio fiat (22). Dictum autem hoc quoque est in his, quæ prius scripta sunt. Victus autem rationem exquisitiorem, & longiori tempore constituere oportet his, quibus ab initio ulcera fiunt, & quibus ossa extra eminent : & ut in summa dicatur, in vehementissimis vulneribus exquisitiore, eoque diuturniori victu uti convenit (23).

cetæ, ait; *Quando igitur ulcus sit per longum membri, ferulas imponere utrinque licet, transversum vero ulcus id non patitur, præsertim si majusculum sit, ubi plurimis linteis uti convenit.* Cum Hippocratis, *Palladii*, atque *Oribasii* præceptis maxime congruunt ea, quæ de curatione fracturarum cum vulnere tradidit *Cæsar Magatus lib. 2. cap. 6.* ubi methodum narrat, qua ipse uti consuevit; ait enim; *Et ideo quando vulnus est secundum membri longitudinem, quoniam apponi possunt ad latera vulneris, fere semper iis uti consuevi. Et quando est per transversum, si quidem parvum sit, & iis utor; at si magnum, ab iisdem abstineo.* Hanc cautionem hos omnes auctores docuerat *Galenus comment. 3. text. 12.* sed tamen, ut ait *Magatus loc. cit. Medicus prudens quid agendum sit, facile deprehendet; prudentia enim omnia moderatur.*

(22) FIUNT. Superius docuit Hippocrates, ubi ferulæ apponi possint, nunc vero monet, quando adhibendæ sint; laxe scilicet, ut nulla magna ab ipsis constrictio fiat. Jam scripserat in *cap. 5. Ferulæ deligationis conservandæ gratia apponuntur, non autem compressionis gratia alligantur*: quoniam autem in hoc capite dixit, quod in deligando *oportet premere paulo minus, quam si ulcus non haberent*; ut *not.* (8) & (13) adnotavimus; ideo easdem ob rationes, ne scilicet partes vulneri proximas ferularum pressio vexet, atque contundat, dum apponuntur, magis etiam laxe adhiberi debent, quam si ulcus non adesset.

(23) CONVENIT. Qualis esse debeat victus hic exquisitior, diffuse satis superius docuit Hippocrates, uti nos *not.* (5) (6) (7) (8) *cap. 13.* adnotavimus quæ singula attente hic debent animadverti; ac longiori tempore uti.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXX.

Ulcerum curatio quibus ossa quidem fracta fuerunt, sed ulcus ab initio non fuit curatum. Fracturæ hæ quomodo cognoscantur.

EAdem etiam curatio ulcerum est in his, quibus ossa quidem fracta sunt, sed ulcus ab initio non fuit: verum inter medendum factum est (1), aut ulcere linteis magis compresso (2), aut a ferularum in-

(1) FACTUM EST. Quamvis aliqua fractura sine vulnere ab initio fuerit; attamen non raro accidit, ut paucos post dies vel ob aliquem in curatione errorem, vel ob accidentia, queis fractura ab initio stipabatur, aliqua suppuratio, vel ulcus exortum sit, quod ulcus *inter medendum* factum nominat Hippocrates. Hujus nunc ulceris ipse tum diversas causas, tum signa, atque indicia, quibus prænosci possit, tum curationis rationem in hoc capite ostendit.

(2) COMPRESSO. Quantum cautionis, ac provisionis opus sit Chirurgo, ut in fracturis optimam deligationem instituat; quanta Chirurgus sedulitate indigeat, jam *not.* (10) *cap.* 5. observavimus. Si quis igitur in curatione simplicis fracturæ fascias nimis arcte deligaret, a compressis vasis obstructio, & inflammatio orirentur, unde suppurationes, ulcerationes, immo integre quandoque suffocata circulatione, gangræna etiam nasci poterunt. Tales casus non semel accidisse vidi, quorum plurimæ etiam observationes apud auctores prostant; uti apud *De la Motte Traitè complet de Chirurgie Tom.* 4.; ideo Hippocrates unam ex causis, quæ inter medendum fracturas simplices ulcus excitare possunt; lintea magis compressa recensuit. Verum tyro Chirurgus, qui in librorum Hippocratis lectione, ejusque dictionibus, rudis adhuc fuerit, parumque versatus, hic forsan hærebit, quum legerit in hoc textu, (ubi de hac fractura loquitur, in qua ulcus fieri potest inter medendum, quamvis ab initio nullum ulcus fuerit) quod pro causa, quæ ulcus inducere posset, hanc annumeraverit, dicens; *ulcere linteis magis compresso*; unde apertissima contradictione affirmare videtur, ibi ulcus comprimi posse, ubi nullum ulcus esse debet. Sed sciendum hic est, quod hoc vocabulum *ulcus* plurimas habuit apud veteres Græcos significationes; uti *not.* (1) *cap.* 18. adnotavimus; in hoc autem textu latissima etiam significatione Hippocrates id usurpavit, quum non modo fracturam, ut in hoc loco, ulceris nomine indigitaverit, verum etiam quemlibet alium morbum, omnemque dolorem, ulcus dici posse affirmaverit. Hoc clarissime patet ex iis, quæ in hoc ipso libro paulo post scripsit Hippocrates, dicens: *Nihil enim est adeo in medicina opportunum, cui id non communicet, nec in ulceribus tantum, verum & in aliis morbis. Nisi forte quis dicat & alios morbos esse ulcera; habet enim & hæc oratio aliquam æquitatem. Multis enim modis alii aliis cognati sunt*; atque hic legi meretur *Galenus commen.* 3. *text.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 232 sur 355

©BIU Santé

inſeſſu (3), aut ab alia quapiam (4) cauſa. Cognoſcuntur (4*) autem tales fracturæ, an ulcus ſubſit, & dolore (5), & pulſibus (6): & tumor, qui in extremis partibus eſt, talibus durus efficitur (7), & ſi digitum admo-

text. 34. & 35. qui meum hoc aſſertum declarat. Quum igitur ſcripſerit Hippocrates: *Ulcere linteis magis compreſſo*, in hoc textu intelligi debet, ac ſi ſcripſiſſet: *Fractura linteis magis compreſſa*. Solus tamen *Cornarius* in ea, quam exaravit, verſione, hoc ulceris vocabulum interpoſuit, proinde in Græcis id exemplaribus, quibus ipſe pro ſua traductione uſus fuit reperiſſe credendum eſt. *Foeſius* autem ulcus minime hic nominat: ſed tantum ſcripſit: *Verum aut ex nimia linteorum compreſſione*; uti nec *Calvus*, neque Galeni interpretes, *Vidius* ſcilicet, *Felicianus*, & *Trincavellus*, ulceris vocem in hac textus Hippocratis particula poſuere.

(3) INSESSU. Ferulæ quales eſſe debeant, & quomodo adhibendæ ſint, ſatis diffuſe *not.* (54) *cap.* 5. adnotavimus. Si ergo ferulæ non eas conditiones habuerint, quas ibi ex Hippocratis præceptis requiri novimus; aut ſi citra enarratas cautiones apponantur, aut ſi nimis arcte deligentur, earum inſeſſu, & compreſſione ulcerationis cauſa eſſe poterunt.

(4) QUAPIAM. Præter nimis arctam faſciarum deligationem, ferularumque inſeſſum, aliæ etiam ulcerationis cauſæ eſſe poſſunt. Prava enim membri collocatio, oſſis aliquod fragmentum in ſua ſede non bene repoſitum, valida contuſio, ecchymoſis, humorum dyſcraſia, aliaque id genus, inflammationes, ſuppurationes, ulcerationeſque ſolent non raro excitare: unde præter enarratas, etiam *ab alia quapiam cauſa* id ulcus fieri, Hippocrates dixit.

(4*) COGNOSCUNTUR. Signa nunc oſtendit Hippocrates, quibus an in fracturis, linteis quamvis deligatis, atque contectis, ullum ſubſit ulcerationis periculum cognoſci poterit.

(5) DOLORE. Dolor, ut ait *Bellinus lib. de Morbo Capitis pag.* 568. *Eſt ſenſio moleſta, vel triſtis, a ſolutione continui proveniens*; vel juxta *Boerhaav. aphor.* 220. *Si fibra nervoſa, cerebro orta, ita extenditur, vel alio modo diſponitur, ut diſſolutionem minitetur, fit doloris idea*. Si igitur in fractura dolor non conſuetus ſuboritur; is vel erit ſignum ſolutionis continui, uti ex *Bellino*, vel ſaltem, juxta *Boerhaavium*, extenſionis fibrarum nervoſarum, quæ diſſolutionem minetur, ab aliqua ex cauſis *not.* (2) (3) (4) enumeratis excitata; atque ideo, quum ulcus ſolutio continui ſit, dolorem inter ſigna, quibus ulceratio prænoſci poterit, Hippocrates recenſet.

(6) ET PULSIBUS. Partes inflammatæ, & quæ in ſuppurationem tendunt, dolent ſemper, calent, tument, & pulſant; hinc dixit *Hippocrates aphor.* 47. *ſect.* 2. *Dum pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quam jam confecto*; unde ex dolore, & pulſibus, ſuppurationis, atque ulcerationis indicium habebimus. Vid. quæ de pulſu adnotavimus *not.* (14) *cap.* 28.

(7) EFFICITUR. In *cap.* 5. ubi de fractura brachii differens, generalem fracturarum curationem tradidit, inter ſigna mediocris deligationis recenſuit; *ſi poſtridie tumorem parvum, mollem ad ſummam manum obortum eſſe conſpiciamus*; quod nos *not.* (35) (39) ejuſdem capitis conſideravimus. In *not.* autem (2) *cap.* 13. ex Hippocrate obſervavimus, quod ſi, ubi affectio eſt, partes vicinæ ſubrubræ, & ſubduræ fiant, id ſignum erit,

©BIU Santé

admoveris, attollitur: ſed & cito rurſus ſubterfugit (8). Si igitur tale quid ſuſpicatus fueris, ſolvere oportet (9): & ſi quidem pruritus circa ſubligationes fuerit, aut alia quapiam parte deligata, cerato picato pro altero (10) uti. Si vero horum nihil fuerit (11), verum ipſum ulcus

erit, quod morbus recrudeſcit. In hoc igitur textu tumorem illum conſiderat, qui in extremis deligationum partibus oboriri quidem ſolet, ſed & qui parvus tamen, & mollis eſſe debet; & monet, quod ſi talis tumor non parvus, & mollis ſit, ſed magnus, & durus, alterum erit inflammationis, atque ulcerationis indicium.

(8) SUBTERFUGIT. Ut ejuſmodi tumoris qualitas probe cognoſcatur, optimeque ab illo tumore parvo & molli, qui poſt fracturarum deligationem oboriri fere ſemper ſolet, diſtinguatur, aliud etiam hoc ſignum indicat Hippocrates: nempe ſi huic tumori, qui durus eſt, & ruber, digitum admoverimus, elidetur is quidem, ſed ſublato ſtatim redibit, ut ait *Galenus comment. 3. text. 15. Tumor, qui in extremis exurgit, durior is redditur; atque ſi digitis compreſſeris, rubor exprimitur, ac ſtatim rurſus recurrit*; quod non accidit, quando tumor pallidus eſt, & mollis, in quo digiti compreſſio exſculpit foveam, quæ non ſtatim exſurgit, ſed per aliquod tempus deſidet. Quod talis durus tumor, qui ulcerationem ptænunciat, ruber etiam eſſe debeat, notat *Palladius in Schol.* dicens: *Unde vero conſtat ulcus fieri debere? Primum ex dolore, poſtea & morſus contingit, & immoderata inflammatio, & rubor.*

(9) OPORTET. Quoniam deligationes per tertium diem fieri debere Hippocrates præceperat; ideo nunc monet, ut ſi a cauſis *not.* (2) (3), & (4) enumeratis, atque per ſigna, quæ notis præcedentibus conſideravimus, ulcus fieri poſſe dubitaverimus, nulla interpoſita mora, mox ſolvatur deligatio; ut docet *Galenus* in hujus textus comment. inquiens, quod Hippocrates in hoc caſu conſulit, *ne ad conſuetum deligationis tempus reſpiciamus, ſed celerius vinculis detractis, convenientem curationis rationem inſtituamus, quam ipſe dilucide deſcripſit.*

(10) PRO ALTERO. Accidere ſæpiſſime ſolet, ut circa deligationes, in iis præcipue fracturis, quæ ſub arcta vinctura intumuerunt, exoriatur pruritus, qui doloroſa quædam voluptas eſt, ab humoribus in cute retentis, acribuſque redditis, excitata, ex quo aliqua ſemper cutis excoriatio fit. Ut huic noxæ proſpiciamus, monet Hippocrates, ut pro altero cerato albo, quo loca circum fracturam non exulcerata illinire præceperat, cerato picato utamur, ut hoc cerato, quod leniente, ac exſiccante qualitate præditum eſt, cutis ad cicatricem citius perducatur. Recentiores autem Chirurgi aut vini ſpiritu, aut poſca, prurigineſas has partes refrigerare ſolent; ſed ſi excoriatio adeo ſenſibilis ſit, ut humoris aliqua emanatio fiat, ne ab remediorum vellicantium irrigatione denudata cutis exaſperetur, neque deligationi ulceratio accreſcat, linteum tunc vel unguento, vel cerato de ceruſa illitum adhibere conſueſcunt.

(11) FUERIT. A curatione fracturarum cum vulnere, de quibus nunc Hippocrates docere inſtituerat, digreſſionem ad eas fracturas ſimplices fecerat, in quibus ulcus vel ob negligentem curationem, vel ab aliqua alia cauſa inter medendum quandoque fieri conſueſcit, quod ab initio non extiterit; atque ſigna, quibus id futurum noſci

©BIU Santé

cus irritatum (12), reperitur nigrum (13) valde, aut impurum (14): & futurum eſt, ut carnes ſuppurentur (15), & nervi inſuper excidant (16): hos omnino perfrigerare non oportet, neque quicquam has ſuppurationes vereri; ſed curare in reliquis omnibus conſimili modo, velut eos, quibus ab initio ulcus factum eſt (17). Linteis vero deligare incipere oportet valde laxis: a tumore, qui in extremis par-

noſci poterit, rationemque medendi tradidit. Nunc vero inceptum repetens inſtitutum, ac veluti e diverticulo in viam rediens; ulterius diverſas illius ulceris, quod ab initio factum fuit, affectiones, atque mutationes proſequitur, ut, pro ejus ſtatu, ac conditione, opportunam, propriamque medendi rationem præſcriberet.

(12) IRRITATUM. In *cap.* 8. docuit Hippocrates mala, quæ accidere ſolent, quando Chirurgi *hinc, atque illinc linteis deligant, ulcus vero ipſum relinquunt, & perfrigerari ſinunt*; nunc vero monet, quod quamvis prima faſciarum circumductio, ut in *cap.* 29. ipſe præcepit, ſuper ipſum ulcus fiat, ſi talis deligatio non optime inſtituta fuerit, ulcus tamen irritari poterit; ibi enim dixerat, (quod in hac curatione animadvertendum eſt) ut *id linteum, quo primum deligamus multo latius ſit ipſo ulcere*; dixit etiam: *Oportet premere paulo minus, quam ſi ulcus non haberet..... ſi tamen ferulas appoſueris, non ſecundum rectitudinem ulceris apponas*. *Vid. not.* (5) (6) (8) (21) (22) *cap.* 29. Si igitur has cautiones neglexerimus, ſubtus deligationem ulcus irritatum reperietur.

(13) NIGRUM. Fuſcus, nigerque color in ulceribus mortificationis gradum oſtendit; uti *Boerhaavius aphor.* 429. *num.* 3. ſigna gangrænæ annumerans, dixit: *Color lividus, fuſcus, niger.*

(14) IMPURUM. Si non nigrum, atque gangrænoſum, ſaltem ſordidum, & impurum, irritatum ulcus reperietur.

(15) SUPPURENTUR. Quæcunque vulnera, vel ulcera, quæ ſordida facta ſunt, aut nigra, nequeunt ad cicatricem perduci, quin prius carnes denigratæ, & ſemimortuæ, humoreſque corrupti per optimam ſuppurationem detergantur, ac decidant; ut ſic depurata ulcera in puri vulneris naturam tranſeant. Hoc docuit *Hippocrates lib. de Ulcerib.*, dicens: *Ulcera non purgata, non committi ſolent, etiamſi adducantur, neque ſua ſponte coeunt. Ubi circumſitæ ulceris partes inflammatæ ſunt, quamdiu durat inflammatio, ulcera coire non ſolent: ſed ubi circumſitæ partes denigratæ fuerint, & ſanguinis putredine, aut etiam varice, influxionem ſanguinis exhibente: neque hæc coire ſolent, ſi non circumſitas ulceris partes ſanas feceris.*

(16) EXCIDANT. Si nigredo, atque mortificatio non tantum cutim, membranamque adipoſam obſederint; ſed altius uſque ad muſculos, tendinesque deſcenderint, tunc inſuper eæ quoque corruptæ partes per ſuppurationem excident.

(17) FRACTUM EST. Monet hic Hippocrates, quod quamvis ulcus nigrum, aut impurum ex irritatione reperiatur, ex quo carnes ſuppurari, & tendines excidere debeant; non hinc tamen, & illinc deligare oportet, ulcus vero nudum relinquere, & ſinere ut perfrigeretur, quemadmodum nonnulli facere conſueſcunt, ſicuti *not.* (2), & (3) *cap.* 27. obſervavimus; ſed eodem modo curandum eſt, uti docuit *cap.* 29. ubi de iis diſſeruit, quibus ab initio fracturæ vulnus factum fuerat, neque propter has ſuppurationes illam medendi

©BIU Santé

partibus consistit (18), atque ita deligationem distribuere semper sursum (19) versus, nusquam quidem comprimendo, sed maxime super ulcus firmando, super alia vero minus (20): & prima quidem lintea hæc munda sint, & non angusta (21). Copia vero linteorum tanta sit, quanta est, si cum ferulis deligatio fiat, aut paulo minor (22). Super ipsum autem ulcus sufficiens est splenium cerato albo illitum (23): sive enim ca-

dendi rationem mutandam esse censet.

(18) CONSISTIT. Parvi momenti forsan videri possent, sed magni quidem ad curationem referunt, quæ nunc docet Hippocrates; atque hæc non modo in hoc casu, verum etiam in omnibus aliis vulneribus magni usus, atque emolumenti esse solent. Præcipit enim, quod si ex ea deligatione, quam supra ipsum vulnus fieri primum debere docuerat in *cap.* 29., tumores in extremis partibus constiterint, tunc non a vulneris loco incipienda deligatio, sed a tumore, qui in extremis partibus erit; sic enim pars tumens a leni fasciarum pressione deprimetur, humoresque intercepti ulterius propellentur.

(19) SURSUM. Tumores tam in superiori, quam in inferiori parte vincturæ fieri solent; sed Hippocrates monet, ut deligationem semper incipiamus a parte inferiori, eamque sursum versus distribuamus: quæ deligatio multum certe conferet ad tumores deprimendos; nam sic humores in vasis venosis retenti versus cor aptius urgentur, atque propelluntur.

(20) NON MINUS. Hi tumores non admodum fasciis comprimendi sunt; super ulcus tamen fasciæ convolutio semper magis, quam super aliis partibus firmanda est, ut pars illa gracilior semper fiat; ex quo citius ad cicatricem ulcus pervenire Hippocrates docuit; ut observavimus *not.* (18) *cap.* 29. Hoc quoque præceptum, quemadmodum id, quod *not.* (18) observavimus, ad quodcunque aliud vulnus, aut ulcus erit accommodum, uti *Galenus comment.* 3. *text.* 15. confirmat; inquiens: *Præcipit etiam eam deligationem supra ulcus esse accommodatam, & hærentem, hoc est, ut laxa adeo sit, ne comprimat: partes vero alias fracturæ vicinas, perinde ut in ulceribus, quæ absque fractura sunt, etiam minus astringi. Hoc enim semper servandum voluit, ut videlicet id magis in omni deligatione astringatur, unde sanguinem elidi instituit.*

(21) NON ANGUSTA. Prima lintea, quæ supra vulnus injiciuntur, mollia, tenuiaque esse debent, ne ab eorum duritie, ac scabritie vulnus vexetur; atque etiam latiora esse ipso ulcere oportet: ut hinc, atque illinc præmineant. *Vid. not.* (4) (5) (6) (10) *cap.* 29.

(22) PAULO MINOR. Ampliori linteorum copia hujusmodi fracturas deligare præceperat in *cap.* 29., nunc vero idem repetit, dicendo, quod tanta esse debebit linteorum copia, quanta si cum ferulis deligatio fieret, aut paulo minus; proinde docet, ut omnibus illis spleniis, & fasciis, quibus ad ferulas opus est, membrum deligemus, ut firmius in sua sede hac linteorum copia ossa fracta retineantur.

(23) ILLITUM. Pro curatione vulneris recentis, ubi neque tumores exorti, neque irritatio facta fuerit, ceratum picatum apponere jusserat; sed in hoc casu, ubi de ulcere irritato, & dolente loquitur, ceratum album proponit, utpote quod magis leniens,

©BIU Santé

caro, ſive nervus denigratus fuerit, excidet (24): talia enim acribus curare non oportet, ſed mollibus veluti ambuſta (25). Deligare vero poſtea per tertium diem convenit, ferulas autem non apponere (26). Quieſcere vero magis, quam prius (27), & modico cibo uti. Scire vero expedit, ſive caro, ſive nervus ſit, id, quod excidet, quod hoc modo multo minus ultra depaſcitur, & multo citius excidet, & multo graciliores circumſitæ partes erunt, quam ſi quis exſolutis linteis, aliquid medicamentorum purgatoriorum ſuper ulcus imponat. Quin & ſi exciderit id, quod ſuppuraſſet, & citius carne repletur, & citius ad cicatricem pervenit, quam ſi illo, aut alio modo curetur: omnia ſane in hoc ſita ſunt: ut quis hæc recte, & moderate deligare (28) ſciat. Conferunt inſuper & figuræ, quales eſſe oportet (29), & re-

niens, & refrigerans: ſicut ait *Galenus* in hunc textum: *Picatum ceratum albo eſt acrius; nam quo pix cera calidior, eo & acrior eſt*. Quomodo vero ceratum album Hippocratis conficiatur, jam *not.*(3) *cep.*5. adnotavimus.

(24) EXCIDET. Si caro, vel aliquis tendo in ulcere fuerint denigrata, hæc per ſuppurationem excidere debebunt. Suppuratio eſt naturæ operatio, qua quadam veluti coctione, humores, carneſque corruptas a vivis partibus ſecernit. Hoc quum probe noviſſet Hippocrates, non multis abſtergentibus remediis utebatur, ut ab indoctis, naturæque operationum ignaris fieri ſolet, ſed ſolum ceratum album ad dolorem leniendum, tumenteſque partes relaxandas, adhibuit; reliquum vero ſuppurationis, qua corruptæ partes excidunt, naturæ relinquens.

(25) AMBUSTA. Vulnera, quæ oſſibus fractis accidunt, inflammatione, ac gangræna ſæpiſſime corripiuntur, neque raro mortem afferre ſolent. Inter alias plurimas horum malorum cauſas locum quandoque habet mala curatio, cum propter deligationis, tum propter remediorum incongruum uſum. Damna, quæ ſolent ex prava deligatione proficiſci, jam adnotavimus *cap.*28.. Hic vero pravum illum nonnullorum Chirurgorum uſum damnat, qui ſuppurationes, atque ſeparationes carnium, tendinumque corruptorum, fieri non poſſe credunt, niſi acribus, mordacibuſque remediis utantur; ſed in maximo hi ſunt errore; nam remedia hujus generis irritatum jam ulcus magis exaſperant; & dum his credunt promovere ſuppurationem, eam potius impediunt; unde dixit Hippocrates: *Talia acribus curare non oportet, ſed mollibus, veluti ambuſta*.

(26) APPONERE. Quod in oſſibus fractis, ubi vulnus eſt, ferulæ tardius apponi debeant, jam monuit Hippocrates *cap.*29., ut nos ibi *not.* (19) obſervavimus.

(27) PRIUS. In omnibus fracturis ſumma quies requiritur, ne aliquo motu oſſa de ſua ſede excidant; ſed in hoc caſu, in quo tardius ferulæ apponuntur, atque laxius etiam deligatur, *oportet quieſcere magis, quam prius.*

(28) DELIGARE. His verbis oſtendit Hippocrates, quod talis ulceris feliciſſima curatio, non a raris, ſelectiſque remediis dependet; multoque minus ab iis, qui ex variis, multiplicibuſque rebus miſcentur; ſed in eo potiſſimum ſita eſt, *ut quis recte & moderate*

©BIU Santé

& reliqua victus ratio (30), & linteorum aptitudo (31). Si vero in recens vulneratis decipiaris, offium diſceſſum non fore putans, quum tamen expectatio ſit, illa emerſura eſſe, modum curationis timere non oportet: nihil enim magni mali contigerit, ſi modo bonas, ac innoxias deligationes manu facere noveris (31*). Signum autem hoc eſt, ſi offium diſceſſus in hoc curationis modo futurus eſt: pus enim multum fluit ex ulcere (32), & gliſcere, ac turgere affecta pars videtur (33). Frequentius igitur deligare oportet, ob nimiam humiditatem

rate deligare ſciat. Remediorum farraginem ſic improbat *Plinius lib.* 22. *cap.* 24. *Non ſ cit cerata, malagmata, collyria, antidota, parens illa, ac divina rerum artifex: officinarum hæc, imo verius avaritiæ commenta ſunt. Naturæ quidem opera abſoluta, atque perfecta gignuntur ..... ſcrupulatim quidem colligere, ac miſcere vires, non conjecturæ humanæ opus, ſed impudentiæ eſt.*

(29) OPORTET. Præter rectam, moderatamque deligationem, multum etiam conferet ad curationem, membrum in ea eſſe figuratione, quæ eſt ſecundum naturam; nam ſi oſſa non recte, commodeque poſita fuerint, quamvis in naturali ſede ſint, carnes tamen urgebunt, & dolores, inflammationeſque concitabunt, unde diligentiſſimus Hippocrates hic iterum monet, ut ſint *figuræ quales eſſe oportet.*

(30) VICTUS RATIO. Vid. *not.* (23) *cap.* 29.

(31) APTITUDO. Vid. *not.* (21. *cap.* 30.

(31*) NOVERIS. In *cap.* 26. dixerat Hippocrates, quod hoc ſimplici modo, de quo hucuſque diſſeruit, eæ fracturæ cum vulnere curari debent, in quibus nullus timor ſit fiſſorum offium diſceſſionis. Verum, ne quis in dubio, & ancipiti caſu, ubi difficile ſit noſcere, an aliqua oſſis diſceſſio futura ſit, utiliſſimum hunc curationis modum adhibere timeret, atque prætermitteret; ſapientiſſime in hoc textu monet, quod etſi quis decipiatur, timere non debet, ne quid magni mali ex hac curatione contingat, dummodo nihil peccet in deligationibus, ſed eas, ut artis eſt, adminiſtret.

(32) EX ULCERE. Signa nunc tradit Hippocrates, quibus cognoſci poterit, an aliquis oſſis diſceſſus expectandus ſit, quæ tamen ſigna non ante quintum, vel ſeptimum diem ſe prodere ſolent; nam per id tempus nondum ſuppuratio completa eſt, ſed crudum adhuc vulnus, atque aliquatenus cruentum reperitur. Vera enim ſuppuratio in vulnere ſimplici, die tertio, quartove plerumque apparet, ut ait *Boerhaavius aphor.* 158. *num.* 7. *Hinc tertio, quartove die, ſerius, vel ocius, vulneri adeſt liquor tenax, albus, pinguis, æqualis, pus*; ex qua tamen incipiente ſuppuratione, nullum ſignum, an aliquis oſſis diſceſſus futurus ſit, eruemus; ſed id tunc erit conjectandum, quando ad maturitatis gradum pervenerit ſuppuratio, quod certe non ante ſeptimum, aut quintum diem, & quandoque multo etiam ſerius, perficietur. Si ergo, conſiderata vulneris amplitudine, & profunditate, major puris copia, quam ex ſimilibus ulceribus prodire ſolet, defluat: ſignum tunc erit, quod in profundioribus ulceris partibus, & circa oſſa fracta amplior ſuppuratio ſit, ex quo conjicere poterimus, id eſſe indicium futuri diſceſſus offium.

(33) VIDETUR. Quando ſuppuratio omnes humores ſtagnantes circa vulnus,

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 238 sur 355

©BIU Santé

tatem (34), & quod alias etiam febres fiunt (35). Et ſi quidem valde premantur a deligatione, & ulcus, & circumſitæ partes graciles fiunt.

nus, fibraſque lacératas, & ſemimortuas, a vivis ſubjectis partibus ſejunxit, totumque ulcus optime abſterſum, depuratumque eſt; tum naturali vivarum partium virtute, mechanicoque opificio, quod *vis vitæ* a Phyſiologicis appellitatur, nova carne ulcus repleri, deperditaque reparari incipiunt, ex quo tandem omnia cicatrice clauduntur, atque ſaneſcunt. Si autem aliquod fuerit impedimentum, (ut oſſis fruſtulum) quod cicatricem deturbet, ulceriſque ora disjungat; tunc creſcens caro, & laxa tunica cellularis præcipue, extra ulcus gliſcere, & turgere cernitur. Verum ſola ulceris excreſcens caro, non erit ſemper ſufficiens ſignum futuri diſceſſus oſſis, quoniam id ab aliis etiam cauſſis oriri ſolet: ut in plurimis ulceribus quotidie obſervamus, in quibus nulla omnino oſſis corruptio ſubeſt; & frequentiſſime in iis ulceribus id præſertim contingit, quæ diu turundis curantur; uti etiam ab humorum noxiis qualitatibus, aut copia, aliiſque cauſſis produci poſſet; ſed hanc carnis excreſcentiam puris etiam copia debet concomitari; ideo hæc duo conjunctim protulit Hippocrates, ut indicaret ſignum futuri diſceſſus oſſis: inquiens: *Pus enim multum fluit ex ulcere, & gliſcere, & turgere affecta pars videtur.*

(34) HUMIDITATEM. In *cap.* 29. præceperat Hippocrates, hujus vulneris deligationem per tertium diem ſolvere; ſed in hoc caſu, ubi pus affatim effluit, frequentius deligare monet, ne diu ſtagnans, aut redundans humiditas calore loci corrumpatur, cujus putridæ, corruptæque materiæ alluvies ulceri noceret. Hoc idem *Celſus* animadvertit *lib.* 8. *cap.* 10. inquiens: *Nonnunquam etiam in magno vulnere evenit, ut fragmenta quædam velut emoriantur, neque cum cæteris coeant: quod hic quoque ex modo ſinentis humoris colligitur: quo magis neceſſarium eſt, ſæpius ulcus reſolvere, atque nutrire.*

(35) FIUNT. Ratio, quæ cogit, ut frequentius, quam per tertium diem, ulcus ob nimiam humiditatem ſolvatur, atque nutriatur, eſt, quod alioquin febres etiam fiunt. Putrida enim, acriſque hæc materia conſumit, eroditque ulceris ſuperficiem, atque vicinas partes inflammat: vel putrefactione attenuata, veniſque lymphaticis, aut ſanguiferis abſorpta, ſanguini miſcetur, unde febres, aliique morbi oriuntur; de quibus plene, cumulateque *Swietenus* egit *comment. in aphor.* 406. *Cæſar Magatus lib.* 2. *cap.* 6., ubi de hujuſmodi vulneribus agit, ex quibus alicujus oſſis diſceſſus expectatur, non frequentius, ut in hoc textu jubet Hippocrates, vulnus reſolvere conſueverat, ſed ſuam illam raræ vulnerum deligationis methodum ſequens, quam Romæ ab illius temporis Chirurgis ſe didiciſſe fatetur, uſque ad octavum diem tectum ſervabat; ait enim: *Neque neceſſarium eſt vulnus ipſum tam crebro detegere, immo ſatius erit, ut aliquibus diebus tectum ſervetur, quo melius ſuppuret, & magis roboretur nativus calor. In id ſtudendum, ut pus poſſit effluere: Conſuevi ego felici cum ſucceſſu octava quaque die vulnus detegere.* Quomodo autem purulentæ materiæ effluxus concedi poſſit, quin lintea diſſolvantur, paulo ante ibidem ipſe docuerat, ubi dixit: *E regione vulneris omnia lintea minutis quibuſdam ſectionibus pertundo, per quas ſanies genita extra poſſit propelli.*

Quam-

©BIU Santé

Quamvis vero *Magatus* hujus raro vulnera deligandi methodi inventor perhibeatur, talem tamen medendi usum jam multo ante apud alios vetustissimos Auctores invaluisse legimus: *Celsus* enim *lib.5.cap.26.* de vulneris simplicis curatione agens, ita scripsit: *Biduo sic vulnere habito, tertio die aperiendum, detergendaque sanies ex aqua frigida est, eademque rursus injicienda sunt. Quinto tamen die quanta inflammatio futura est, se ostendit. Quo die rursus detecto vulnere, considerandus color est.* *Theodoricus*, qui quatuor circa sæcula ante Magatum floruit, pro curatione vulneris, de quo agimus, ita docuit: *Et quia solidatio membrorum non fit, nisi cum cibo sibi simili, ea propter non oportet te illud frequenter dissolvere, & fracturam levare: ne ei, quod est causa consolidationis, exterius educatur: hoc enim ex frequenti solutione contingit. Ligatura prædicta usque ad diem decimum dimittatur: & etiam ultra valde, si patientem dolor nimius non infestat, quem non possit commode sustinere; tunc solvatur, & eodem modo postea religetur, ut ante.* At non modo vulnera, verum etiam ulcera raro deligare præstantissimos veteres Medicos consueviſſe constat ex pluribus *Galeni* locis, ut ex *lib.4. de Comp. Med. per Genera cap. 4.*, ubi, poste aquam Emplastrum ad Chironia, & curatu difficilia ulcera ex *Asclepiade* proposuit: *Inter curandum tertio quoque die solvere* jubet; & ibidem *cap. 5.* Emplastrum *Andromachi* ad ulcera maligna describit hac ratione adhibendum; *deligatura tertio quoque die solvenda, per hyemem etiam quarto:* itidem *cap.6.* ex *Critone* scripsit: *Optimum Medicamen epuloticum ex ladano: convenit prætumidis cum duricia ulceribus, & cavis: deligatum vero membrum in diem quartum continendum est.* Quapropter *Magati* raro vulnera, ulcerave deligandi methodum & vetustissimam, & optimam esse docemur; quippe quia eandem medendi rationem præclariores, experientissimique cujusque ætatis Medici coluere.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 240 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XXXI.

Ossium valde tenuium discessus.

QUicunque itaque valde tenuium ossium discessus fiunt, hi nulla magna (1) mutatione opus habent, nisi ut laxius deligatio fiat, ut ne pus intercipiatur, sed facile effluere possit. Sed & frequentius deligare oportet, donec os discesserit (2), & ferulas non apponere. Quibus vero majoris ossis discessus expectatur, sive hoc a principio prænoveris, sive etiam postea cognoveris, non amplius eadem curatione opus habent (3). Sed extensiones, & directiones ita facere oportet, velut dictum est: splenia vero duplicata,

(1) MAGNA. Parum differt curatio, quam præcepit Hippocrates in fractura simplici, ab ea curatione, quam mox docuit pro fracturis cum vulnere, aut exulceratione, atque etiam pro iis fracturis, in quibus tenuis alicujus ossis discessus expectatur; nam & eodem modo affecta pars distendi, ossaque in sua sede coaptari debent, eodemque modo prima fascia supra locum affectum circumvolvi, splenia pariter apponi, reliquaque omnia, ut in fractura simplici agenda sunt; neque in alia ulla re hujusmodi fracturarum curatio differt, nisi in his, quæ *Galenus* in hunc textum expositi, ubi ait, quod Hippocrates in talibus fracturis jubet *lintea laxiora deligari, sæpiusque resolvi, ac rursum religari, & ferulas non apponi: adde & quartum, quod ipse in universum monuit, nempe linteorum numerum augendum esse, ubi vel eorum laxatur intentio, vel ferulæ rejiciuntur;* quæ omnia, quum non admodum diversa sint ab ea ratione medendi, quæ ossibus simpliciter fractis adhibetur; ideo nunc dixit Hippocrates, quod *nulla magna mutatione* opus est, si valde tenuium ossium discessus expectetur.

(2) DISCESSERIT. Illa puris major copia, quæ ex ulcere, ubi suppurationes in profundo circa ossa fiunt, profluit, inter signa discessus ossis Hippocrates annumeravit, ut *not.* (32) *cap.* 30. observavimus. Quando autem os illud discessit, ablata tunc causa suppurationum, puris quoque quantitas cessat; atque tum non amplius opus est frequentius deligare ob nimiam humiditatem, ut paulo ante præceperat, sed id tantum facere oportebit, *donec os discesserit*.

(3) HABET. Posteaquam Hippocrates docuit, qua ratione curari debeat fractura, ex qua tenuis alicujus ossis discessus expectatur; diversam nunc aliam curationem docere prosequitur, quam adhibebimus ubi non tenue, atque exiguum, sed grandius aliquod ossis fragmentum abscessurum esse præviderimus. Multum ergo intererit prænoscere, an tenue, vel majus sit ossis fragmentum, quod excedere debet, sive hoc a principio, sive postea cognoverimus, ut debita magisque opportuna ratio medendi suscipiatur.

©BIU Santé

ta (4), latitudine quidem dimidio palmo non minora, quale tamen fuerit vulnus, juxta hoc conjectura facienda eſt (5): longitudine vero paulo quidem breviora, quam ut bis circum ſauciatum corpus circumduci poſſint, multo vero longiora, quam ut ſemel (6). Copia vero tot ſint, quot facere conducit (7). Hæc in vino nigro auſtero made-

(4) DUPLICATA. Faſcia, quam modo deſcribit Hippocrates pro hac fractura, ex qua majoris oſſis diſceſſus expectatur, a libriformi illa, ſive octodecim capitum, non longe diſtat, quam recentiores omnes auctores proponunt, ut innuimus *not.* (1) *cap.* 29.; imo, quod ejuſdem inventio ex hoc Hippocratis loco deſumpta fuerit non a veritate alienum ſuſpicor. Libriformis enim recentiorum faſcia; nihil aliud eſt, niſi ſplenium utrinque conciſum, uti videre eſt in *Tab.* 9. *fig.* 4., & *Tab.* 38. *fig.* 25. *Inſtitut. Chirurg. Heiſteri*.

(5) FACIENDA EST. Horum ſpleniorum latitudo, non modo totum vulnus, ſed multum etiam partis ſanæ comprehendere debet; uti de illa faſcia, quæ prima injicitur, monuerat Hippocrates *cap.* 29. atque nos ibidem *not.* (4) (5) (6) animadvertimus. Quamquam ideo parvum id vulnus fuerit, latitudinis tamen dimidio palmo minoris ea ſplenia eſſe non debent. Si vero vulnus longum admodum ſit, tunc conjectura facta, ut multum partis ſanæ comprehendant, latiora adhuc ſplenia adhibebimus.

(6) SEMEL. Pro vulneris magnitudine horum ſpleniorum latitudo variare poterit; ſed longitudo eadem ſemper eſſe debebit, tanta ſcilicet, quanta ſufficiet, ut una, & dimidia convolutione membrum complectatur. De hac ſpleniorum menſura ſic ait *Galenus*; *Recte æſtimata membri craſſitudine, facile invenies, qua longitudine plagulæ eſſe debeant, ut membrum videlicet ſemel totum, iterumque dimidium ambiant: quod ſi tuæ conjecturæ admodum non confidis, ubi ſuper integro membro experiaris, convenientem longitudinem invenire exquiſitè poteris.*

(7) CONDUCIT. Latitudinem tantummodo, & longitudinem horum ſpleniorum Hippocrates indigitavit; de copia vero nihil aliud dixit, niſi *tot ſint, quot facere conducit*; quoniam pro membri affecti, vel fracturæ diverſitate, diverſa ſpleniorum copia requiri poterit. Equidem non eandem ſpleniorum copiam femoris fracturæ, quam humeri, adhibebimus; neque, quod ſufficiet fracturæ incompletæ cubiti, idem fracturæ completæ oſſium tibiæ ſuffecerit: ideo ubi majoris alicujus oſſis diſceſſus expectatur, ſpleniorum copia tanta eſſe debet, quantam ad vulneris, fracturæque qualitatem conducere judicabimus. Hanc Hippocratis deligandi rationem in ejuſmodi fracturis ſummopere laudat *Scultetus* in declaratione *tab.* 28. ubi ait; *Probatiſſimus autem deligandi modus eſt Hippocraticus, quo pus non intercluditur, fractura ſtabilitur, inflammatio arcetur, dolor non excitatur, & citiſſima oſſis receſſio procuratur. Ad hæc omnia præſtanda ex panno lineo parentur plagulæ duplicatæ, non anguſtiores, quam ut labia vulneris ſufficienter apprehendant; quoad longitudinem paulo longiores, quam ut ſemel membrum circumeant, totque numero ſint, quot ad faſciam aſcialem, opus erit.* Animadvertere inſuper oportet, ut horum ſpleniorum abſciſſiones ſecundum lintei rectitudinem fiant; quemadmodum poſt Hippo-

©BIU Santé

madefacta (8), ex medio initio facto circumvolvere oportet, quemadmodum fascia ex duobus initiis deligatur (9): & deinde asciatim (10) alter-

Hippocratem, alter sapientissimus, diligentissimusque auctor *Galenus* monet in libro *de Fasciis*, inquiens; *Fasciæ autem, quæ ex inciso linteo fiunt, eo non transverso, sed in longitudinem fisso fieri debent, sequendo videlicet recta ipsum stagmen, nam sic facilius findentur: secus eveniet, si id aggrediaris subtegmen sequens; cui accedit, quod in longitudine scissæ fasciæ, quod vinctum est, validius tenent.*

(8) MADEFACTA. Hæc splenia, quibus vulnus deligandum, vino nigro austero madefacienda esse Hippocrates præcipit; atque hoc valde prodest, tum quia vinum optimum est ad vulnera remedium, tum quia eo arefacto, splenia solidiora fiunt, atque firmius hærent. Quare autem vinum nigrum austerum præferat Hippocrates, accuratissime exposuit *Galenus comment.3. text.21.*, propriaque experientia id vinum alio quolibet vino melius esse ostendit, atque testatur: ait enim; *Sed & vino eas esse madefaciendas præcipit, quod sit colore nigrum, sapore austerum, substantia vero tale, quale quod crassius est; nigrum enim, & austerum vinum ad istiusmodi affectus omnium aliorum maxime conducit; communem enim eam utilitatem præstat, cujus utique gratia ulceribus adhibetur, cæterisque adstringentibus vinis omnibus minus mordax est: quod in hujusmodi curationibus plurimi faciendum est, quum jam didicerimus inflammationes ex dolore concitari; & idcirco id præferendum est, quod non valde austerum sit, sed moderate, nam quod austerum nimis est, dolores ciet, dum carnem plus justo compingit, ac contrahit, & proinde neque id, quod substantia tenue est, cujusmodi album est, aut flavum, aut rufum huic negotio commodum est: quum enim in partes altiores exulceratæ carnis penetret, sensim ibi doloris plus affert ob ejus astrictionem, & compressionem: at quod crassius est quale est nigrum, altius in carnem non penetrat, sed solam illi qualitatem impertitur, eam refrigerans, & cogens, atque ita humores jam in eo loco comprehensos extrudit, defluentes vero reprimit: nigro itaque vino austero ratio ipsa astipulatur. Sed si præterea ejus vires experientia comprobare velis, eo ad maxima, ac gravissima vulnera usus, profecto me non mentiri comperies.* Celsus, & Scultetus oenolæo, quod ex vino austero, & oleo rosarum componitur, splenia madefaciunt; Paulus Ægineta Posca utitur; recentiores, uti Petitus, Heisterus, Platnerus, aliique, vini spiritu cum camphora ea imbibunt, quæ omnia optima remedia censenda sunt; sed Hippocratis vinum austerum, cum propter rationes a *Galeno* mox allatas, tum propter comprobatam experientia utilitatem, his omnibus remediis præferendum.

(9) DELIGATUR. Ratio, qua hæc splenia injici debent, est, ut eorum medium super vulnus ponatur; ipso, eodemque modo, quo fasciæ duorum capitum injiciuntur, quæ ex medio applicantur, capita vero utrinque convolvuntur.

(10) ASCIATIM. Ut in reliquis, sic pariter in fasciarum deligationibus summum studium, multamque diligentiam Veteres posuisse cernimus: quam quidem chirurgiæ partem, quæ maximi momenti est, & quæ summopere curationibus conferre potest, nonnulli ex recentioribus admodum perfunctorie tractant, turpiterque negligunt, dum in solis balsamis, & emplastris omnem opem esse, totumque curationis negotium positum putant. Plurimas equidem,

©BIU Santé

alternatione ipſorum facta initia, dimittere (11). Hæc & ſuper ipſum ulcus

dem, varias, præclaraſque deligationum ſpecies, faſciarumque formas veteres Græci tradidernnt; ut *Hippocrates in Chirurg. Officin.*, *Galenus lib. de Laqueis*, qui oprime, elegantiſſimeque multiplices faſciarum figurationes, convolutiones, nexus, nodorumque varia genera ex *Sorano*, *Diocle*, *Glaucio*, *Perigene*, *Soſtrato*, *Menecrate*, *Heracle*, aliiſque vetuſtiſſimis auctoribus deſumpta, exponunt. Præcipuas deligationum ſpecies retulit *Hippocrates in lib. Chirurg. Officin.* ubi ſcripſit; *Deligationum ſpecies vero ſunt, ſimplex, rotunda, aſcia, ſima, oculus, rhombus, dimidiata, accommodando ſpeciem ſpecie, & affectioni illius, quod deligatur*. Luculentiſſimam de his omnibus deligationum ſpeciebus explicationem dedit *Galenus comment. 2. text. 2. Chirurg. Officin.* ex qua perſpicuum fit, quod ea eſt aſcia deligatio, quæ non prorſus in gyrum, ut rotunda, neque adeo obliqua ut ſima, circumducitur, ſed quæ aliquatenus a rectitudine deflectens, media inter utramque eſt; de qua ſic ait *Galenus comment. 3. text. 21. in hoc libro de Fracturis. Aſcia eſt, quando involutio parum a rectitudine ad latus declinans, nondum tamen obliqua dici poteſt: cui id nomen ab aſcia fabrorum inditum eſt, quippe quæ a recto parumper devians, in ſummitate nonnihil incurvatur*.

(11) DIMITTERE. In eo caſu, de quo nunc agit Hippocrates, pro faſciis hæc ſplenia proponit, ut leniter vulnus abſque deligatione firmetur, veluti exponit *Palladius ſect. 3.* dicens; *Si autem ſquamma magna fuerit, tunc diligentia multa adhibenda, vinculum autem tranſverſim in modum literæ X. immittendum, & non ligandum*. Verum *Fabius Calvus* in ſua traductione, hunc textum Hippocratis ita divulgavit; *Medium autem faſciæ ſuper vulnus ponito, de medioque faſciæ faſciare incipito, duobuſque capitibus permutatim deligato ſecundum vulnus utrinque, quod ne ſtringito, ſed commode prehendito, & deligato*. Ex his igitur omnibus, ad mentem Hippocratis eſſe autumo, linteum, ſive ſplenium ſumere, dimidio palmi non minus utrinque fiſſum, quod faſciam duplicatam formabit; cujus pars media ſupra vulnus injici debet, initia vero ſic alternatione circumvolvi, ut aſciatim declinando, mutuo ſibi rurſus obviam facta, ad ſimilitudinem literæ X. concurrant, quæ tandem, pro deligatione, extremitatibus ad externas partes committuntur: ſic enim ulcus non comprimetur, dum interim ſatis lintea fulcientur. Talem faſciandi rationem adumbrare mihi videtur *Petrus Pigræus lib. 6. cap. 2.* ubi ait; *Faſciandi autem ratio in fractura cum vulnere duplex, ſeu duorum capitum, eſſe debet, incipiendo &c.* Verum quandoque adeo contrita ſunt oſſa, ut non ſine ſummo dolore, atque commotionis oſſium periculo, crus ad hæc Hippocratis ſplenia circumvolvenda, extolli poſſit; in hoc caſu optimam præſcribit deligationem *Ambroſius Paræus lib. 14. cap. 24.* inquiens; *Linteo haud invalido, nimiumve trito, duplato, triplatove, quod unica obvolutione vulnus comprehendat, viciniæque ejus ſufficiat, deligationis, & faſciarum vices ſuppleantur: ejus oras ad vulneris latera Chirurgus conſuat, ne quoties vulnus curandum erit, oſſium fragmenta, quæ ſemel reſtituta, immota manere oportet, commovere cogatur*. Hac *Paræi* deligandæ faſciæ ratione uſum ſe quoque fuiſſe, narrat *Cæſar Magatus lib. 2. cap. 7.* ubi ait; *aliquando appoſitis ſpleniis membrum complector quadruplicato illo Paræi linteo, quod diligenter conſutum vicem gerit deligationis, & abſque partis contrectatione diſſoluta ſutura poteſt pars denudari*. Recentiores autem, ut *not.* (1) *cap. 29.*

©BIU Santé

ulcus adhibenda ſunt, & ab utraque (12) ulceris parte, & ne comprimantur, ſed ſaltem fulciendi ulceris gratia incumbant. Supra ipſum vero ulcus, ceratum picatum imponere oportet, aut aliquod ex emplaſtris cruentis vulneribus deſtinatis (13), aut aliud quoddam medicamentum, quod familiare, ac idoneum ſit humectationi (14) adhi-

cap. 29. innuimus, non incongrue in hoc caſu illa faſcia octodecim capitum utuntur, qualem expreſſit *Petitus Tom.*2. *cap.* 13., ac *Heiſterus Tab.* 29. *fig.* 4. & *Tab.*38. *fig.*25. Hac enim faſcia vulnus commodiſſime detegi, ac curari poteſt, quin oſſa fracta ullum ob contrectationem detrimentum patiantur.

(12) AB UTRAQUE. Hoc etiam in loco præceptum illud iterum commemorat Hippocrates, quod docuerat *cap.* 29., ubi generatim dixit; *Et id quo primum deligamus multo latius ſit ipſo ulcere*; ut ibidem *not.* (5) (6) adnotavimus,

(13) DESTINATIS. Vulnera cruenta, ſive recenter facta, ſimpliciſſimis remediis, atque rara deligatione curare ſolemus; disjunctis enim partibus iterum unitis, atque ſic firmiter retentis, reliquum ſanationis opus ſola natura perficit: hinc *Celſus lib.* 5. *cap.* 26. dixit; *Licet ſine peregrinis, & conquiſitis, & compoſitis medicamentis vulnus curare*. Ipſam aquam communem ad vulneris curationem ſufficiens eſſe remedium *Hippocrates*, *Celſus*, aliique vetuſtiſſimi Medici jam cognoverant; atque de hoc argumento egregium librum compoſuit, ac edidit anno 1420. *Philippus Palatius*, qui liber inſcribitur: *De vera methodo quibuſcumque vulneribus medendi cum aqua ſimplici*. Verum non omnia vulnera hoc adeo ſimplici remedio tuto curantur; quemadmodum ea ſunt, quæ a cauſſis contundentibus, & lacerantibus producuntur; nam nec nova carne repleri, nec cicatrice obduci hujuſmodi vulnus poterit, quin prius laceratæ, & ſemimortuæ fibræ, humoreſque contuſione effuſi, ſuppuratione ſecedant, &, ablatis his impedimentis, nova caro gliſcere, ſuumque opus poſſit natura contexere. Hujus generis ea vulnera eſſe ſolent, quæ cum fracturis fiunt; atque de his ſpeciatim verba facere intellexit Hippocrates in hoc textu; uti adnotat *Galenus*, qui ait; *Nam neque ſimplex vulnus ab enſe inflictum hoc loco curare docet, ſed id, in quo neceſſe eſt, ut toto in circuitu ejus caro contuſa aut magis, aut minus ſit: quæ enim oſſa frangere poſſunt, eadem & carnis non parum conterunt, quare non immerito ulceribus injici aliquod ex his medicamentis præcepit, quæ cruentis vulneribus ſolent imponi, ut & curet, atque etiam dolorem leniat contuſis partibus appoſitum*. Simplex ergo vulnus vel ſola aqua, vel vino, vel ovi albumine, vel alio aliquo remedio ſimpliciſſimo curari poterit; contuſum vero laceratumque vulnus, quale eſt id, de quo nunc agimus, magis compoſita remedia requiret; ideo non ſine optima ratione in hoc textu ceratum picatum imponere jubet Hippocrates; *aut aliquod ex emplaſtris cruentis vulneribus deſtinatis*; de quibus vide, quæ adnotavimus *not.* (2) *cap.* 29.

(14) HUMECTATIONI. Quoniam dixerat Hippocrates, quod aliquo *ex emplaſtris cruentis vulneribus deſtinatis* hujuſmodi vulnus curari poterit; atque mox etiam ſubjunxerit, quod ſplenia ad contuſionem reſolvendam, leniendumque dolorem frequenter madefacere oportet; ideo nos monere hoc inſuper voluit, ut nimis craſſis, latiſque

©BIU Santé

adhibendæ: & ſi quidem æſtatis tempus fuerit, vino madefacere ſplenia frequenter oportet (15). Si vero hyems, lanas ſuccidas multas vino, & oleo imbutas abhibeto (16). Oportet autem capræ pellem ſubſternere, & defluxiones obſervare, ut facile effluere poſſint (17), ita

que emplaſtris non utamur; nam hæc ea, quæ exterius perfunduntur non admitterent; ſed talia remedia admoveamus, quæ perfuſioni idonea ſint; quemadmodum expoſuit *Galenus comment.* 3. *text.* 23. inquiens; *Merito igitur aliquid etiam cruenti medicamenti ſuperinjiciendum cenſet, quod contuſis conducit, mitigationemque affert; quod tamen habere vim eam vult, ut infuſionem extrinſecus non repudiet, ſed admittat.*

(15) OPORTET. Non modo pro diverſis fracturarum, vulnerumque qualitatibus diverſas medendi rationes ſapientiſſimus ſenex docuit; ſed pro anni temporibus diverſas etiam cautiones, proviſioneſque proponit; quæ magis ſemper abſolutiſſimam Veterum in morborum curationibus ſuſcipiendis diligentiam oſtendunt, atque declarant: nam hæc, non quidem ſine noſtro ſummo pudore, neotericos pleroſque oſcitanter prætermittere cernimus. Quum ergo æſtas calida ſit, & humectari poſtulet, ideo dixit Hippocrates, quod æſtate vino madefacere ſplenia frequenter oportet. Cur autem vino, & quo vino utendum ſit, mox *not.* (8) obſervavimus.

(16) ADHIBETO. Duo hic ſunt adnotanda, alterum, quod Hippocrates æſtate ob aeris ſiccitatem ſplenia frequenter madefacere jubet, hyeme vero, qua aer humidus, & frigidus eſt, non frequenter madefacere, ſed tantum dixit, *vinum, & oleum adhibeto*; alterum eſt, quod hyeme, ut ulcus caleſiat, præter ſplenia, *lanas ſuccidas multas*, non vino ſimpliciter, ſed vino, & oleo imbutas apponendas eſſe cenſet: cujus rei rationem hanc reddit Galenus *commet.* 3. *text.* 24.; *Multa lana appoſita, & addito pauco oleo detrahit de frigoris vehementia; ſuccidam vero eſſe adhibendam cenſet, quia ejus ſordes tum caloris, tum frigoris particeps eſt.* Hoc pro variis anni temporibus curationis diſcrimen, non quidem erit inutile; atque id diligentiſſimos veteres Medicos cognoviſſe, accuratiſſimeque attendiſſe cernimus; ſic *Celſus, lib.* 8. *cap.* 10. dixit; *Quam plagam ſolvere ſi accidit, maturius oportet, & fovere aqua per æſtatem frigida, per hyemem egelida.* Lanæ ſuccidæ conditiones, & effectus jam adnotavimus *not.* (2) *cap.* 25.

(17) POSSINT. Quoniam æſtate vino frequenter madefacere juſſerat, ideo, ut caveremus, ne totus ægrotantis lectus eo maderet, ſed tantummodo affectus locus irrigaretur, capræ pellem, vel aliam, quæ æque denſa ſit, ſubſternere conſulit; ſic enim quidquid de humectatione redundaverit, non diffundetur, ſed facile poterit effluere. Hac Hippocratica methodo ſe optime uſum fuiſſe narrat *Galenus comment.* 3. *text.* 21. inquiens; *Quum apud nos Pergami Pontifices ſemper ſingulare gladiatorium certamen proponerent, ego plures graviſſime vulneratos curavi, appoſitis ſuper ipſum vulnus linteis multiplicibus ejuſmodi vino madentibus, ſuperadditaque exterius molli ſpongia, quæ diem, ac noctem totam ſubinde perfundebatur, ſuppoſito tamen ipſi membro vulnerato, ad pedes videlicet, corio leniter concavo, ut per id affuſum vinum, quaſi per canalem, defflueret, quod deinde pelvi vacua exceptum, denuo poſſet affundi.* Quando igitur pellem hanc ſubſternere voluerimus, debebimus etiam *defluxiones obſervare, ut facile effluere poſſint.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 246 sur 355

©BIU Santé

ita ut meminerimus, quod hi loci in iiſdem figuris multo tempore permanentes, intertigines curatu difficiles faciunt (18).

ſint; ita, ſcilicet, pellis erit aptanda, ut in aliqua parte canalem efformet, per quem defluens liquor effluere, & pelvi excipi poſſit.

(18) FACIUNT. Præter moleſtiam, quam ex lecti perfuſione æger perciperet, partes inſuper illæ, quæ debent ſuper madido, & calido loco in eadem figuratione, eodemque in ſitu perpetuo decumbere, intertigine, ſive excoriationibus, atque eroſionibus difficilis curationis, afficerentur. Sic etiam eos, qui putridis maligniſque febribus laborant, quia ſupini ſolent aſſiduo decumbere, urinamque invito excernere, calore loci, urinæque continua hnmectatione, ulceribus difficilis curationis, gangræniſque, etiam cum carie oſſis ſacri, affici ſæpiſſime cernimus: unde ad hoc cavendum, non, fine ratione, in caſu, de quo nunc agitur, Hippocrates pellem ſubſternere præcipit, ut defluxiones poſſint effluere, ne intertigines excitentur.



CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXXII.

Qui deligatione curari nequeunt. Extenſio juſta per machinamenta.

QUI vero deligatione ſanari per aliquem ex relatis, aut referendis modis non poſſunt, eos magnam huc curam adhibere convenit, ut fractam corporis partem commode poſitam habeant ſecundum rectitudinem (1), animadverſione ad hoc habita, ut ſurſum magis, quam deor-

(1) RECTITUDINEM. In quibuſdam fracturis oſſa interdum adeo conteruntur, carneſque lacerantur, ut nullo ex relatis, aut referendis modis curari poſſint, & vix alia ulla ſalutis ſpes ſupereſſe videatur, niſi in totius membri amputatione; quæ in brachio, & crure res eſt ægro miſerrima, & non carens periculo; in femore autem eſt inſuper periculoſiſſima. Hanc crudelem operationem nunquam, nulloque in caſu eſſe aggrediendam, nuper accuratiſſima diſſertatione, *De inutilitate Amputationum* inſcripta, niſus eſt ſuadere *Joannes Bilguer* Friderici Regis Boruſſiæ Chirurgus primarius caſtrenſis; ubi clariſſimus Auctor amputationum pericula exponens, & calamitates, quibus homines afficimus, dum eis præcipuum aliquod membrum mutilamus, perpendens, amputationes ab operationum chirurgicarum numero expungit; atque rationibus, experimentiſque oſtendit, multos, qui ob morbi magnitudinem amputandi videbantur, optima, convenientique ratione curatos, ſervari integros poſſe; ſin minus, lenius, minorique cum periculo membrum corruptum ſponte tandem decidere affirmat: cui diſſertationi ſuis adnotationibus calculum adjecit clariſſimus *Tiſſot*. Non abſimili ratione hujuſmodi fracturas Hippocratem curare conſueviſſe apparet; nam pro magnitudine morbi, qui neque *relatis*, neque *referendis modis* ſanari poterit, nunquam membri amputationem proponit, ſed tantum monet, in id eſſe animo intendendum, ut ægri *fractam corporis partem commode poſitam habeant ſecundum rectitudinem*. Profecto, nunquam Hippocratem amputationes membrorum praeſtitiſſe, apparet, niſi tali ratione, & in eo caſu, ut deſcripſit in *lib. de Articulis cap.* 80. ubi ait; *Quibus vero dum oſſa ſana ſunt, denigrationes fiunt, carnes quidem etiam his cito moriuntur, oſſa vero tarde abſcedunt, qua parte termini ſunt denigrationis, & oſſis nudatio extat. Oportet autem partes corporis quæcunque infra terminos denigrationis ſunt, quum jam penitus mortuæ fuerint, & doloris exortes, juxta articulum auferre, providendo, ut ne vulneres: ſi enim is, cui reſectio fit, dolore affectus fuerit, & corpus nondum mortuum fuerit ea parte, qua reſecatur, magnum periculum eſt, ne præ dolore animi deliquium incidat*. Verum aliquando recentiores Chirurgi nimis quidem properanter ad membrorum amputationes deſcendunt. Sic nobiliſſimum, ſtrenuiſſimumque ducem agnoſco, qui belli vulnus cum fractura in articulatione cubiti a ſclopeto inflictum exceperat, cui mox amputationem brachii facere inſtabat caſtrenſis Chirurgus, quam operationem ipſe enixe renuit ſubire; ex quo ſanus, & integer nunc eſt, ſuoque brachio, & manu utitur commodiſſime. Hanc hiſtoriam ipſe mihi ordine narravit, ſuaſque cicatrices oſtendit.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 248 sur 355

©BIU Santé

Talem quorundam Chirurgorum abuſum in amputandis nimis celeriter illis partibus, quæ ingentem cum vulnere fracturam ſuſtinuerunt, pluries experientia detexit; atque legi merentur rationes, atque experimenta, quæ in hoc argumentum a clariſſimis Chirurgis allata ſunt in commentariis Academiæ Regiæ Chirurgicæ Pariſienſis lib. *Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie a Paris* 1753. unde ex obſervationibus *Fauri* hæc verba excerpta, & relata legimus in *Comment. Lipſien. de Rebus in Scient. natural., & Medicin. geſtis, volum. 3. par. 4. Experientia enim cognoverat poſt prælium apud villam Fontenoi, ex trecentis ægris, in quibus amputatio mox in principio tentata fuerat, vix triginta, vel quadraginta evaſiſſe, cum e contrario in aliis, poſt menſis, vel ſex ſeptimanarum intervallum ſuſcepta, non obſtante virium debilitate, ex voto ſucceſſerit*: quæ obſervationes, quantum cum Hippocratis citato textu congruant, quiſquis facile comprehendet. Verum quandoque oſſium fractura adeo cum ingenti carnium vulnere, ac laceratione fit, ut nulla fractorum oſſium repoſitionis, neque vulneris ſanationis ſpes eſſe poſſit; ſed affecta pars protinus amputanda, ne ſphacelo membrum univerſum corripiatur: in hoc enim caſu inquit *Celſus lib. 7. cap. 33. Nihil intereſt an ſatis tutum præſidium ſit, quod unicum eſt.* Licet autem omnes fere Scriptores, qui membrorum amputandorum præcepta tradidere, in ea membri parte reſecandum perhibeant, ubi nullus, vel ſaltem pauciſſimi tendines inſunt; idque cavendum eſſe doceant, ne ex tendinearum partium reciſione ingentes dolores, convulſioneſque excitentur: experientia tamen comprobavit, quod nullum pravum ſymptoma ex tendinum reciſione ſolet accidere; immo facilius, magiſque tuto in amputatis partibus excarnibus, quam muſculoſis cicatricem natura gignere conſuevit. Sic in cruris amputatione cum ad faciliorem curationem, tum ad ægroti tantis commodum, quatuor tranſverſos digitos ſub rotula tibiam reſecare jubent Auctores. Sed quoties in oſſibus Tarſi, vel Malleolis inhæſerit fractura cum ingenti carnium laceratione, facilius tunc ſemper, minorique cum periculo amputatio inſtituitur, ac citius cicatrice vulnus obducitur, ſi paulo ſupra Malleolos, quam infra genu, reſcindatur. Nullum enim ex Achillis, Peroneorum, ac Tibialium muſculorum tendinum reſectione pravum ſymptoma ſequi, nos docuit experientia, inventumque *Halleri*, de Tendinum inſenſibilitate, pluribus exemplis confirmavit. In his præterea locis, ubi arteriæ in minores ramos diſpertiuntur, facili negotio compeſci poteſt hæmorrhagia. Omnino periculoſum eſt crus homini amputare; atqui res miſera, ſi poſtquam is adeo crudelem ſuſtinuerit operationem, vitam tamen amiſerit. Quoties igitur membrum aliquod erimus coacti amputare, plus ſemper ægrotantis vitæ, quam commodo proſpicere debemus, eum locum eligendo, ubi facilius ſanatio ſperari poteſt. Non equidem facile aſſentiar omnibus illis Auctoribus, qui indiſcriminatim, & in omni caſu cruris amputationem ſub genu fieri debere cenſent, ut *Heiſtero*, qui licet in Tarſo, ac Metatarſo morbus inerit, crus tamen ſub genu reſcindendum proponit, inquiens; *Tametſi enim ſic bona ſimul, atque magna tibiæ pars ſimul reſcinditur, longe tamen facilius & pedis deformitas, & inceſſus incommoditas evitantur*; ſed potius *Solingeni* methodus retinenda, quam *Junkerus tab. 21. §. 7.* recenſuit, ubi ſcripſit; *Quando tibia ob pedem corruptum amputanda eſt, Solingen non ſub patella, ſed ſupra Malleolos operationem inſtituere, & deinde pedem artificioſum ita præparare docet, ut trunco non incurvato, ſed recto æger incedere poſſit.* Nullum equidem novi, qui ob ampurationem prope Malleolos, de nimia relicti cruris longitudine conque-

©BIU Santé

deorſum vergat (2). Si vero quis bene, ac facile opus perficere velit, operæ pretium eſt etiam machinamenta facere, quo juſtam, & non violentam extenſionem pars corporis fracta habeat. Maxime vero in tibia machinamenta adhibere expedit (3). Sunt igitur aliqui, qui in omnibus tibiæ fracturis, & quæ deligantur, & quæ non deligantur, pedem ſummum ad lectum alligant, aut ad aliud quoddam lignum juxta lectum defoſſum. Hi itaque omnia mala faciunt, nihil autem boni: neque enim ullam

quereretur. Inauditum profecto, deſperatumque fuit illius militis conſilium, ut & temerarius Chirurgi auſus, quem nemo unquam imitari debebit, id, quod his verbis retulit *Pæus lib.* 11. *cap.* 8. *Novi Franciſcum Clericum Capitaneum, cum ipſi ex nave pugnanti pes non nihil ſupra Malleolum, pila ferrea æneo tormento exploſa, abreptus eſſet, atque ex eo vulnere poſtea convaluiſſet; poſtmodum reliqui, & inutilis, vel potius oneroſi, graviſque cruris tædio affectum, id ſibi vivo, & ſentienti quinque digitos contra genu abſcindi curaſſe, & profecto longe nunc expeditius eo ad omnem motum utitur.* Hujuſmodi facinora nobiliſſimam artem, ſalutis humanæ præſidem, inviſam reddunt, atque vituperant; atrociſque hominis nota merito deſignaretur Chirurgus, quotieſcunque abſque neceſſitate ſimiles periculoſas, crudeleſque operationes aggrederetur.

(2) VERGAT. Quare fractæ corporis partes ita collocandæ ſint, ut ſurſum magis, quam deorſum vergant, & qualis acclivitatis terminus eſſe debeat, jam adnotavimus *not.* (12) *cap.* 13.

(3) EXPEDIT. Si aliqua pars adeo vulnere dilacerata, oſſaque contrita fuerint, ut nullo ex relatis, aut referendis modis curari poſſit; tunc, quo melius fieri poterit, ſecundum rectitudinem, atque in acclive, membrum ponere Hippocrates præcipit; & quoniam neque deligatione, neque ſpleniis, neque ferulis hujuſmodi fractura poteſt fulciri, machinamenta facere conſulit, *ut juſtam, & non violentam extenſionem pars corporis fracta habeat.* Varia machinamentorum, fulcimentorumque genera, cum a veteribus, tum a recentioribus inventa fuiſſe obſervavimus *cap.* 19. ex quibus pro fracturæ, membrique conditione, quod opportunius videbitur, prudens Chirurgus poterit ſeligere, vel ſimilia invenire, quibus id, quod requiritur, obtineatur. Pro fractura complicata cruris, cui *maxime machinamenta adhibere expedit*, peculiarem machinam, ſive capſam invenit *Petitus*, qua oſſa in ſua naturali figuratione ſatis retinentur: & quoniam hæc capſa ex pluribus partibus conjunctis, quæ diſſolvi poſſunt, quin crus dimoveatur, eſt coagmentata; ideo pro hujuſmodi fracturis, in quibus vulnus ſæpe curari debet, erit accommodatiſſima. Hujus capſæ accuratiſſimam deſcriptionem, atque figuram tradidit *Petitus tom.* 2. *chap.* 13. ubi ait; *Deſcription d'une Boëte de nouvelle invention, pour le panſement des fractures compliquées de la jambe.* Hujus capſæ figuram expreſſit etiam *Garengeot Inſtrum. de Chirurg. tom.* 2. *chap.* 8. *artic.* 3., de qua ait. *M. Petit à preſenté à l'Academie une Boëte très-ingenieuſement imaginée, & qui à les bontes des autres machines ſans avoir leurs imperfections. Heiſterus* vero *tom.* 2. *tab.* 9. *fig.* 11. & 12. hujus capſæ ſtructuram tum integram, & conjunctam, tum in partes diviſam, & diſtinctam, ut ejus fabrica melius cognoſci poſſit, repræſentavit.

©BIU Santé

ullam opem affert extenſioni hæc pedis alligatio: nihilo enim minus ad pedem concedet reliquum corpus, atque ſic non amplius extenditur: neque rurſus ad rectitudinem quicquam prodeſt, ſed etiam obeſt: dum enim vertitur reliquum corpus aut hac, aut illac, nihil prohibebit vinculum illud, quo minus & pes, & oſſa pedi annexa, reliquum corpus ſequantur: imo ſi pes alligatus non fuiſſet, minus diſtorqueretur (4). Si vero quis pilas duas (5) ex corio Ægyptio (6) conſuat, tales, quales geſtant hi, qui multo tempore in magnis compedibus vincti ſunt: habeant autem pilæ hinc, atque illinc tunicas, ad vulneris quidem partes, profun-

(4) DISTORQUERETUR. Quod inutilis, atque etiam damnoſa ſit hæc ratio deligandi pedem ad ſummum lectum, aut ad aliud quoddam lignum juxta lectum defoſſum, adeo luculenter, atque ſolidiſſimis rationibus oſtendit Hippocrates, ut nulla explanatione opus ſit. Verum non poſſumus ſine admiratione animadvertere, quod ex omnibus fere erroribus, qui temporibus Hippocratis vigebant, nullus unquam penitus deletus fuit, ſed ſinguli ad noſtram uſque ætatem pervenerunt. Hanc enim ad quoddam lignum juxta lectum defoſſum pravam pedis deligationem, quam Hippocrates damnat, non modo aliquem ex vetuſtiſſimis illis Medicis facere conſueviſſe cernimus; ſed apud nonnullos etiam medii ævi Chirurgos, eam in uſum fuiſſe legimus, uti conſtat ex *Theodorico lib. 2. cap. 38.*, qui ait; *Et aliqui Medicorum poſt decentem præparationem membri cum pulvinaribus, figunt palum juxta pedem infirmi in terra: & ad palum ne aliquo modo moveri valeat, fortiter ligant pedem: & eſt modus melior, & minori gravamine infirmi.* Hac pariter methodo curabat *Rogerius*; horum tamen exemplum, atque doctrinam ſe minime ſecutum ait *Guido a Cauliaco tract. 5. doct. 1. cap. 7.* Neque apud nos hodie etiam deſunt, qui talem pedis deligationem adhibent, & quid magni ſe agere credunt; tametſi non ſine ratione, atque experientia, quod *hi omnia mala faciunt, nihil autem boni* Hippocrates dixerit, idque *Galenus*, *Palladius*, aliique artis medicæ Principes confirmaverint.

(5) PILAS DUAS. Hoc machinamenti genus, ad crus extendendum idoneum, ſatis diffuſe, atque perſpicue ab Hippocrate deſcriptum eſt; ſi quis tamen non id clare ſatis intellexerit, videat ſchema, apud Galenum in interpetratione *Vidii*, & *Trincavelli* exculptum, quod nos quoque retulimus (*): quo facile, unoque ictu oculi hujus machinamenti conſtructio, agendique modus poterit percipi.

(6) ÆGYPTIO. Has pilas, ſive orbes, qui figura, & uſu, *Hildani* loro non multum abſimiles ſunt, ex corio Ægyptio facere ſuaſit Hippocrates; quia corium illud validum eſt, & molle, uti coria illa ſunt, quæ ad nos hodie ex Ruſſia transferuntur, Italice vulgo denominata *Pelli di Dante*. Ceterum præter Ægyptium, aliud etiam quodcunque corium, quod ſatis validum ſit, & molle, ad has pilas conficiendas eſſet idoneum; uti monuit *Galenus comment. 3. text. 29.* inquiens; *Conſulit vero, ut corium Ægyptium accipiatur, nempe quod validum ſit, & molle; ubi autem hujuſmodi corium in Italia, aut Thracia, aut alibi gentium reperires, non eſſet tibi in Ægyptia pelle inquirenda laborandum.*

(*) *Vid. Tab. V. Fig. II.*

©BIU Santé

fundiores: ad articulorum vero partes, breviores: ſint item tumidæ, ac molles, & congruentes ad hoc, ut altera ſupra Malleolos, altera infra genu coaptetur. Habeat inſuper utraque duas utrinque appendices a latere, aut ex ſimplici, aut ex duplici loro, breviores velut anſas, ita ut alteræ ſint ab utraque Malleoli, alteræ ab utraque genu parte; & ſuperna pila alteras tales habeat ſecundum eandem rectitudinem. Poſtea virgis corneis (7) acceptis, æqualem inter ſe magnitudinem habentibus, craſſitudine quidem digitali, longitudine vero ut flexæ appendicibus congruant, huc diligentiam adhibeat, ut extremæ virgarum partes non ad corpus, ſed ad ſummas pilarum eminentias innitantur. Oportet autem tria eſſe virgarum paria, aut etiam plura, & alias aliis aliquanto longiores, & aliquanto breviores, ac minores, ut ſi velis magis diſtendere poſſis. Locentur autem virgæ utræque hinc, atque illinc a Malleolorum utraque parte. Hæc itaque ſi bene machinatus fueris, & extenſionem juſtam exhibuerint, & ſecundum rectitudinem æqualem, & vulneri nullus dolor acceſſerit: nam quæ expreſſa fuerint, ſi quid tamen exprimetur, partim ad pedem abducentur, partim ad femur: & virgæ hinc atque illinc a Malleolis accommodatiores erunt, ut tibiæ poſitio non impediatur, & vulnus probe impingat, ac ſuſtentetur: neque enim impedimento eſt, ſi quis velit duas virgas ſuperiores, ipſas inter ſe conjungere (8), & ſi quis leviter quid ſuperimponere velit, ut id, quod ſuperimponitur, a vulnere elevatum ſit. Si quidem igitur & pilæ lenes, & molles, & bonæ, & recenter conſutæ fuerint: & virgarum intentio probe intenta fuerit, velut jam dictum eſt; commodum (9) erit machi-

(7) CORNEIS. Cornus eſt arbor, ex cujus ramis, qui duri, & rigidi ſunt, haſtas, ac tela Veteres facere ſolebant; ſic *Ovidius Heroid. epiſt. 4. v. 83. dixit; ſive tenes lato venabula cornea ferro*. Corneis ideo virgis utebatur Hippocrates, ut earum duritie, atque rigiditate ſecurus eſſet, ne in opere flecterentur,

(8) CONJUNGERE. Quoniam dixerat cavendum eſſe, ne *extremæ virgarum partes ad corpus, ſed ad ſummas pilarum eminentias nitantur*; ideo nunc ait, quod nihil impediet, ſi quis velit, quominus duæ ſuperiores virgarum partes inter ſe leviter conjungantur; ſic enim inferiores extremitates aliquatenus divergendo, non ad corpus, ſed ad ſummas pilarum eminentias nitentur.

(9) COMMODUM. Tametſi hoc machinamenti genus jamdiu penitus obſoleverit, minime tamen eſt dubitandum, quin id pro hujuſmodi fracturis curandis commodum eſſet, atque utile, ſi quis omnes ejus partes diligenter conſtruere, beneque, ut Hippocrates docet, machinari noviſſet; non enim adeo accurata, longaque narratione hoc deſcripſiſſet Hippocrates, neque modum, cautioneſque adhibendi ejus adeo concinne expoſuiſſet, niſi, ut in more ipſi ſemper fuit, id ad hujuſmodi curationes peragendas optimum eſſe, pluries jam

©BIU Santé

machinamentum. Si vero quid horum non recte habuerit, læſerit magis, quam profuerit (10). Convenit autem, & alias machinas, aut bene machinari, aut non machinari: turpe enim eſt, & minime artificioſum in machinis ſtruendis a machinis aberrare (11).

jam experientia comprobatum vidiſſet. De hoc mentionem quoque fecit *Hippocrates in Mochlico*, ejuſque uſum laudavit; & *Palladius in Schol. ſect. 3.* hoc idem Hippocratis machinamentum explicat, atque ut optimum proponit. Verum hujus machinamenti, quod ab ipſo Hippocrate excogitatum fuiſſe, putat *Galenus*, non eſt facilis molitio; unde recentiores Græci, qui in eo moliendo felicitatem Hippocratis aſſequi non potuerunt, alteram, nec prorſus abſimilem, ſed quæ facilius extruitur, machinam, invenerunt, quam *Gloſſocomum* nuncuparunt, de quo vid. quæ adnotavimus *not.* (5) *cap.* 19. *Albertus Haller*, qui omnia Hippocratis opera, una cum pleriſque aliis operibus Græcorum Medicorum, ſub titulo *Artis Medicæ principes*, in unum collegit, & breviſſimis præfationibus a ſe ornata, recudi curavit, hunc librum de fracturis ſummis laudibus effert, & ob eximia præcepta, quibus refertus eſt, eum omnes legere, attenteque perpendere conſulit: hoc tamen machinamenti genus per virgas corneas, non prorſus ipſi opportunum, commodumque viſum fuiſſe apparet; nam in præfatione ad hunc librum *id vetuſtati donandum eſſe*, dixit; & in ſuis acceſſionibus ad *Therapeuticam Hermanni Boerhaave lib. de Method. ſtuden. Medicin.* in hoc eodem Hippocratis machinamento *veteris ruditatis veſtigia ſupercſſe* ſcripſit; ſed quamvis hoc *Halleri* judicium, ne minimum quidem Hippocratis ſapientiæ, gloriæque detrahat; non poſſum tamen, quin ego pro certo etiam habeam, quod inter ſolertiſſimas Hippocratis manus optimum hoc, præſtantiſſimumque fuerit inventum.

(10) PROFUERIT. Alia ratio, quare hoc machinamenti genere pauci poſt Hippocratem uſi ſint, præter difficultatem id recte ſtruendi; fuit etiam, quod ex ejus incongrua adminiſtratione ſe offeciſſe potius, quam juvaſſe, plerique experiebantur; quod cum prænoviſſet Hippocrates, ideo monuit, quod ſi quid in hoc machinamento *non recte habuerit*, *læſerit magis*, *quam profuerit*.

(11) ABERRARE. Quæcunque machinæ fracturis adhibentur, hæ ſemper ea vi, qua pollent aliquem effectum in ea parte, in quam agunt, edere debent. Eæ igitur conſtructæ ſolerter ſi fuerint, optata aſſequemur; ſin vero male, aut negligenter, omnino in contrarium res procedet, quod turpe eſſet, multumque damni afferret; quare *aut bene machinari*, *aut non machinari*, monet Hippocrates.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXXIII.

Fracturarum cum, & ſine ulceribus aliæ curationes. Vulnera ante tertium, aut quartum diem non movenda.

PLerique vero Medici fracturas & cum ulceribus, & ſine ulceribus primis diebus lanis ſuccidis curant, & nihil ab arte alienum ipſis hoc eſſe videtur: & qui quidem a recens vulneratis coguntur, ex linteorum inopia lanis uti, his plurimus veniæ locus patet: non enim habuerit quis in linteorum penuria (1), aliud quid multo melius ad tales deligandas, quam eſt lana. Verum omnino multæ lanæ eſſe debent, & valde bene carminatæ, & non aſperæ; nam paucarum, & malarum vires etiam modicæ ſunt (2). Qui vero ad unum, aut duos dies, lanis deligare juſtum eſſe cenſent, tertia vero, ac quarta linteis deligantes premunt, ac extendunt, tunc vel maxime, hi in re multi adeo, ac magni in medicina momenti, ſe imprudenter (3) gerunt. Minime enim tertia;

(1) PENURIA. Lanas ſuccidas, linteorum loco, in fracturis & cum ulceribus, & ſine ulceribus, non prorſus rejicit Hippocrates, attamen linamenta eis præferenda eſſe affirmat; neque venia dignum illum Chirurgum eſſe putat, qui lanis utitur, niſi is ob linteorum penuriam, ut recens fractis oſſibus ſollicite opem ferret, id facere coactus fuerit. Linamentis ergo ſemper curare debebimus: ſi vero pro conditione loci, ubi inſtitui curatio debeat, copia deſit linamentorum, tum lanas adhibebimus; unde Hippocratis judicio, pro curationibus commode gerendis, primum locum tenent linamenta; mox his præ quibuslibet aliis rebus lanæ ſuccedunt, nam ait; *Non enim habuerit quis in linteorum penuria, aliud quid multo melius ad tales deligandas, quam eſt lana.*

(2) MODICÆ SUNT. Hæc duo nos animadvertere debere in lanarum applicatione monet, ad earum ſcilicet quantitatem, & qualitatem. Quoad qualitatem, eas lanas ſeligendas eſſe præcipit, quæ bene carminatæ ſint, & non aſperæ, ut leniter, æqualiterque diſponi poſſint, neque inæqualitatibus, atque nodulis, ubi plus, ubi minus, comprimant. Quoad quantitatem, multas eſſe debere ait, ut ſatis a preſſione ferularum, canalis, aliarumve rerum, quas, prout fracturæ qualitas requireret, apponemus, pars affecta defendatur.

(3) IMPRUDENTER. Temporibus Hippocratis aliqui Medici lanis curare conſueverunt, tametſi linteorum inopiam non haberent; hi quamvis linteis rem melius gerere potuiſſent, ſi tamen rectam in curatione reliqua iniiſſent viam, haud valde erraſſent. Sed horum nonnulli in graviori etiam re ſe imprudenter gerebant; nam ad unum, aut duos dies lanis tantummodo deligabant, tertia vero, aut quarta die tunc linteis aſtringebant, ac extendebant quam maxime; Hæc agendi ratio, ut curationi maxime contraria, ab Hippocrate improbatur,

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 254 sur 355

©BIU Santé

tertia, ac quarta die omnia vulnera movere oportet (4): & ut in ſumma dicam, etiam omnes ſpecillorum admotiones vitare convenit in his diebus, & alia quoque, quibus vulnera irritantur (5): in totum enim tertia, ac quarta die in pleriſque vulneribus recrudeſcentias pariunt, & quæ ad inflammationem, ac immunditiam procedunt, & quæ ad febres deveniunt (6). Et hæc res multi momenti eſt, ut diſcatur, ut ſi qua alia (7). Cum qua enim ex utiliſſimis in medicina rebus, non ſolum

batur; quod adnotat *Galenus comment.* 3. *text.* 33. inquiens; *Depravatam quorundam Medicorum conſuetudinem hoc loco corrigere inſtituit, qui præſtare putant, ut confractum membrum non ſtatim a principio extendatur, ſed potius prima, & altera die dolor deliniatur, mox vero tertia, aut quarta ab ipſo initio, extenſio adhibeatur. Hippocrates vero docet id convenire, quod adverſariſſimum eſt.*

(4) OPORTET. Præceptum, quod in hoc textu tradit Hippocrates, non modo cujuſcunque generis fracturis, ſed quibuſvis etiam vulneribus, ceteriſque morbis ex cauſa violenta externa productis, veluti contuſionibus, luxationibus, articulorum dehiſcentiis, & ſimilibus, accommodum eſſe ſanxit, quum dixerit; *Minime enim tertia, ac quarta die, omnia vulnera movere oportet.* In *cap.* 21. ſcripſerat Hippocrates; *Et maxime quidem omnes fracturas in prima deligatione, quantum ejus fieri debet, extendere oportet; ſin minus quam citiſſime;* Cujus textus ſenſum conſideravimus *not.* (5), & (6) *cap.* 21. Imprudenter ergo ſe gerebant illi Medici, qui in prima deligatione fracturam non ſatis extendere curabant, tertia vero, vel quarta die, præter artis regulas, id facere tentabant.

(5) IRRITANTUR. Uti nulla fracturarum extenſio, vulnerumque coaptatio tertia, ac quarta die fieri debet, ſic etiam omnes *ſpecillorum*, ſive (ut alii Hippocratis interpretes ſcripſerunt) *ſcalpellorum* admotiones vitare convenit. Quandoque enim ut certi ſimus, an oſſis denudatio, vel fragmenta ſubſint, quæ poſtea abſceſſura ſint, vel etiam, an aliquod corpus extraneum in vulnus inciderit, vel fruſta veſtium ipſius ægroti (ut in vulneribus ſclopeto inflictis ſæpiſſime accidit) vulneris fundo indita ſint, ſpecillorum admotione vulnera exploramus, ac poſtea tenaculis, forcipibuſque extrahimus, nec raro etiam inciſiouibus, ut id perficiamus, opus eſt, quas *omnes ſpecillorum admotiones vitare convenit in his diebus, & alia quoque, quibus vulnera irritantur*; ſive, ut hunc Hippocratis textum *Fabius Calvus* interpretatus eſt; *diebus his omnes ſcalpri, ſpecillive ſcarificationes, cæteraſque vellicationes in his vulneribus, & cæteris caveto.*

(6) DEVENIUNT. Omnia vulnera ex cauſa contundente illata, in quibus, ut *not.* (15) *cap.* 29. obſervavimus, debet ſuppuratio fieri, tertia, vel quarta die aliquatenus intumeſcere ſolent, dolere, ac circum labia inflammari; ſi ergo tunc ſpecillis, vel alio quocunque modo hæc vulnera vellicabimus, jam recrudeſcens pars irritabitur, omniaque ſymptomata augebuntur; hinc Hippocrates dixit, *Minime enim tertia, ac quarta die omnia vulnera movere oportet*, quia ſcilicet, *recrudeſcentias pariunt, & quæ ad inflammationem, ac immunditiam procedunt, & quæ ad febres deveniunt.*

(7) SI QUA ALIA. Inter multos ſapientiſſimos canones, atque regulas, quas nobis eorum indefeſſo labore, longaque

©BIU Santé

gàque experientia comprobatas veteres Medici tradiderunt, nobiliſſima quidem, utilitatiſque plena ſunt ea, quæ de diebus criticis tradiderunt. Non deſunt tamen Scriptores, qui plus philoſophiæ, quam praxi Medicæ addicti, hanc de diebus criticis doctrinam nimis neglexerunt, eam parvi facientes, ac ſi non ex naturæ, conſtantiſque experientiæ penu fuiſſet deprompta, ſed Veterum eſſet commentum, aut tenebroſæ vetuſtatis præjudicium. Hi equidem in magno errore verſantur, dum hiſce prætermiſſis, omne ſtudium, omnemque operam in varias, lubricaſque phyſiologorum theoreticas ſpeculationes converterunt. Nullum ſane ſyſtema philoſophicum artem medicam unquam protulit. Hippocratis famam æquaſſet *Galenus*, ſi nimis ſuo qualitatum ſyſtemati non fuiſſet addictus. *Paracelſus*, *Helmontius*, *Silvius*, cæterique ſectæ chemicæ cultores, plus damni, quam utilitatis arti medicæ intulerunt. Sapientiſſimi jure optimo reputantur *Bellinus*, *Boerhaavius*, aliique, quia legibus phyſico-mechanicis Medicinam ornarunt: his inſuper *Vitalitatem* addidit *de Gorter*; irritabilitatem *Haller*; nuper electricitatem alii, ſed tamen ex tot præclaris, tantiſque inventis, non modo praxis medica in morborum curationibus haud multum profecit, ſed potius obſcurioribus tenebris obvoluta eſt, & incertiori pede procedit. Sola Hippocratis dicendi ſimplicitas, ſinceræque narrationes, inconcuſſæ veritatis ſunt oracula; neque in hoc textu ſcripſiſſet; *Et hæc res multi momenti eſt, ut diſcatur, ut ſi qua alia*, niſi id maximi Chirurgum ſcire intereſſet. In morbis igitur curandis plus ad ægroti ſalutem referet, tutiuſque procedemus, ſi dies noverimus, in quibus morborum augmenta, ſtatus, coctiones, criſes, deflexiones, reverſiones, degenerationeſque fieri ſolent, quam ſi globulorum rubrorum ſanguinis magnitudinem, minimorum vaſorum lumina, fluidorum velocitates, canalium oſcillationes, potentiarum, reſiſtentiarumque rationes, aliaque hujus generis ex mechanicis, hydraulicis, & hydroſtaticis laborioſo, utinam non inutili, calculo eruerimus. Non eſt tamen, quod nunc ego hujuſmodi ſtudia contemnere intelligam, atque philoſophorum inventa ab arte medica ſejungenda eſſe putem; quin immo nos, hæc multum arti præſtare, multumque luminis, atque adjumenti in curationibus afferre concedimus, omneſque, qui hanc artem ſalutarem adeptum accedunt, conſulimus, ut probe, fundituſque prius in philoſophicis inſtruantur: ſed nimium temporis impendere, omnemque in his confidentiam ponere; cetera vero ſeverioris praxis præcepta, queis Veteres ſolidiſſima artis fundamenta jecerunt vel prætermittere, vel obiter attingere, experti improbamus. Hoc in ſcriptis vere doctorum Virorum, peritorumque Medicorum ſemper inculcatum legimus. *De Gorter. comment. in Hipp. Aphor. 23. lib. 2.* dies perpendens, in quibus motiones criticas Natura moliri ſolet, hæc candide fatetur; *Tempus hoc ſolum nititur conſtanti practica obſervatione, quæ ſi non fuiſſet indagata, fateor, nos nunquam potuiſſe ex fabrica corporis, vel examine humorum hoc tempus in morbis rimari. Ita multa ſunt in morbis, quæ latuiſſent phyſiologos, cum talia per ſolas obſervationes in praxi ſunt eruenda. Hinc quiſque facile perſpicit ſubtilitates phyſiologicas in ſcientia medica utiles eſſe, nondum tamen valere, cuncta, quæ in morbis accidunt, perſcrutari. Morbus enim eſt res aliqua diverſa, non ſemper ſervans leges in ſanitate detectas: quare utile eſt praxin exercenti, ut non minus ſe in obſervationibus practicis exerceat, quam ut ſolis ſubtilitatibus theoreticis totum tempus terat.* Solidiſſimis rationibus, atque experientia hanc eandem ſententiam nu-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 256 sur 355

©BIU Santé

Im circa vulnera, verum etiam circa alios multos morbos, communionem non habet (8)? nisi quis etiam alios morbos ulcera esse dixerit. Habet enim & hic sermo aliquam verisimilitudinem: multis enim modis alii aliis cognati sunt (9).

per confirmavit eruditissimus Medicus Londinensis *Joannes Barker* in aureo suo libello *de Methodi uniformitate, ac similitudine in medendis morbis acutis tum apud Veteres, tum apud Recentiores* anglice scripto, ubi quatuor primorum Medicorum, *Hippocratis* scilicet, *Galeni*, *Sydenamii*, & *Boerhaavii* medendi rationem iisdem inniti fundamentis ostendit. Nostri autem instituti ratio non sinit, ut hanc thesim longa disputatione discutiamus, sed hæc tantum tetigimus, ut appareret, non sine ratione in hoc textu Hippocratem scripsisse; *Et hæc res multi momenti est, ut discatur, ut si qua alia*. Verum tamen pro coronide illud etiam Hippocratis oraculum, quod in *libro de veteri Medicina* reperitur, proferendum. *Medicina autem jam ab antiquo exiſtit, & principium, & via inventa, per quam inventa, & multa, & probe habentia comperta sunt, per multum adeo tempus & reliqua deinceps invenientur, si quis idoneus sit, & jam inventorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat. Quicunque vero his rejectis, ac omnibus reprobatis, alia via, aliaque forma inquirere conatur, & quid invenisse gloriatur, falsus est, & fallitur: impossibile enim id est.*

(8) HABET. Omnis naturalis operatio est finita, propterea quia subjectum, circa quod versatur, est finitum; termini igitur naturalium operationum per temporis spatium mensurari poterunt, quibus cognitis, multa luce methodus medendi illustrabitur; unde verissimum est, quod enumeratio eorum dierum, in quibus morborum mutationes fiunt, & doctrina, quæ morborum tempora docet, *res multi momenti est, ut discatur, ut si qua alia*; & hæc res non solum circa vulnera, sed etiam circa multos alios morbos communionem habet, ut in hoc textu, atque in aliis Hippocratis, & Galeni scriptis innotescit. Hoc maxime verum esse ostendit in sua *Praxi Medica Baglivius*, & speciatim legi meretur *cap.* 12. lib. 2., quod his verbis incipit; *Inter reliquos abusus, qui paucis ab hinc annis creverunt, est derisio crisium, dierum criticorum, motuum morborum, per dies pares, aut impares, aliarumque hujus generis observationum, quas priscorum Medicorum gens, magno ægrorum commodo instituerat. Hanc veterum sedulitatem &c.*

(9) COGNATI SUNT. Ulcus proprie est continui solutio; sed latiori sensu nonnulli omnem alium localem morbum ulcus nominarunt, ut *not.* (2) *cap.* 30. adnotavimus, quia in his morbis aliqua semper naturalis structuræ depravatio fit, quæ ad continui solutionem accedit: atque id eo magis, si partem affectam dolor etiam inierit; unde hoc sensu alios etiam morbos ulcera esse dixerunt. Sermonem hunc non refellit Hippocrates, sed aliquam verisimilitudinem habere concedit, quoniam morbi inter se multis modis cognati sunt. Hoc idem ita exposuit *Hippocrates lib. de Flatibus num.* 4. ubi ait; *Morborum autem omnium unus, & idem modus est; locus vero ipse eorum differentiam facit. Quare videntur quidem morbi inter se nihil simile habere, propter diversitatem scilicet locorum: quum sit tamen una morborum omnium & species, & causa quoque eadem.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXXIV.

Lanarum in ulceribus uſus ad ſeptimum diem. Ligatio ab initio cum linteis fiens, omnium præſtantiſſima. Oſſa fracta, & extra eminentia, quæ in ſua ſede collocari non poſſunt.

QUicunque tamen juſtum eſſe putant lanis uti, donec ſeptem præterierint dies, deinde vero extendere, ac dirigere, & linteis deligare; hi non ſimiliter imprudentes videri poterunt: nam & maximum inflammationis periculum præteriit: & oſſa laxa, ac apta poſt hos dies ſunt (1). Longe tamen & hæc curatio ſuperatur ab ea deligatione, quæ ab initio linteis fit (2): ille enim modus præparat, ac efficit, ut ſeptima die ferulis perfecte deligari poſſint: hic autem modus multo tardior eſt (3). Sed & alia quædam detrimenta habet. Verum longum eſſet omnia ſcribere (4). Quibus vero oſſa fracta, & extra eminentia in ſuam ſedem collocari non poſ-

(1) SUNT. In capite præcedenti methodum medendi illorum Medicorum ſummopere Hippocrates improbaverat, quia primis diebus lanis curabant, tertia poſtea, vel quarta die linteis deligando premebant, ac extendebant; de quibus Medicis dixit, quod hi *in re multi, ac magni in medicina momenti ſe imprudenter gerunt*. Quum autem aliqui illorum, qui lanis uti conſueverunt, non tertia, aut quarta die oſſa fracta extenderent, & linteis deligarent, ſed id tunc ſuſcipiendum putarent, poſtquam dies ſeptima pertranſiverit; hos minus imprudentes illis fuiſſe in hoc capite oſtendit; quia id non iis diebus, in quibus morbus recrudeſcit, aggrediebantur; ſed poſt ſeptimam diem, quando ſcilicet *maximum inflammationis periculum præteriit, & oſſa laxa, ac apta poſt hos dies ſunt*.

(2) FIT. Quamvis hæc deligandi ratio poſt ſeptimum diem non tantum imprudentiæ præferat, quantum ſi die tertia, aut quarta illa deligatio fieret; talis tamen curatio multum præſtantia, ac utilitate ab ea deligatione ſuperatur, quæ linteis ab initio efficitur.

(3) TARDIOR EST. Hujus curationis ratio ab ea deligatione ſuperatur, quæ ab initio linteis fit, quia illo modo membrum gracile evadit, atque fractura ita diſponitur, ut ſeptima die tuto arctius deligari, & ferulæ apponi poſſint, quæ omnia citius, atque commodius ad perfectam curationem conducunt; quod quidem in hac methodo non niſi multo tardius eveniet.

(4) SCRIBERE. Hippocrates brevitati ſtudens, cetera detrimenta, quæ ab hac curandi ratione ſequerentur, enumerare deſtitit, quæ tamen, quicunque probe intellexerit, atque memor eorum fuerit, quæ ſuperius docuit, facile comprehendet.

©BIU Santé

possunt, his hæc restitutio debetur (5). Ferramenta facere oportet ad eum modum, quem vectes habent illi, quibus lapicidæ utuntur (6), alia latiora, alia angustiora (7). Esse vero convenit tria, aut plura, etiam

(5) DEBETUR. Hactenus in hoc libro Hippocrates, primo de ossibus fractis simpliciter; postea de fracturis vulnere complicatis; tertio de ea fractura, in qua vel ossis denudatio est, vel alicujus ossis discessus expectatur, disseruit: nunc autem ulterius prosequendo, de eo casu agit, in quo ossa fracta extra eminent, & in suam sedem collocari non possunt. Hic equidem de re maximi momenti, deque ipsa ægrorum vita agitur; ideo curationis modus, atque regulæ, quas pro hac fractura tradit Hippocrates, attente sunt percipiendæ; quoniam in his sapientissimus auctor nihil prætermissum, nihil non secundum rationem tractatum reliquit; ut dicere ausim nullum alium auctorem, præter Hippocratem, reperiri, qui tam diligenter, & cumulate, doctrinam de fracturis tradiderit.

(6) UTUNTUR. Ossa non modo franguntur, sed etiam quandoque denudantur, atque ex vulneratis carnibus ita prorumpunt, musculorumque contractione unum super aliud adeo firmiter efferuntur, ut nullo ex hucusque præfatis modis in suam sedem possint restitui. Ad hujusmodi fractorum ossium restitutionem moliendam, ferramenta paranda esse, ait Hippocrates, in eum modum, quo vectes sunt, quibus lapicidæ utuntur. Solæ enim Chirurgi manus non satis validæ essent ad ossa tali modo extra cutem eminentia in suam sedem reponenda: neque per organica machinamenta tantum, quantum opus esset, fractum membrum extendi posset, quin vulneratæ carnes nimis distrahantur, ac dilacerentur, quod inflammationis, gangrænæ, convulsionis, mortisque causa esse solet. Quemadmodum igitur lapicidæ ferreis illis vectibus, quos *Celsus paxillos* nominat, Itali vero lapicidæ dicunt *il paletto*, quibus ad dimovenda ponderosa saxa utuntur; sic ad eundem modum ferramenta adhibenda sunt, ut hæc ossa in suam sedem per vectem collocari possint. Quoad figuram, & usum, hos vectes cum illis, quibus lapicidæ utuntur, Hippocrates comparavit; verum quoad magnitudinem quisquis facile intelliget, quod longe illis minores debent esse. *Galenus comment. 3. text. 4.* horum vectium mensuram ita tradit; *Quod ejusmodi ferramenta, forma quidem similia his, quibus utuntur lapicidæ, non autem magnitudine paria paranda esse velit, res clara est: ea enim, quæ ad ossa molienda admovemus, ejusdem magnitudinis cum illis, quibus dentes demoliri solemus, fabricanda sunt.* Hujus vectis magnitudinem, figuram, & adhibendi modum descripsit quoque *Paulus Ægineta lib. 6. cap. 107.* inquiens; *Adaptamus vero ossa vecte, quem Græci mochlisçon vocant; est autem ea instrumentum ferreum septem, octove digitos longum, mediocriter crassum, ne inter commovendum inflectatur, acutum in summo, latumque, & leviter inflexum, cujus acutum extremum superposito ossis tuberculo subjicientes, ex altero in oppositum tendentes simul, & mediocri intensione membri facta, inter se fines fracturæ committemus.*

(7) ANGUSTIORA. Plures vectes, iique in extremitatibus varias figuras habentes, requiruntur, ut ex his pro fracturæ diversitate aptior seligatur; debent enim vectes inter utrunque fragmentum adigi, ut ossium dimotio, inque suam sedem restitutio fieri pos-

©BIU Santé

etiam, quo quis maxime congruis utatur (8). Poſtea cum his una cum extenſione motionem aggredi oportet (9), ita ut ad inferiorem oſſis partem ſubiicias, ad ſuperiorem vero partem oſſis, ſuperiorem ferramenti partem innitendo, firmes (10); in ſumma, quemadmodum ſi quis lapidem, aut lignum vehementer vecte commoveat (11). Sint autem

poſſit; quare non ad omnes fracturas omnis vectis erit idoneus: nanque alias acuminato, alias obtuſo, alias lato, alias recto, alias curvo opus erit, prout ipſius fracturæ modus, oſſiumque poſitio poſtulare videbitur. Horum vectium fabricam, magnitudinem, diverſaſque eorum extremitatum figuras deſumere poſſumus ab iis, quos expreſſit *Garengeot Inſtrumens de Chirurg. Tom. 1. Planch. 10. fig. 2. & 3.*

(8) UTATUR. Chirurgum conſulit Hippocrates, ut ſemper apud ſe horum ferramentorum tria, aut etiam plura parata habeat, quæ diverſæ figuræ ſint, ut data occaſione, aptiori, magiſque opportuno, mox uti poſſit.

(9) OPORTET. Ut in ſuam ſedem oſſium reſtitutio per vectes fieri poſſit, animadvertere debemus, dum motionem aggredimur, ut membrum ſit extenſione, & contra extenſione ſatis protentum; nam alias inutiliter vis fractis oſſibus adhiberetur: impoſſibile enim eſſet omnem muſculorum vim contractilem per vectes inter oſſium fragmenta adhibitos ſuperare; ideo dixit, Hippocrates; *Poſtea cum his una eum extenſione motionem aggredi oportet.*

(10) FIRMES. In omni vecte tria diſtinguuntur, potentia ſcilicet movens, reſiſtentia, & fulcrum, ſive punctum fixum, quod a Græcis *hymopochlion* nominatur. Triplex eſt horum vectum genus, quæ differentia a diverſa fulcri inter potentiam, & reſiſtentiam poſitione oritur; quæ omnia ex Geoſtaticis explicantur. Vectis, de quo hic locutus eſt Hippocrates, primi generis dicitur, in quo ſcilicet inferior pars movendæ parti ſubjicitur, corpus proxime fulcro innititur, in ſuperiori vero extremitate potentia movens agit, cujus potentiæ vis, hac vectis poſitione, ſummopere augetur. Ut operatio feliciter cedat, magni refert, ut id, quod in hoc textu de vectis adhibendi modo Hippocrates docet, attendatur: monet enim, *ut ad inferiorem oſſis partem ſubjicias, ad ſuperiorem vero partem oſſis, ſuperiorem ferramenti partem innitendo firmes*; adeo ut inferius oſſis fragmentum ſit reſiſtentia, ſuperius vero fit fulcrum, ſive punctum fixum. Revera in omnibus illis artuum fracturis, in quibus unum os ſuper aliud effertur, inferior pars eſt, quæ ſemper de naturali directione deflectit, membrique figuram vitiat; ſuperior enim pars in naturali figura continuitate corporis retinetur: unde ad inferiorem oſſis partem vectis eſt ſubjiciendus, ut quod dimotum eſt in ſuam ſedem reſtituatur. Hujus operationis figuram delineavit *Scultetus Tab. 27. fig. 9.* Hæc dimota oſſa impellendi ratio, non modo in hoc caſu, ubi oſſa denudata per vectes in ſuam ſedem reponere oportet, verum ob eandem rationem in ſimplici etiam fractura, in qua vulnus non eſt, attendi debet; nam extendendo, manuumque volis dimotam inferiorem oſſis partem in ſuam ſedem retrudendo, ad naturalem figuram membrum facile reſtituetur.

(11) COMMOVEAT. Quomodo vectes componi, ac ſubjici debeant, ut pauca vi ponderoſiſſima corpora elevenſtur,

©BIU Santé

autem valida ferramenta, quantum ejus fieri poteſt, ut ne flectantur (12). Hoc magnum auxilium eſt, ſi & ferramenta idonea fuerint, & ſi quis, velut convenit, commotionem faciat (13).

tur, vel magnæ reſiſtentiæ ſuperentur, quotidianus uſus omnes docuit; atque mechanici artifices, & operarii proprio marte abſque ulla legum Staticæ cognitione, ſolaque experientia, uſuque edocti, eis uti apprime ſolent; ideo rem notiſſimam longa oratione explicare ſuperfluum ducens Hippocrates, hæc ſatis dicta eſſe putavit, ut ab omnibus intelligeretur, quum ſcripſerit; *In ſumma quemadmodum ſi quis lapidem, aut lignum vehementer vecte commoveat*.

(12) FLECTANTUR. Ferramenta, quæ pro operationibus Chirurgicis parantur, optime fabrefacta, integra, ſatiſque valida eſſe debent, ut opus, quod aggredimur feliciter expediatur. In nonnullis enim operationibus multum detrimenti afferre inſtrumenti pravitas poſſet: ſic *Dominicus Billi* in ſuo tractatu *delle Malatie dell' angolo interno dell' occhio*, narrat, quod quum nobili feminæ obſtructionem ductus lacrymarum ſpecillo Aneliano tentaret referare, a puncto lacrymali uſque ad nares feliciſſime penetravit; ſed dum id ſpecillum extraheret, forte obtuſa illius extremitas abrupta intus fuit, & in ipſo canali oſſeo naſali hæſit, quod infortunium operationem inutilem prorſus reddidit, multamque Chirurgo amaritiem attulit. Hujus infortunii cauſſam ſic poſtea narrat; *Oſſervai poſcia nella eſtremità dello ſpecillo, d' onde ſtaccoſſi la rotonda punta, l' argento logoro, e quaſi come ſquamoſo: ed allora in poi appreſi a ſtar meglio cogl' occhj aperti, per aſſicurarmi della bontà di un tale ſtrumento*. Ita aliæ etiam operationes inſtrumentorum vitio infelices exitus habuere; unde in hoc textu ſapienter monet Hippocrates, ut ferramenta pro reſtituendis his oſſibus, quantum ejus fieri poteſt, valida paremus, ne in opere flectantur, operationemque deturbent, aut rumpantur; ſi enim rupta ferramenti extremitas inter utrumque os infixa remaneret, non ſine ſumma difficultate, oſſiumque vexatione extraheretur, quod maximopere noceret.

(13) FACIAT. Non niſi admodum difficulter oſſa ſic extra eminentia ſuam in ſedem reſtituuntur; maximum tamen ad id auxilium vectes eſſe Hippocrates ait, ſi tamen ferramenta idonea fuerint, & ſi quis commotionem faciat, quemadmodum ſuperius ipſe docuit.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXXV.

Inſtrumentorum omnium, quæ fortiſſima. Quando vectis inſtrumento utendum.

NAm ex omnibus inſtrumentis, quæ homines machinati ſunt (1), fortiſſima hæc tria exiſtunt, aſelli circumductio (2), per vectes commotio (2*), & cuneorum (3) uſus. At ſine horum uno aliquo, aut ſine omnibus, nullum vehementiſſimum opus homines perficiunt. Non igi-

(1) MACHINATI SUNT. Veteres Medici ad ea oſſa fracta, aut luxata, in quibus ingenti vi opus eſſe cognoverant, ut in ſuam ſedem reſtituerentur; machinamenta ab Architectis, & Operariis deſumere excogitarunt. Quemadmodum enim his facile, neque multo labore, ingentia pondera elevare, ac deducere ſolent Artifices, ſic illi ut membra ſatis valide extendere, ac oſſa reponere poſſent, eadem machinamenta in uſum medicum tranſtulere. Hoc aperte declarat *Oribaſius lib. de Machinament. cap.* 26. ubi de Triſpaſto *Apellidis*, ſeu *Archimedis* diſſerens, inquit: *Illud in primis ſcire convenit, quod neque Apellides, neque Archimedes medici fuerunt, ſed architecti, qui machinamentum hoc excogitarunt (quemadmodum nos accepimus de hiſtoria) ad naves deducendas funibus, non per manus, ſed per ergatam attractis: illius autem ſæculi Medici ejus ſtructuræ modum minuentes, triſpaſtum organum medicinale, ad luxata, fractaque reſtituenda fabricarunt in hunc modum. Totum organum ex eorum genere eſt, quæ &c.* Medici ergo ex Architectis, atque Mechanicis varia machinamenta, atque organa ad uſum medicum ſumpſerunt; & ſpeciatim ex omnibus his inſtrumentis ab hominibus excogitatis, tria validiſſima eſſe, ait Hippocrates, quæ mox recenſet, quæque ſingula non ſine multa utilitate in hos uſus adhibentur.

(2) CIRCUMDUCTIO. Quod Hippocrates axes illos, quorum circumductione validiſſime trahitur, aſellos nominaverit, jam adnotavimus *not.* (23) *cap.* 15. Hoc inſtrumenti genus pro varia ejus conſtructione, variis nominibus diſtinctum eſt; ſic & ſucula, & ergata, & ſimilia de hoc genere ſunt, quæ omnes machinæ, tractoriæ dicuntur, omnibus notiſſimæ, ad ponderoſiſſima corpora trahenda, cæteris inſtrumentis, quæ homines machinati ſunt, efficaciores.

(2*) COMMOTIO. Alterum validiſſimum mechanicum inſtrumentum, quod homines ad ingentia pondera commode movenda invenerunt, eſt vectis, cujus inſtrumenti potentia omnibus notiſſima eſt; uti *not.* (11). *cap.* 34. adnotavimus.

(3) CUNEORUM. Cuneus eſt priſma triangulare, cujus duo latera in communem lineam rectam deſinunt. Hujus inſtrumenti magna quoque vis eſt in corporibus findendis, ſeu dividendis, ut vulgo notiſſimum eſt: & tria hæc inſtrumenta, ex omnibus, quæ homines perfecerunt, fortiſſima exiſtere, non ſine ratione aſſeruit Hippocrates, uti etiam ex ſtaticis idem conſtat.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 262 sur 355

©BIU Santé

igitur ſpernenda eſt hæc per ferreos illos vectes commotio: aut enim hoc modo, aut nullo alio in ſedem ſuam collabentur (4). Si vero ſuperna oſſis pars immutata fuerit, ac confracta, ut vecti adhibendo locus non ſit commodus, ſed acutum quid prominet; tunc oſſe ſcalpendo deraſo, ſecuram vecti ſedem facere oportet (5). Hanc autem per vectes commotionem, & extenſionem eadem die, aut ſecunda facere (6) oportet: non autem tertia: minime vero quarta, aut quinta (7); nàm etiamſi non reponas, ſed alias moleſtiam exhibeas in his die-

(4) COLLABENTUR. Sine aliquo ex tribus his validiſſimis inſtrumentis, & quandoque etiam ſine omnibus, nullum opus, quod vehementem vim exigat, homines perficere poſſunt: quoniam nullo alio modo tanta virium quantitas, quanta ad id explendum requiritur, in unum punctum colligi poteſt. Proinde in hac fractura, in qua multa vi opus eſt, ut in ſuam ſedem id os, quod denudatum eſt, & eminet, reſtituatur, hanc per ferreos vectes repoſitionem non negligendam eſſe monet Hippocrates, quia aut hoc modo, aut nullo certe alio in ſuam ſedem hujuſmodi fracturæ repellentur.

(5) OPORTET. Ubi modum, quo vectes ad oſſa fracta reſtituenda adhibendi ſint, Hippocrates docuerat, dixit, quod inferiori oſſis parti vectis eſt ſubjiciendus, in alteram vero ſuperiorem oſſis partem, ſuperiori ferramenti parte innitendum; quemadmodum *not.* (10) *cap.* 34. adnotavimus. Evenit tamen aliquando, quod ſuperna oſſis pars ita confracta ſit, ut in acutum, aut in tenuem lamellam, promineat, ex quo neque commodus, neque tutus inerit vectis adhibendi locus. In hoc caſu jubet Hippocrates, hoc oſſis acumen deradere, atque ſcalpendo excavare, ut ſecuram ſic, firmamque ſedem pro vectis fulcro paremus.

(6) FACERE. Omnis fractura quanto citius, tanto minori cum difficultate, atque offenſionis periculo reponitur; ideo Hippocrates *cap.* 21. monuit: *Et maxime quidem omnes fracturas in prima deligatione, quantum ejus fieri debet, extendere oportet*; tunc enim carnes oſſibus circumpoſitæ molles adhuc ſunt, naturalique flexibilitate præditæ; necdum in eis tumor aut inflammatio ſupervenit; unde & contrectari, & quantum opus eſt, diſtendi, ſine multo dolore, aut ſine noxæ periculo poſſunt. Quod ſi verum eſt in fractura ſimplici, multo quidem id magis erit attendendum in eis fracturis, ubi & vulnus acceſſit, & oſſa denudata ſuut, in quibus majus ſemper doloris, tumoris, atque inflammationis periculum imminet; ideo in hoc textu dixit Hippocrates, quod hanc per vectes commotionem, & extenſionem eadem die, aut ſecunda (ſi quidem nullum ex allatis ſymptomatis advenerit) facere oportet.

(7) QUINTA. Quare his diebus neque commotiones oſſium per vectes, neque extenſiones fieri debeant, docuit Hippocrates *cap.* 33., ubi dixit: *Minime enim tertia, ac quarta die, omnia ulcera movere oportet: & ut in ſumma dicam, etiam omnes ſpecillorum admotiones vitare convenit in his diebus, & alia quoque, quibus vulnera irritantur: vid. not.* (4) (5) (6) (7) *cap.* 33. Animadverſione tamen ſummopere digna gradatio eſt, qua horum dierum judicium Hippo-

©BIU Santé

diebus, inflammationem induxeris (8): quanto magis si reponas (9)? Con-

pocrates exposuit, nam posteaquam scripserat; *per vectes commotionem, & extensionem eadem die, aut secunda facere oportet*, dixit, *non autem tertia*, & inculcando prosequutus est, *minime vero quarta, aut quinta*; vel ut in interpretatione *Foesii* scriptum est; *sed non tertio, quarto vero, & quinto minime*; quibus verbis monere voluit Hippocrates, quod usque ad secundum diem offium repositiones plerumque aggredi tuto possumus, tertia vero non, quia aliqua jam aderit durities, atque inflammatio in laceratis carnibus, unde periculosa res esset, tale vulnus vexare. Verum tametsi dies tertius pro repositione excludatur; si tamen forte fortuna acciderit, quod aut ob vulneris qualitatem, aut ægroti constitutionem, aut diligenter habitam fracturæ tractationem, nullum adhuc doloris, tumoris, inflammationis symptoma supervenerit, repositio tunc tertio etiam die tentari poterit: quod tamen rarissime solet accidere, neque temere moliendum. In hoc igitur textu docere nos voluit Hippocrates, quod die tertio rarissime, nunquam vero die quarto, & quinto commotionem offium, & extensionem facere oportet; quum gradatim dixerit: *Non autem tertia: minime vero quarta, aut quinta*. Primam dumtaxat diem ad has fracturas reponendas opportunam esse decernit *Paulus Ægineta lib. 6. cap. 107. De Fracturis, quæ cum vulnere incidunt*; ait enim: *In quocunque igitur osse, quod ex sede sua excidit, manum admovere volumus, nequaquam in inflammatione aggrediamur, sed primo statim die, antequam inflammatione occupetur: aut nono in inflammatione jam finita*. Sed magis rationi, atque experientiæ consentanea est hæc Hippocratis doctrina, qua prima, & secunda die reponere instituit; tertiam vero excepit quidem, sed tamen in aliquo casu, uti adnotavimus, non prorsus excludit. Verum enim vero nihil, proprie, ac definite, de his diebus proferre possumus; sed sola Chirurgi prudentia, atque peritia poterit decernere, an ossis repositio tentanda sit, nec ne: accidunt enim quandoque tales fracturæ, in quibus ob subito natum tumorem, gravemque contusionem, ne ipsa quidem prima die offium restitutionem facere convenit.

(8) INDUXERIS. Non modo his diebus offium repositio per vectes minime facienda est, sed ne quidem tentanda; nam etiamsi os non reponatur, molestia tamen, qua pars affecta ipsa tentatione afficeretur, inflammationem induceret: at non tantum ob ossis repositionem, verum etiam nullam aliam ob causam his diebus inferenda vulneri molestia est; si enim aut concreti sanguinis grumus, aut festuca, aut cæmenti frustulum, aut aliquod aliud corpus extraneum, qualia *not. (5) cap. 33.* enumeravimus, vulneris fundo inhæserint; non tertio, multoque minus quarto, aut quinto die specillis, aut tenaculis avellenda; quoniam & hæc molestiam exhibent, sed eo usque cunctandum, donec per suppurationem secedant, & tuto, facileque extrahi possint; nam alias, quamcunque ob causam in his diebus vulnus exagitabitur, inflammationem concitabimus.

(9) REPONAS. Si quis in his diebus vetitis offium restitutionem tentando, ex operationis difficultate, ægrotique summo dolore cognosceret, non esse id tempus opportunum ad offium repositionem; ne is inceptum opus ulterius prosequeretur, omnique vi ossa in suam sedem reponere contenderet,

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 264 sur 355

©BIU Santé

Convulſionem tamen multo magis induxeris, ſi reponas, quam ſi reponere omittas (10). Atque hæc probe noſſe convenit: ſi enim re-

po-

putans, non majus malum, jam patrato tentamentis, ſuperventurum, ſi inchoatam perficeret operationem; hinc, ut in tali caſu Chirurgum ab hac opinione, perficiendaque operatione deterreret, poſtquam dixerat: *Etiamſi oſſa non reponas, ſed alias moleſtiam exhibeas in his diebus, inflammationem induxeris*, addidit: *quanto magis ſi reponas?* Profecto ſi aut ſola ſpecilli, aut vectis admotio in his diebus moleſtiam exhibens, inflammationem excitaret; quanto magis id accideret, ſi contractæ, tumenteſque carnes, ex reſtitutione oſſium, quæ membrum ad naturalem longitudinem protractum, ac diſtentum adigent, in continua diſtractione, & dolore detinerentur?

(10) OMITTAS. Quod præter dolorem, inflammationem, & gangrænam, aliud etiam funeſtiſſimum ſymptoma, convulſionem ſcilicet, multo magis ſi reponas, quam ſi reponere omittas, induxeris, Hippocrates monet. Plures autem convulſionum ſpecies, ut epilepticæ, hyſtericæ, aliæque multæ numerantur, quæ omnes ex *Boerhaav. aphor.* 230. generatim definiuntur; *Violenta, invita, & alterne repetens contractio muſculi*. Omnes tamen convulſionum ſpecies ſub generali vocabulo σπασμὸς veteres Græci comprehenderunt; quam vocem etiam Latini receperunt, uti *Plinius*, qui *lib.* 32. *cap.* 8. ſcripſit: *Suſpirioſis caſtoreum cum ammoniaci exigua portione ex aceto mulſo jejunis utiliſſime potatur. Eadem potio ſpaſmos ſtomachi ſedat ex aceto mulſo calido*. Verum ſpaſmus, ſive convulſio, de qua in hoc textu agit Hippocrates, ex iis convulſionibus eſt, quas rigores, ſive nervorum diſtentiones *Celſus* nominat. Hujus convulſionis differentiam ſæpe legimus apud *Hippocratem*, ut in *Aphor.* 57. *lib.* 4, ubi dixit: *Qui* σπασμον, aut τετανος *affligitur, ſi febris ſuccedit, morbum ſolvit*: atque etiam *aphor.* 17. 20. & 22. *lib.* 5., ut & in aliis multis locis, *convulſiones*, & *tetanos*, veluti duos diſtinctos morbos ſemper expoſuit: ex quo apparet, quod ſub nomine ſpaſmi omnes illas convulſiones comprehendere voluit, quæ cum præfata *Boerhaavi* definitione congruunt; tetanos vero nervorum diſtentiones, ſive rigores intellexit, quarum convulſionum ſpecies in ſua definitione non complectitur; nam in hujuſmodi convulſionibus, quæ tonoticæ dici poſſent, non adeſt illa *alterne repetens contractio muſculorum*: proinde legimus *Foeſium* in ſua traductione, hanc vocem σπασμόν in hoc Hippocratis textu, non *convulſiones*, (ut *Cornarius* fecit) ſed *nervorum diſtentiones* interpretatum fuiſſe: noverat enim clariſſimus *Foeſius*, quod in his vulneribus tonoticæ convulſiones accidere plerumque ſolent; ideo ne ſua interpretatio careret animadverſione, ita hunc textum in latinum tranſtulit *Tom.* 1. *pag.* 773. *Quin etiam repoſito oſſe, multo magis excitabitnr nervorum diſtentio, quam non repoſito, quod probe noſſe convenit. Etenim ſi repoſito oſſe nervorum diſtentio ſupervenit, in anguſto ſpes eſt*. Hujus tonoticæ convulſionis tres ſpecies numerantur; Tetanus ſcilicet, quo totum corpus æqualiter riget, & immobile eſt; Emproſtotonos, quæ eſt convulſio, qua corpus in anteriorem partem contrahitur; Opiſtotonos, quæ eſt contorſio corporis ad poſteriora. Harum trium convulſionum characteres graphice deſcribit *Cælius Aurelianus lib* 3. *Acut. Morb. cap.* 6., qui legi maxime meretur, ubi inter cetera, hæc inquit:

Sed

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 265 sur 355

©BIU Santé

ponenti convulſio acceſſerit, non multa ſalutis ſpes eſt (11). Commodum autem eſt rurſus ejicere os a ſua ſede (12); ſi hoc fieri ſine moleſtia

Sed tetanicis recto ductu diſtenta magis videntur colla, atque ita, nt inflexibilia fiant. Opiſtotonicis vero contractu ad poſteriores partes fit, cum nimia tenſione, atque dolore dorſi, & clunium. His etiam crura conducuntur, & neque manus diſtenduntur: digitos conductos, atque implicitos habent, ut Hippocrates ait, & majorem digitum, hoc eſt pollicem, ut cæteris tenent, ut frequentius contingit: ſe quoque continere non poſſunt, ſed quadam mobilitate reſiliunt, cum dolor irruerit. Hi ſunt pejores tetanicis .... quoties in vulneribus principum, ac ſalutarium locorum his ægri fuerint affecti paſſionibus. Emproſtotonicis autem colla conducuntur in anteriorem partem, atque mentum pectori configitur, tenduntur ilia, & præcordia cum frequenti irritatione urinæ egerendæ; & difficili flexu digitorum. Mei autem inſtituti ratio non ſinit, ut longa diſſertatione convulſionis theoreticas opiniones proſequar, quæ multæ, variæque ſunt, cum apud veteres, tum apud recentiores, quorum aliqui nuper electricitatem quoque in medium attulerunt. Diſſuſe ſatis, atque accuratiſſime de convulſionis theoria ſcripſit *Franciſcus de Sauvages* in ſua *Noſologia Methodica Claſſ.* 4. §. 3. Ex hoc tamen Hippocratis textu animadvertendum præcipue illud eſt, quod in laceratis, gravibuſque vulneribus præfatæ tonoticæ convulſiones ſupervenire ſolent, eoque facilius, quo major id genus vulneribus moleſtia infertur: quod ſpeciatim in hoc caſu futurum monet, ſi per vectes repoſitionem oſſis tentaveris; ideo dixit: *Multo magis convulſionem induxeris ſi reponas, quam ſi reponere omittas.*

(11) SPES EST. Magni momenti res eſt noſcere, quod convulſionem magis indnxeris ſi reponas, quam ſi reponere omittas; nam quoties poſt repoſitionem convulſio acceſſerit, in anguſto ſalutis ſpes erit, atque Chirurgi imprudentiam ægrotus morte lueret; ideo enixe inculcat Hippocrates: *At hæc probe noſſe convenit.* Tale funeſtum præſagium jam generatim edidit *Aphor.* 2. *lib.* 5., ubi ſcripſit: *Vulneri convulſio ſuperveniens lethale.* Profecto inter omnes convulſionum ſpecies, ea ſemper periculoſiſſima eſt, quæ a vulnere procedit; quod monet etiam *Aretæus lib.* 1. *cap.* 6. *de Morbor. Acutor. curat.* inquiens: *At ſi ex vulnere convulſio facta eſt, pernicioſum profecto id eſt, ægreque de ſalute ſperari poteſt, nihilominus tamen opem ferre decet: quandoquidem nonnulli adhibitis remediis mortem evitarunt;* atque in hoc capite remedia plurima in medio ponit *Aretæus*, quibus convulſionem delinire tentandum eſt. Verum mihi pluries hujuſmodi convulſiones, ſive nervorum diſtentiones ex vulneribus videre contigit, atque potiſſimum ex vulneribus laceratis, & contuſis in extremitatibus digitorum gravi aliquo ictu, aut incumbente duro pondere inflictis, quarum cauſſa convulſionum, omnibus fruſtra adhibitis pharmacis, neque ipſius etiam digiti amputatione prætermiſſa, ſingulos tamen tetano occubuiſſe memini; adeo ut veriſſimum præfatum Hippocratis aphoriſmum eſſe compererim, quod *Vulneri convulſio ſuperveniens lethale*; quare non ſine ratione in hoc textu divinus Senex monuit: *Hæc probe noſſe convenit, ſi enim reponenti convulſio acceſſerit, non multa ſalutis ſpes eſt.*

(12) A SUA SEDE. Tertia, quarta, & quinta die in hujuſmodi vulneribus, quia tunc carnes contuſæ, ac laceratæ

©BIU Santé

leſtia poſſit (13). Non enim in laxioribus, quam opportunum eſt, convulſiones, ac diſtentiones accedunt; ſed in his, quæ magis extenta ſunt (14). Cæterum de qua re nunc nobis ſermo eſt, in prædictis illis diebus moleſtiam exhibere non oportet, & curam adhibere, ut ulcus minime inflammetur, & maxime ſuppuretur (15). Poſtquam vero ſeptem præterierint dies, aut paulo plures, ſi ſine febre fuerit, & ul-

tæ ad ſuppurationem diſponuntur, durities, tumor, inflammatio, atque dolor adeſſe ſolent, & ideo Hippocrates *cap.* 33. dixerat: *Minime enim tertia, ac quarta die omnia vulnera movere oportet: & ut in ſumma dicam, etiam omnes ſpecillorum admotiones vitare convenit in his diebus, & alia quoque, quibus vulnera irritantur*. Si ergo aut ſola motio, aut ſpecillorum applicatio, tale vulnus irritare, convulſionemque arceſſere poterit; multo quidem magis convulſio accidet, ſi repoſitis oſſibus, membrum ad naturalem longitudinem diſtentum, in continua, atque doloroſa diſtractione tumentes carnes detineret; quamobrem, quum oſſis reſtitutio convulſionis ſit cauſſa, ut hæc cauſſa tollatur, monet Hippocrates, quod *commodum eſt rurſus injicere os a ſua ſede*.

(13) POSSIT. Ut convulſionis cauſſa, quæ ab fracturæ repoſitione procedit, auferatur, de ſua ſede oſſa rurſus ejicere Hippocrates ſuaſit; ſed difficultates, quæ ad hoc conficiendum ſæpiſſime intercedunt, prænoſcens, addidit: *Si hoc fieri ſine moleſtia poſſit*. Plerumque enim non ſine multa vi, multaque carnium vexatione, dolore, atque hæmorrhagia, oſſa ſemel repoſita, iterum de ſua ſede ejiciuntur, ex quo vulnus eo magis exaſperatur, unde augetur inflammatio, atque major vel gangrænæ, vel convulſionis periculum impendet. Si ergo ſine moleſtia os rurſus de ſua ſede ejici nequeat, relinquendum eſſe præcipit Hippocrates, ne majora mala ſubſequantur: atque in hoc caſu partem affectam emollientibus potius, atque anodynis remediis demulcere præſtabit, quam iterum commotionibus vulnus irritare.

(14) EXTENTA SUNT. Ne quis anceps dubiuſque hæreret, an magis ſit noxium oſſa ſic denudata, & extra eminentia relinquere, quam reponere, & in ſuam ſedem coaptare, carneſque ad naturalem figurationem, & rectitudinem reſtituere, hoc monitum Hippocrates tradidit, dicens, quod ſi partes laxiores fuerint, quam par eſt (uti in hoc caſu accidit, in quo membrum brevius fit, muſculique erga initium retrahuntur) neque convulſiones, neque rigores accedunt; id namque in his evenit, quæ nimium diſtenta ſunt; ſicuti quando tales fracturæ notatis diebus, tertio ſcilicet, quarto, & quinto, reſtituuntur, de qua re rationem reddens *Galenus comment.* 3. *text.* 42. inquit: *Ubi vero oſſa denudata in ſuam ſedem reſtituta ſunt, ad ſuam priſtinam magnitudinem redit; quo deinde fit, ut muſculi, qui jam inflammatione tentantur, una cum toto membro cogantur extendi; unde duplici laborant extenſione, ea, quam ex inflammatione contraxerant, & hac, quæ dum redeunt ad priorem longitudinem, eis accedit*.

(15) SUPPURETUR. Huc Hippocratis doctrina redit; quod ſi oſſa denudata, atque extra eminentia eadem die, aut ſecunda, per extenſionem, & commotionem per vectes, non repoſita fuerint, in prædictis diebus, tertia ſcilicet, quarta, & quinta, moleſtiam exhibe-

©BIU Santé

& ulcus non inflammatum ſit (16); tunc minus vetat, ut reponere tentes, ſi ſperes obtenturum (17) te eſſe: ſin minus non oportet fruſtra moleſtiam ſuſcipere, & inferre (18). Si igitur oſſa repoſueris in ſuam ſedem, jam ſcripti ſunt modi, quomodo curare oportet, ſive oſſa diſceſſura eſſe, ſive non, expectatio ſit (19): & ſi quidem oſſium diſceſ-

hibere non oportet, reſtitutionem tentando, ſed omnis tunc Chirurgi cura, atque induſtria eo tendere debet, ut inflammatio, quo magis fieri poteſt, arceatur, atque ulcus ad blandam ſuppurationem perducatur; ſic enim humores effunduntur, obſtructioneſque vaſorum reſerantur, unde tumentes partes flacceſcunt, ex quo tenſio, doloreſque ſubſidunt; alias ſine convulſionis, gangrænæve periculo in ſuam ſedem oſſa reponi nequeunt.

(16) INFLAMMATUM SIT. Omnia hujus generis vulnera, quæ plus, quæ minus, pro eorum conditione, generatim tertio, quarto, quintove die circum labia rubent, calent, dolent, atque tument; quæ ſymptomata febrim plerumque comitem habent; atque tum ſuppuratio fit. Egregium ipſa eſt naturæ opus, quo per generationem illius albi, pinguiſque humoris, qui pus dicitur, ſolidorum, fluidorumque morboſæ particulæ a ſanis, integriſque partibus ſecernuntur, atque expelluntur; unde ſublatis per hanc viam ſuppurationis cauſſis, calor, dolor, tumor, atque febris evaneſcunt. Hæc ſymptomatum ceſſatio per ſuppurationem, raro ante diem ſeptimum fit, immo quandoque plures etiam poſt dies. Inter ſigna præcipua, quibus cognoſci poterit, an blanda ſuppuratio peracta ſit, hæc recenſet Hippocrates; *Si ſine febre fuerit, & ulcus non inflammatum ſit*; nam quouſque hæc duo ſymptomata perdurabunt, documento erunt, nondum ſatis completam eſſe ſuppurationem; proinde nulla adhuc vulneri moleſtia exhibenda, ne major inflammatio, aut gangræna, aut convulſiones excitentur.

(17) OBTENTURUM. Si poſt quam ſeptem, aut plures aliquot dies præterierint, pars affecta per blandam ſuppurationem detumuit, neque dolor, multoque minus inflammatio, aut febris ſuperfuerunt; tunc non ita prohibebimur, ut fracturam reponere tentemus; ſi quidem juxta fracturæ qualitatem, & modum, vulneriſque conditionem, id nos ſine multa difficultate eſſe conſequuturos cognoverimus.

(18) INFERRE. Quamvis poſt diem ſeptimum, aut paulo poſt, ſymptomata enunciata ſubſederint, atque vulnus omnes illas conditiones habuerit, quas Hippocrates requiri monuit, ut reſtitutio tentari poſſit: ſi tamen aut ob oſſis fracti, & extra eminentis formam, qualitatem, atque poſitionem; aut vulneris figuram, ſitum, vel amplitudinem, nos ægre, dubieque, neque ſine multa vi, & noxa reſtituturos oſſa noverimus; monet tunc, non oportere fruſtra nobis, ægrotantique moleſti ſimus. Profecto grave admodum Chirurgo eſſet, adeo ingratum opus aggredi, ex quo dolor, atque etiam aliqua hæmorrhagia excitari poſſet, ſi id abſque ulla utilitate ſuſceperit; dum interim ægrotus quoque male ſecum actum eſſe cognoſceret, quia nullum omnino fructum; moleſtiam contra, & ſymptomatum recrudeſcentias ex perpeſſa operatione retuliſſe ſentiet: ideo monuit Hippocrates, quod ſi in his diebus reſtitutionis oſſium ſpes defecerit, *non oportet fruſtra moleſtiam ſuſcipere, & inferre*.

(19) EXPECTATIO SIT. Si autem poſt ſepti-

©BIU Santé

diſceſſus expectatio ſit, eo, quem dixi modo cum linteis, in omnibus talibus deligationem facere oportet, ex medio linteo initio facto ut plurimum, velut ex duobus initiis faſcia deligatur. Conjecturam autem facere oportet juxta ulceris formam, quo ſit quam minimum hians, ac labiis protuberans, & expaſſum (20): aliis enim ad dextram deligare commodius eſt, aliis ad ſiniſtram, aliis ad ſuperiora, aliis ad inferiora, aliis ad latera, aliis ad obliqua, aliis ad circumferentiam, aliis ad rectum, aliis ad ſecundum naturam, aliis ad contra naturam, aliis ad ſimilia, aliis ad diſſimilia, aliis ad ſimul, aliis ad ſeorſum, aliis ad ſuperne, aliis ad infra, aliis ad ſuperne & infra, aliis ad ſuperne & infra & ad latera, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum & ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul, aliis ad ſuperne & infra & ad latera & ad obliqua & ad circumferentiam & ad rectum & ad ſecundum naturam & contra naturam & ad ſimilia & ad diſſimilia & ad ſimul & ad ſeorſum &

©BIU Santé

commodum eſt, aliis ad ſiniſtram, aliis ex duobus initiis (21).

mus: quod ſi caro excoriata ita abſque cute, nudaque relinquatur, præter id, quod ægre cicatrix inducitur, morſibus quoque, ac ſordibus obnoxia eſt; nam medicamenta, quæ faciunt ad repellendam inflammationem, & ſedandos dolores, quemadmodum, quod παρηγορεῖν, *nec non & id, quod* τετραφαρμακον *appellatur, membrum quidem affectum ab inflammatione tuentur, verum ulcus ſordidum præſtant. Rurſus vero, quæ ulcera purgant, ob detergendi facultatem, qua prædita ſunt, morſionis ſenſum incutiunt; ab his autem incommodis omnibus libera eſt pars excoriata, ſi adducta cute contegatur.* Hæc optima eſt hujuſmodi morbos medendi ratio, atque ex his Veterum fontibus ſuam illam præſtantiſſimam curandi methodum hauſit *Cæſar Magatus*; nam is Hippocratis, atque Galeni optimis, ſolidiſſimiſque rationibus uſus, atque Romanorum Chirurgorum (ut ipſe in ſuo opere narrat) ſui temporis viſis experimentis, rei veritate fretus, hanc vulnerum, ulcerumque ſyntheſin in ſuis egregiis eruditiſſimiſque libris *de Rara Vulnerum deligatione, ac medicatione*, conſtituit, atque evulgavit; in quibus noxium etiam turundarum, pennicillorumque uſum reprehendit, atque rejecit. Contra hanc *Magati* methodum etſi nonnulli ſcripſerint, ut *Sennertus, Candelorus Lelius, Pandulphus Meravilia*; eam tamen Chirurgi celebres ut Veterum, auctoritate præclaram, propriaque experientia confirmatam, exceperunt; atque etiam eorum ſcriptis ab adverſariorum calumniis vindicarunt. Hos inter enumerandi præcipue ſunt *La Peyronie, Belloſte, Sancaſſanus, Turtura*, & clariſſimus vir, Chirurgus Pontificius meritiſſimus, meuſque olim optimus Præceptor, *Dominicus Cecchini* in eo libro, quem inſcripſit *La difeſa de diritti di Ceſare Magati*; qui ſane auctores *Magati* ſententiam, & Veterum ſuffragiis, & rationi, & experientiæ mirifice congruam prædicarunt. Fateri profecto hic cogimur, quod jamdiu Veteres in arte curandi omne tulerint punctum, plurima quamvis eorum præcepta in ſuis ſcriptis nonnulli recentiores recoxerint, & tamquam noviter inventa venditaverint. Ut hujus aſſerti veritas magis, magiſque eluceſcat, præter enarrata, ea etiam, quæ in hujus textus commentario *Galenus* proſequitur, operæ pretium eſt conſiderare, ait enim; *Huic etiam non diſſimile eſt id, quod in puſtulis facere conſuevi, quæ ex variis occaſionibus ortum habent, ac in tumorem attolluntur, interdumque inſignem dolorem inurunt. Noſtis autem, me in hunc modum eas curare conſueviſſe; primum acuta acu illas aperio, ut humor exitum habeat, quem etiam leviter exprimo, ac cutim inhærentem relinquo; quod ſi evcniat, ut concluſo foramine rurſus eodem repleatur, iterum puſtula plena eodem modo aperitur, expreſſoque humore cutis reducitur, & ſervatur, quoad ſuppoſita illi caro exulcerata ad cicatricem deducatur. Hæc a nobis relata ſunt, quæ poſſunt eſſe evidentia argumenta indicantia expedire, ut omne ulcus cognata cute tegatur.* Hanc *Galeni* methodum in puſtulis vel a combuſtionibus, vel ab eryſipelate enatis, vel alia cauſa, qua epidermis in tubercula lymphatico humore plena exurgere conſueſcit, utiliſſimam ſemper comperi, quin immo in combuſtionibus has puſtulas poſca, vel ſpiritu vini humectando, ac per tres, quatuor, aut plures etiam dies, integras relinquendo, ſuppoſitam cutem (ſiquidem non penitus igne combuſta fuerit) citiſſime cicatrice obduci expertus ſum, quin ulceratione, quemadmodum evenire plerumque ſolet, afficeretur. Magni ergo refert, naturali tegumento denudatas partes contegere, ut vulnerum, ulcerumque curatio ci-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 270 sur 355

©BIU Santé

to, & jucunde procedat; atque hoc eo magis attendendum in caſu, de quo agitur in hoc textu; unde jure optimo monuit Hippocrates, quod *conjecturam facere oportet juxta ulceris formam, quo ſit quam minimum hians, ac labiis protuberans, & expaſſum.*

(21) INITIIS. Tribus modis vulnerum diſſita labia ad mutuum contactum ars chirurgica adducit; aut ſutura; aut emplaſtris glutinantibus; (de quibus multiplices rationes, atque figuras tradit *Heiſterus Tom.* 1. *Tab.* 4.) aut faſciarum deligationibus. Vulnera, quæ a fractis oſſibus fiunt, rariſſime, aut nunquam ſutura adducenda ſunt, tametſi plurimi graviſſimi auctores, veluti *Paulus*, *Guido*, *Theodoricus*, *Fabricius*, aliique hanc inſtituere conſueverint: ſemper enim irritant, inflammationem promovent, doloremque omnino augent ſuturæ in hujuſmodi vulneribus, quæ ob contuſionem, lacerationemque carnium, debent ſuppurare, uti *not.* (15) *cap.* 29. adnotavimus: quod ſi hoc non decet prima die, quando vulnus cruentum adhuc eſt; multo minus id conferet poſt ſeptimum, aut plures dies, quando ſcilicet vulnus in ulcus converſum eſt. Emplaſtra autem glutinantia, quæ ſuturæ ſiccæ dicuntur, minus quidem moleſta ſunt, atque ſine multa noxa adhiberi poſſunt; in hoc tamen caſu, iiſque diebus optatus effectus raro conſequitur. Omnis ergo ſpes, atque artificium ad diſſitum tale vulnus adducendum, poſitum erit in deligatione; atque ideo de ea tantum in hoc textu Hippocrates locutus eſt, atque variam ſimul, diverſamque deligandi rationem, pro varia, diverſaque vulneris forma, tradidit; neque his deligationibus aliud quidquam adjecit Galenus in commentariis. Vulneris ergo formam Hippocrates monet Chirurgum conſiderare, ut qua parte id expaſſum eſt, contraria faſciæ convolutione ſuſtineatur, atque adducatur. Si enim in ſiniſtram partem vulnus hians ſit, aut everſa labia protuberent, tunc ad dextram deligando, contrariis faſciarum convolutionibus, diſſitas carnes reducere oportet; & ſic contra. Si vero id utrobique ſit, faſcia duobus capitibus convoluta, quemadmodum ea eſt, quam expreſſit *Scultetus Tab.* 29. *litt. G.*, ex duobus contrariis initiis deligandum, ut ſic ad mutuum contactum vulneris labia impellantur. Hoc præceptum, quod eſt generatim utiliſſimum in aliis quibuſcunque vulneribus, & ulceribus, tradidit quoque *Hippocrates in Chirurg. Officin.* dicens; *Deligare oportet dextras partes in ſiniſtras, & ſiniſtras in dextras*; cui luculentiſſimam explanationem appoſuit *Galenus comment.* 2. *Text.* 12.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXXVI.

Ossium discessurorum cognitio. Ossa quæ citissime discedant.

QUæcumque vero ossa repositionem effugerunt, ea discessura esse nosse oportet (1); itemque ea, quæ carnibus penitus nudata sunt (2). Nudatur autem quorundam superna pars, quorundam vero

(1) OPORTET. In hoc textu prognosticon tradit Hippocrates, quod ex fracturæ qualitate, ossiumque conditione, ac statu, eruitur. Si enim os fractum, aut aliquod ossis frustulum, repositionem effugerit, aut extra eminens sit; tum hæc ossa, quæ in loco alieno sunt, vicinas carnes vexant, atque inflammant, ex quo corruptio, aut suppuratio fit in partibus circumpositis, ipsumque periosteum, quod vasa ossibus impertitur, putrescit, atque secedit, ex quo vita privatur id os, carioſum fit, ac tandem discedit.

(2) NUDATA SUNT. Non modo ossa, quæ repositionem effugerunt, atque in aliena sede consistunt; verum etiam quæ carnibus penitus nudata sunt, quamvis in naturalem sedem restituta, carioſa fieri, atque discedere solent. Constat enim ex *Gagliardi*, *Clopton Havers*, atque *Tarin*, diligentissimis perquisitionibus anatomicis, nec non *Ruyschii* injectionibus, quod ossibus in omni superficiei puncto, superponitur, atque tenaciter adhæret illa membrana, quam *periosteum* nominamus. Hæc membrana innumeris vasis omnis generis est referta, quæ in osseam substantiam transmittuntur, ex quibus vita, nutrimentum, incrementum, atque sanitas ossium pendet, sic enim ait *Clopton Havers Osteolog. nov. discurs.* 1. *Periosteum ossibus firmiter, ac intime jungitur, partim per contiguitatem, partim vero per continuitatem, sive insertionem filamentorum periostei in ipsam ossium substantiam, & per vasa sanguifera, quæ ab uno propagata in altero ramificantur, & totidem tenuium ligamentorum ad instar eadem coniungunt.* Quum igitur nihil per arterias, atque nervos ad ossis substantiam venire, atque inde per venas redire possit, nisi periostei ope; sequitur, quod si vulneratione, corruptione, aut suppuratione, pars aliqua ossis periosteo denudetur, vita privatur, corrumpitur, atque carioſa facta, a subjectis vivis partibus tandem discedit. Hoc non solum in fracturis, sed etiam in quibusvis aliis vulneribus, & ulceribus, in quibus ossa denudata sunt, accidere quotidie cernimus. Sic *Hippocrates lib.* 7. *de Morb. Popular.* ait; *Contigit & infelicissimo Philes filio, denudatione in fronte facta, nona die febris; deinde livefactum est os: mortuus est.* Præter denudationem, qua vitalis humorum influxus intercipitur, aeris quoque accessus, ut & ichoroſi, vel purulenti humoris, nec non medicamentorum contactus, ossis cariem promovent; quemadmodum adnotat *Paræus lib.* 18. *cap.* 26. inquiens; *Continui solutio in ossibus facta, Galeno Catagma nominatur: hæc cariei fere causam præbet: attrita enim, collisa, fissa, pertusa, fracta, luxata, inflammata, propria carne, & cute renudata, facile carie tentantur: operculo nanque suo spoliata alterantur, aeris, quam*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 272 sur 355

©BIU Santé

vero carnes circumcirca mortificantur (3). Et quibuſdam quidem ex veteri vulnere aliqua oſſa emarcuerunt : quibuſdam vero non (4), & ali-

nunquam experta ſunt, appulſu : a quo præterea ſanguis, propriumque ipſorum alimentorum reſiccatur, & exhauritur. Sed & per vulnera, ulcerave antiqua ſanies decurrens, ſucceſſu temporis in ipſorum ſe ſubſtantiam defigit, ſenſimque putrefacit, Egregiam autem de diverſa oſſium carie diſſertationem edidit *Joannes Fournier*, quam in Monſpelienſi celeberrimo Apollinis Fano ipſe propugnaverat. Abſolutiſſimam quoque de oſſium carie doctrinam, deque ea præcipue, quæ a cauſis internis oritur, retulit *Boerrhaavius* in *Aphoriſm.*, atque *Van-ſwiet in comment.*

(3) MORTIFICANTUR. Expoſitis cauſis, quibus os diſceſſurum eſſe prænoſcimus, varia nunc exponere ſigna diagnoſtica Hippocrates proſequitur ex cariei gradus, aut diverſitatis oſſis, aut diverſæ oſſis affecti partis conſideratione deducta, quæ differentias conſtituunt, ex quibus an facile, vel difficile, an cito, vel ſerius oſſis diſceſſus fiat, conjici poteſt. Multum ſane differt, ſi aliquod os in una tantum facie ſit denudatum, quam ſi totum circumcirca ; hinc Hippocrates, ut differentias, quæ in oſſium denudationibus eſſe ſolent, oſtenderet, hanc primum enumeravit, inquiens ; *Nudatur autem quorundam ſuperna pas, quorundam vero carnes circumcirca mortificantur.*

(4) NON. In nonnullis vulneribus ob gravem contuſionem, atque laceration em, vel etiam ob malam curationem, carnes quandoque corrumpuntur, aut ita profundi ſinus efformantur, ut vulnus in ſordidum, diuturnumque ulcus convertatur, & oſſa tandem a corruptione, vel ſuppuratione denudentur, ac computreſcant, nulla quamvis a principio facta fuerit denudatio ; quemadmodum docet *Boerrhaavius aphor.* 537. inquiens ; *Tum pus, exeſo perioſteo, os nudabit, vaſis privabit, corrumpet.* Quandoque tamen carnium corruptiones, vel ſinus, non uſque ad oſſa pertingunt, ſed tantummodo per tunicam cellularem diſperguntur ; atque tum, quamvis diutinum ulcus foveatur, oſſa tamen non computreſcunt ; ideo dixit Hippocrates ; *Quibuſdam, ex veteri vulnere aliqua oſſa emarcuerunt, quibuſdam vero non.* Curandum tamen ſemper eſt, ut quo citius fieri poterit, congruis remediis, aptaque deligatione hi ſinus exſiccentur, atque ulcus ad cicatricem perducatur, ne prognoſticon, quod *aphor.* 45. *ſect.* 6. protulit *Hippocrates*, comprobetur, ubi ait ; *Vlcera quæcunque annua fiunt, aut diuturniora, neceſſe eſt os abſcedere, & cicatrices cavas fieri ;* nam quamvis Galenus, qui hunc aphoriſmum aliis omnibus explanatoribus luculentius expoſuit ; de ulceribus ſponte, aut a cauſa interna natis, Hippocratem ibi locutum fuiſſe aſſeveret ; in hujuſmodi tamen quoque ulceribus a vulnere ortis, ſi pus in cuniculis diu lateret, acrius mora redditum, atque ſerpendo, ad oſſa tandem, integra quamvis antea fuerint, pervenire poſſet, eaque afficere, atque corrumpere. Hoc idem adnotavit *M. A. Severinus lib. de Pædarthrocace cap.* 5., ubi ait ; *Nos autem experimento quotidiano didicimus in vulneribus capitis, & corruptelis aliorum oſſium, circumjectam carnem ample computruiſſe ; ſub hac vero vitiata ſubjectum os commarcuiſſe non ita multum : licet procedente longius tempore, non nego commaculatum os, & labefactatum.*

©BIU Santé

& aliquibus magis, aliquibus minus, & partim parva, partim magna (5). Propter hæc igitur relata, uno verbo dici non poteſt, quando oſſa ſint diſceſſura. Aliqua enim ob parvitatem, aliqua ex eo, quod in ſumma parte exiſtunt, citius diſcedunt: aliqua eo quod non diſcedunt, reſiccata, & marcida effecta deſquamantur (6). Præterea differt curatio a curatione (7). In totum igitur oſſa citiſſime his diſcedunt, quibus citiſſimæ fiunt ſuppurationes, & citiſſimæ, ac optimæ carnis productiones: ſubnaſcentes enim juxta læſam partem carnes, plerumque oſſa ipſa elevant (8). Totus tamen oſſis circulus, ſi in

(5) MAGNA. Sicuti caries oſſium multum inter ſe diſcrepare quoad majorem, vel minorem amplitudinem, ſive aream poſſunt, uti *not.* (3) obſervavimus; ita non parum etiam differunt, quoad profunditatem. Oſſa enim, quum ex laminarum multiplicibus ſtratis, unum ſuper aliud incumbentibus, conſtructa ſint, (uti ex *Gagliardi*, & *Clopton Havers* obſervationibus conſtat) evenit, ut vel ſuperficies tantum, vel major, vel minor ſtratorum numerus corrumpatur, ex quo caries plus, vel minus profunda eſſe poterit; hinc poſtquam dixerat Hippocrates, quod quibuſdam ex veteri vulnere oſſa emarcuerunt, addidit, *aliquibus magis*, *aliquibus minus*. Nec minor etiam erit differentia, quæ ab læſi oſſis qualitate petenda eſt; nam non idem erit ſi in oſſe femoris, quam ſi in alicujus digiti oſſe corruptio fiat: unde quoniam aliquando parva oſſa, aliquando magna computreſcunt, ex hac quoque conditione differentias conſtitui debere in his morbis, Hippocrates monuit, dum dixit; *Et partim parva*, *partim magna*.

(6) DESQUAMANTUR. Hippocrates, qui longa, ſedulaque obſervatione dies, in quibus criſes, ſolutioneſque morborum a natura fieri conſueſcunt, adnotavit, unde adeo præclara, utiliſſimaque prognoſtica deduxit, ut vere canones medici dici poſſint; rationes in hoc textu reddit, quare dies certos, in quibus oſſa ſint diſceſſura ſtatuere non potuerit; quia nempe aliqua oſſa ob parvitatem, aliqua, quia in eis caries in ſumma tantum parte, ſive ſuperficie exiterit, citius abſcedunt; aliqua vero e contra, quibus in oſſis ſubſtantia alte corruptio inhæſit, exſiccantur, neque, niſi longum poſt tempus deſquamantur, atque diſcedunt; quapropter, quum nunc citius, nunc ſerius tales oſſium diſceſſus fieri ſoleant, dixit; *Propter hæc relata*, *uno verbo dicò non poteſt*, *quando oſſa ſint diſceſſura*.

(7) CURATIONE. Quantum curatio a curatione, pro fracturæ, oſſiſque abſceſſuri qualitate, debeat differe, paulo inferius Hippocrates docebit.

(8) ELEVANT. Plurimæ ſunt cauſſæ, quæ cariem inducere poſſunt; omnium tamen ſemper minus noxia eſt, quæ a cauſſa externa ortum duxit; nam ſi a vulnere, vel fractura aliqua oſſis pars corrumpatur, reliquum ipſius oſſis, uti & univerſum corpus, (niſi id in homine alia labe jam infecto acciderit,) ſanum erit, neque noxiis humoribus, quibus caries foveatur, ſcatebit. Quoniam ergo in hujuſmodi carie a cauſa externa producta, nihil aliud toto in oſſe occurrere vitium ſolet, quam aut ſuperficiei, aut fruſtuli corrupti portio; neque tota oſſis ſubſtantia, ut in carie a lue Venerea ſuſcepta evenit, neque ipſa medulla, ut

©BIU Santé

in quadraginta diebus diſceſſerit, bene diſcedet; quædam enim ad ſexaginta dies perveniunt (9): nam & rariora oſſa citius diſcedunt, ſolidiora vero tardius (10). Alia autem minora, multo minore temris ſpatio (11), alia aliter (12).

ut in ſpina ventoſa contingit, affecta ſunt; quod per ſuppurationem, optimamque carnis pruductionem, cito diſceſſus oſſis fiat, ulceriſque ſanatio, ſperari poteſt. Quomodo autem oſſium corruptorum exfoliationem, aut diſceſſum, natura moliatur, ſapientiſſime, atque feliciſſime Hippocrates explicavit, quum dixerit; *ſubnaſcentes enim juxta læſam partem carnes, plerumque oſſa ipſa elevant*. Conſtat enim ex diligentiſſimis Anatomicorum obſervationibus, atque injectiouibus, quod inter lamellas, quibus oſſa conflantur, tam innumera vaſorum multitudo excurrit (non exceptis eorum ſolidiſſimis, ac candidiſſimis partibus, ubi oſſa ficciſſima apparent), ut fidem ſuperet. De his vaſis hæc ait *Clopton Havers Oſteolog. Nov. diſcurſ.* 1. *Jam quamvis in nonnullis oſſium partibus parum, in aliis nihil plane de vaſis ſanguiferis appareat, ea tamen etiam in candidiſſima oſſium parte exiſtere, evidentiſſime apparet, ſi quamcumque oſſis adhuc cartilaginei partem examines; eaque numeroſa admodum eſſe, ut credam, me impellit inſignis quædam Ecchymoſis, quæ in oſſe ſolido, & perfecto mihi occurrit, ac in ea quidem ejus parte, quæ naturaliter, alba, videbatur, extitiſſe, minimamque, ſi ulla alia, ſimilis rei ſuſpicionem moviſſe*. Vaſa igitur arterioſa, quæ inter adhuc integras oſſis lamellas excurrunt, eorum vi, atque pulſatione, in corruptam partem, veluti aſſidua arietatione, impingunt; atque gliſcendo, id corruptum elevant, atque expellunt; dum interim novam ſubſtantiam, quæ vices ſuppleat perioſtei, ſubtexunt. Revera, ubi tales oſſium deſquamationes fiunt, ſuppoſita oſſis pars, non nuda reperitur, ſed ſtratum carneum, atque cruentum ibi apparet, quo ſuppoſitum ſanum os, veluti novo perioſteo contegitur. Hoc cum apprime cognoviſſet Hippocrates, ideo dixit; *ſubnaſcentes enim juxta læſam partem carnes, plerumque oſſa ipſa elevant*.

(9) PERVENIUNT. Quamvis ob multiplices corruptionis oſſium gradus, ac differentias, dies ſtatui non poſſint, ac præſagiri, in quibus carioſi oſſis diſceſſus fiat; Hippocrates tamen id adnotavit, quod in hac re accidere plerumque ſolet; ut ſi dies certos præfinire non potuerit, quod ſaltem ſæpius evenit, moneret. Scripſit itaque; *Totus tamen oſſis circulus, ſi in quadraginta diebus diſceſſerit, bene diſcedet; quædam enim ad ſexaginta dies perveniunt*. Revera circa diem quadrageſimum, dummodo tamen caries non alte admodum oſſis ſubſtantiam obſederit, & recta ratione ulcus curatum ſit, oſſeas corruptas ſquamas diſcedere frequentiſſime obſervamus: adeo ut *Falloppius Tract. de Ulcer. cap.* 22. hæc pro canone ſcripſerit; *Terminus vero naturæ ad expellendum oſſis ſquamam detecti, ac corrupti, cum ſiccatum ſit, eſt ut plurimum quadraginta dierum, aut triginta quatuor*. Quoniam ergo Hippocrates obſervaverat, quod pro loci affecti qualitate, ægrique temperamento, quædam oſſa uſque ad ſexageſimum diem perveniunt, antequam diſcedant; ideo dixit, quod bene diſcedet, atque curationem optime ſemper ceſſiſſe putandum eſt, quoties os in quadraginta diebus diſceſſerit.

(10) TARDIUS. Si quis oſſium corruptiones in genere conſideraret, hanc Hippocratis ſententiam, quod *rariora oſſa citius* diſcedant, *ſolidiora vero tardius*,

©BIU Santé

dius, experientiæ, atque communi auctorum opinioni contrariam esse judicaret: nam omnes consentiunt, quod cuncta ossa, quæ corrumpuntur, quo rariora, spongiosaque magis sunt, eo difficilius curantur, quemadmodum *Boerhavius aphor.* 555. ait, quod caries *in parte solidiore ossis mala, in spongiosa pejor, in juncturis pessima: prima lenta, altera velox; ultima velocissima.* Hujus rei rationem reddens *Van-swietenus in comment.* sic inquit; *Si ergo in solidissima ossis parte caries adsit, mala quidem erit; sed tamen magna spes est separationem carriosi obtineri posse, neque tamen tam cito firma hic maxime ossis substantia erodetur. Quando vero in parte spongiosa ossis caries nascitur, brevi destructa erit tenuis illa ossea crusta, & molles partes suppositæ corrumpentur; unde pessima putredo, & metuenda in primis olei medulloſi corruptio sequetur.* Ex quibus concludendum videtur, difficilioris curationis esse, longiusque tempus requiri ad rarioris ossis, quam solidioris, discessum. Sed animadvertendum hic est, quod duæ sunt generales carĭei differentiæ; altera illius est, quæ a causa externa, de qua hic loquitur Hippocrates; altera, quæ ab internis causis ortum duxit, de quibus præcipue *Boerhaavius*, & *Van-swietenus* in memoratis locis locuti sunt; sic enim cariei differentias retulit *Junkerus tabul.* 51. *Caries est vel simplex, seu idiopatica, quæ sine alio morbo a causis plerumque externis derivanda est; rarius a causis internis e. g. decubitu humorum; vel symptomatica, quæ frequentius occurrit in iis, qui scorbuto, & præcipue morbo gallico altius infecti sunt.* Quum ergo de carie simplici ab externa causa producta hic agat Hippocrates, quæ ob carnium corruptionem, ac perioſtei denudationem exorta est, ideo de ea carie dicere intellexit, ubi (si quidem antea noxium aliquod miasma non extiterit, neque morbus perperam curatus fuerit) alte admodum substantia ossis non solet obsideri; sed sola plerumque superficie, aliquarum lamellarum tenus corruptio descendit: proinde non adeo facile molles partes ossium spongiosorum, neque oleum medullare putrescunt, quemadmodum contingere solet in illis ossium morbis symptomaticis, qui a lue venerea proficiscuntur, ut in gummi, & exostosi; aut a scorbuto, ut in spina ventosa, in quibus tota ossis substantia, ipsaque medulla putrescunt. Haud proinde mirum, si in hoc textu Hippocrates dixerit; *Rariora ossa citius discedunt, solidiora vero tardius.* Nam quo rarioris ossa, spongiosiorisque substantiæ sunt, eo pluribus majoribusque vasis donantur; hinc squamæ, bracteæque osseæ corruptæ, a vasorum actione, subnascentibusque carnibus, citius in his rarioribus ossibus elevantur, quam in solidioribus, quæ duriſſima sunt, atque paucioribus, exilioribusque vasis referta. Quanto enim durius est os, tanto plus recedit a natura carnium, quæ cito putrescunt, & brevi decidunt; ideo solidiora ossa rarioribus minus facile corrumpuntur: sed quoties aliqua eorum pars computruit, reliquo ossis tenaciſſime hæret, & serius, quam si id in osse rarioris substantiæ esset, discedet. Hoc quum noviſſet *M. A. Severinus lib. de Pædarthroc. cap.* 5. dixit; *Adde, quod ossis quanto durior est soliditas, tanto gravior est corruptio*: unde non sine ratione in hujusmodi carie dixit Hippocrates; *Rariora ossa citius discedunt, solidiora vero tardius.*

(11) SPATIO. Præter id, quod in nota præcedenti adnotavimus, aliam etiam rationem recenset Hippocrates, qua noscimus, quænam ossa corrupta maturius discedere soleant, ait enim; *Alia autem minora multo minori temporis spatio.* Profecto pleraque humani corporis ossa, quo majora sunt, non crassiorem modo, sed etiam solidiorem, ma-

©BIU Santé

magisque compactam habent substantiam: sic, si e. g. os unius digiti cum osse cubiti, os autem cubiti cum osse femoris conferantur, pro diversa eorum magnitudine, gradatim solidiori substantia prædita esse fatebimur. Hoc adnotavit *Winslowius* §. 87. inquiens, *Pars compacta, sive solida in ossibus magnis, cavis, admodum notabilis est, & celluloſa, sive spongiosa in iis, quæ cavitate insigni destituuntur, reperitur;* hinc sequitur, quod minorum ossium caries tenuior semper erit, atque ideo a subjectis vasis id omne, quod corruptum est, facilius elevabitur, ac minori temporis spatio discedet. Hunc tardiorem in majoribus ossibus cariei discessum recensuit quoque *Hippocrates in lib. de Articulis*, ubi ait. *Femoris itaque os tali modo denudatum octogesimo die abscedere vidi. Tibia autem huic homini circa genu vigesima die ablata fuerat, aut ut mihi videbatur, etiam citius, non enim simul, sed ad majorem providentiam facere quid mihi visum fuit. At tibiæ ossa ex ejusmodi denigratione circa mediam tibiam, sexagesimo die mihi deciderunt, quæcunque ex ipsis fuerunt denudata.*

(12) ALITER. In fracturis cum vulnere, non modo ossium discessus ob eorum denudationem, atque corruptionem fiunt; verum etiam ob aliam causam id sæpissime accidit, quia nempe in fractura, ossis comminutio facta fuit, atque aliquod fragmentum a reliqua ossis substantia, una cum periosteo ita disjunctum est, ut iterum uniri, atque concrescere nequeat; sed veluti extraneum corpus in vulneris cavo hæreat, ex quo ad cicatricem ulcus perduci non poterit, nisi id prius extrahatnr, aut decidat. Hujusmodi ossa, non per desquamationem, neque per subnascentes carnes elevantur, quod definitum dierum numerum requireret, uti superius adnotavimus; sed vel ipsa suppuratio a vicinis partibus ea prorsus dissolvit, atque expellit; vel volsella, tenaculisve a Chirurgo evelluntur, quod citissime fieri quandoque potest; immo non raro ipsa prima curationis die plurima ossium frusta ex hujusmodi vulneribus extrahere licet. Ideo Hippocrates postquam dierum varietates, quæ in ossium corruptorum desquamationibus observantur, recensuit; ut horum frustulorum discessum non iisdem debere metiri regulis moneret, addidit; *Alia aliter*.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXXVII.

Os extra eminens cur præſecandum. Oſſium frigidis madefactorum primo tempore pericula.

CÆterum os extra eminens his de cauſis præſecare oportet (1), ſi reponi non poſſit, & parum abſit, ut reponi poſſe videatur (2), & fieri poterit, ut auferatur (3), & ſi noxium fuerit, & de carnibus quid

(1) OPORTET. Hactenus Hippocrates varias medendi methodos, variaque machinamenta expoſuit, quibus oſſa extra cutem eminentia in ſuam ſedem reponi poſſunt; nunc autem nonnullas cauſſas profert, ob quas, ut curatio bene procedat, os extra eminens præſecare oportet; alias enim fractura vel non poterit in ſuam ſedem reſtitui; vel non ſine multa vi, noxa, & periculo reſtitueretur; adeo ut, niſi tale os præſecetur (aut reponatur, aut non) graviſſima mala ſequerentur.

(1) VIDEATUR. Vna ex cauſis, quæ nos coget, ut os, quod extra eminet, præcidamus, erit, ſi id os ita ſuper aliud poſitum ſit, ut nullo ex ſuperius relatis modis in ſuam ſedem reſtitui queat; atque hoc multo magis faciendum eſſe cenſet Hippocrates, ſi non magni quid erit, quod obſtat, *& parum abſit, ut reponi poſſe videatur*; tunc enim id effici facile poterit, & eo abſciſſo, commode in ſuam ſedem, naturalemque figurationem fracta reſtituentur. Hujuſmodi oſſa commodiſſime abſcinduntur ea forfice, quam retulit *Scultetus Tab.* 20. *fig.* 1., de qua dixit; *Eſt forfex, qua abſcinduntur non ſolum oſſa, quæ in fracturis cum vulneribus eminent, & reponi non poſſunt: verum etiam ea, quæ ſuo acumine cerebrum pungunt &c.* Huic ſimilem expoſuit *Heiſterus Tab.* 8. *fig.* 1. atque aliam quoque forficem expreſſit *Garengeot Traite des Inſtrumens de Chirurgiæ planche* 18. ſed hæc Garengeoti forfex alio modo conſtructa, minus efficax eſt, & ad oſſium tenuiſſimas tantummodo ſquamas abſcindendas erit idonea, ut ipſe Auctor affirmat. Alii auctores hæc oſſa, firmiora præcipue, craſſioraque, ſubtili quadam ſerra abſcindere conſueverunt; quemadmodum docet *Heiſterus Tom.* 1. *Tab.* 7. *fig.* 9. ubi hujus figuram retulit: at ſerræ uſus in horum oſſium reſectione res admodum moleſta eſt, nimiamque affectæ parti inducit quaſſationem; quare ſemper erit forfex præferenda.

(3) AUFERATUR. Præcipit quidem Hippocrates, ut os extra eminens, quod alias reponi non poteſt, præcidamus: ſed ſapientiſſimus, diligentiſſimuſque vir, qui omnes differentias, conditioneſque morborum noverat, ne ullam cautionem in ſuis præceptis omitteret, hanc ſubjicit animadverſionem; *ſi fieri poterit ut auferatur*. Quandoque enim talis eſt oſſis poſitio, vel adeo craſſa eſt portio, quam abſcindere oportet, (veluti in majorum oſſium fracturis tranſverſis) ut prorſus nequeat, vel ſaltem non poſſit, niſi multa vi, periculoſiſſimaque affectæ partis vexatione, validiſſimis quamvis inſtrumentis id tentetur, reſecari: ideo tum ab hac operatione deſiſtere ſatius eſt, ne in majus diſcrimen æger adducatur; atque curatio alia erit ratione ſuſpicienda.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 278 sur 355

©BIU Santé

quid rumpat, & ſenſus moleſtiam exhibeat (4). Sed & ſi nudum fuerit, tale auferre oportet. Reliqua ſive præſeces, ſive non præſeces, non multum refert: hoc enim certo ſcire expedit, quod oſſa, quæ carnibus perfecte privantur, ac exareſcunt, omnia penitus diſcedent. A quibus vero ſquamæ diſceſſuræ ſunt, ea præſecare non oportet (6). Conjecturam vero eorum, quæ diſcedent, ex conſtitutis ſignis (7) facere opor-

(4) EXHIBEAT. Altera cauſſa, quæ nos cogere poterit, ut os, quod extra eminet præſcindamus, erit, ſi ingentem noxam, multumque moleſtiæ vicinis partibus id afferre viderimus. Hippocrates ſuperius *cap.* 35. docuerat, quod, ſi primo, aut ſecundo die os extra eminens non repoſitum fuerit, ejus reſtitutionem aggredi non liceret, niſi poſtquam ſeptima dies ſit elapſa, aut plures etiam. Quod autem in hoc textu nunc monet, illius regulæ veluti exceptio eſt; eum enim caſum modo profert, in quo ægrotus tantam moleſtiam, atque cruciatum ex hujus oſſis extra eminentis vexatione patiatur, ut nullatenus id ad diem uſque ſeptimum potuerit ſuſtinere: & quamvis tale os prima die reponeretur, ob ejus tamen acumina, quæ carnes aſſidua vexatione afficerent, dolores acerbiſſimi, inflammationes, atque etiam convulſiones excitari poſſent: hinc non modo os præſecandum eſſe præcipit, ſi reponi non poſſit, verum id etiam jubet, *ſi noxium fuerit, & de carnibus quid rumpat, & ſenſus moleſtiam exhibeat*, etſi abſque præſecatione reponi potuiſſet. *Celſus lib.* 8. *cap.* 10. de his ita docuit; *Si quod parvulum fragmentum oſſis eminet, id ſi retuſum eſt, in ſuam ſedem dandum: ſi acutum, ante acumen ejus, ſi longius eſt præcidendum: ſi brevius, limandum, & utrinque ſcalpro limatum ipſum recondendum eſt.*

(5) OPORTET. Altera quoque cauſſa, ob quam os abſcindere præcipit, eſt, *ſi nudum fuerit*; os enim, quod in ſuam ſedem reſtitui non potuit, ſi nudum extra cutem emineat, carie afficietur; ut *not.* (2) *cap.* 36. obſervavimus. Hinc, ut citius, atque commodius curatio abſolvatur, os, quod jam putrefactione abſceſſurum eſſet, quamvis innoxium, præſcindendum.

(6) NON OPORTET. Os denudatum præſecare juſſit Hippocrates, ut, quo citius fieri poſſit, ad cicatricem ulcus perducatur; tota enim oſſis ſubſtantia putrefacta, non niſi poſt longum tempus abſcederet; at præſecatione id expediri poterit. Verum ſi talis fuerit denudatio, ut non ſolidæ ſubſtantiæ portio, ſed ſquamæ tantum diſceſſuræ ſint, tunc præſecare non oportet; quoniam hæ cito ſolent ſponte diſcedere, atque plus oſſis auferri forſan poſſet, quam opus eſt, ſi forficem adhibuerimus. Quoties igitur tantummodo ſquamas diſceſſuras eſſe cognoverimus, tum, ne plus damni, quam utilitatis inferatur, eas præſecare vetuit Hippocrates.

(7) SIGNIS. Quibus ſignis conjectandum, oſſis diſceſſum futurum eſſe in ulceribus, jam *not.* (32), & (33) *cap.* 30. adnotavimus. Ubi vero os denudatum eſt, clariſſime tunc ejus corruptio patet: nam ſuus ſenſim color cæruleo-candidus, in luridum, flavum, fuſcum, & tandem nigrum mutatur, & quo plus ad nigredinem vergit, eo intenſior erit corruptio. Conſtitutis igitur his ſignis, conjecturam facere poterimus eorum oſſium, quæ diſcedent.

©BIU Santé

oportet: curare autem tales ſpleniis, & vinoſa curatione, velut etiam prius de diſceſſuris oſſibus ſcriptum eſt (8). Sed cavere decet, ne primo tempore frigidis madefiant (9): rigorum enim febrilium periculum eſt (10): periculum item convulſionum: frigida enim ſemper convul-

(8) SCRIPTUM EST. Hanc fracturæ ſpeciem, eodem modo curandam eſſe præcipit, uti ſcripſit ſuperius *cap.* 31.

(9) MADEFIANT. Jam pluries ſuperius adnotavimus, quod omnia vulnera, quæ in oſſium fracturis accidunt, fere ſemper cum contuſione, atque laceratione conjuncta ſunt; atque ſimul conſideravimus, hujuſmodi vulnera per blandam ſuppurationem curari. Ut autem hæc vulnerum ſuppuratio feliciter procedat, monet Hippocrates, quod *cavere decet, ne primo tempore frigidis madefiant*. Conſtat enim, ut ait *de Gorter in comment. aphor.* 215., *ad puris confectionem paulo majorem calorem requiri, quam eſt calor naturalis noſtri corporis: inde itaque actu calida applicata, quoniam iſtud requiſitum faciunt, juvant puris generationem*. Nihil enim aliud eſt ſuppuratio, niſi humorum effuſorum, atque ſtagnantium digeſtio quædam, atque concoctio, qua vi vitæ cum fluida, tum ſolida, quæ corporis integritati noxia ſunt, a vivis partibus excernuntur. Cum autem nulla digeſtio, humorumque ſubactio in noſtro corpore fieri poſſit, niſi ſatis valido humorum motu, atque calore; ideo cavere oportet, ne primo tempore, quando ſuppuratio fieri debet, frigidis utamur, quæ calorem humorumque digeſtionem retunderent. Ex his, quæ de ſummo frigore dixit *Van-ſwietenus, comment. aphor.* 390., frigoris effectus (data proportione) deſumi poſſunt, ait enim, *ſed frigoris effectus ſunt, ſolidorum major contractio, & robur, fluidorum vero aucta immeabilitas. Summum ideo frigus, conſtringendo vaſa, & coagulando humores, omnem humorum circuitum impedit; unde ſubita partis mors ab acerrimo gelu fit*. Hinc *Hippocrates aphoriſm.* 20. *ſect.* 5. ſcripſit. *Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit &c. & aphoriſm.* 22. *Calidum ſuppuratorium, non in omni ulcere magnum ſignum ad ſecuritatem: cutem emollit, attenuat, dolores ſedat, rigores &c. plurimum autem confert oſſium fracturis, maxime vero denudatis*. Frigida igitur præterquam quod omnibus ſuppurationibus obſunt; plus etiam nocent, ubi oſſis denudatio ſubeſt: nam in oſſibus, quæ tenuiſſimis vaſis donantur, actio vitalis debilior eſt, minorque partium attritus, unde natura minus calida ſunt, atque facilius perfrigeſcunt; proinde *Hippocrates aphoriſm.* 18. *Frigidum inimicum oſſibus &c. calidum vero utile*.

(10) PERICULUM EST. Rigor eſt affectio, quæ frigoris ſenſum, & tremorem excitat; quæ affectio ſi levis ſit, & cito decurrat, *Horror* vocatur; quam diſtinctionem *Galenus lib.* 2. *de Symptomatum cauſis*; & *lib. de Palpitatione, Tremore, Rigore, & Convulſione* lueulentiſſime expoſuit. In partibus ulceratis, ubi fibræ ſenſiles, filamentaque nervorum denudata ſunt, & in iis potiſſimum partibus, ubi motus vitalis, qui caloris eſt cauſa, languet; ut in oſſibus, tendinibus, ligamentis, cartilaginibus, membraniſque albicantibus; ſi frigida applicentur, maximus frigoris ſenſus fiet, qui poſtea ſenſus per univerſum nervorum ſyſtema propagatus horrorem excitabit. Natura autem machinæ viventis ſic a Supremo Creatore conſtructa fuit, ut quoties aliquid in corpore oriatur, quod ei

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 280 sur 355

©BIU Santé

vulſionem provocant (11): quandoque vero etiam ulcera (12). Noſſe quoque id convenit, neceſſe eſſe ibi corpora breviora fieri, ubi oſſa fracta, ac immutata curantur (13), & quibus totus oſſis circulus diſceſſit (14).

moleſtum ſit, vel ejuſmodi intentet deſtructionem; tum propriis vitalitatis viribus inſurget, atque id noxium, moleſtumque ſubigendo, expellendo, mutando, aſſimilando, ſeſe ad priſtinam integritatem vindicare contendit. His naturæ legibus ſequitur, quod ab ipſo frigore, major ſanguinis copia ad cor defertur, ex quo cordis actio excitatur, unde circulationis velocitas augetur, atque febris inde oritur, quæ tunc omnino, cum ad partis affectæ, tum ad totius corporis frigus delendum, eſt opportuna. Quamquam his turbis ad incolumitatem corpus reſtituere natura contendat; ſemper tamen hæc ſymptomata moleſtiſſima ſunt, morbumque graviorem efficiunt; atque etiam quandoque accidit, quod non ſatis validæ naturæ vires ſint ad id, quod noxium, ſubigendum; ex quo maxima mala, neque raro mors ipſa conſequuntur; ideo omni cura cavere decet, ne vulnera primo tempore frigidis madefiant, aut aeri frigido exponantur, ne hujuſmodi rigores febriles excitentur.

(11) PROVOCANT. De convulſionum theoria varie ab auctoribus diſceptatum ſemper fuiſſe *not.* (10) *cap.* 35. adnotavimus; atque etiam ibidem animadvertimus, quod ea convulſionis ſpecies his vulneribus ſupervenire ſolet, quæ nervorum diſtentio nominatur, & quæ præ ceteris eſt periculoſiſſima. Hoc igitur adeo pernicioſum ſymptoma ſupervenire poſſe monet Hippocrates, ſi vulnus, de quo agitur, frigidis madefiet, quam prænotionem etiam *aphor.* 20. *lib.* 5. expoſuit, ubi generatim dixerat, quod in ulceribus frigidum convulſiones, & tetanos facit: quare autem frigidum convulſiones in vulneribus excitet, ita explicat *de Gorter* in mox allegati aphoriſmi commentariis; *Obſervavimus fibras molles noſtri corporis a frigore accurtari, atque experimur, excedens frigus applicatum inſtar ſtimuli agere: ſi ergo frigus applicatum ad nervi capſulam ratione contractilitatis, vel ratione ſtimuli faciat, ut nervi capſula contracta urgeat contentos canaliculos ſpiritibus plenos, hi ſpiritus tanto impetu propulſi ad partem aliquam faciunt, ut muſculi iſtius partis vel ſpaſmo, vel tetano corripiantur, & quoniam nervorum capſulæ ſunt continuæ, totum corpus conſentiens convellitur.*

(12) ULCERA. Si partes circa vulnus contuſæ, aut inflammatæ fuerint, effuſi, & ſtagnantes humores frigidi applicatione concreſcent, atque immobiles rediti, diutina ſtagnatione tandem corrumpentur, ex quo ulcera naſcuntur. Omnia enarrata ſymptomata, quæ a frigidorum applicatione his ſpeciatim ulceribus ſupervenire Hippocrates in hoc textu monuit; eadem generatim recenſuit *Aphoriſm.* 20. *ſect.* 5. ubi dixit; *Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, nigrores, rigores febriles, convulſiones, & tetanos.*

(13) CURANTUR. Expoſitis ſymptomatis, quæ ex mala curatione accidunt; vitia nunc Hippocrates commemorat, quæ in parte affecta, aut ob curationis negligentiam, aut ob ipſius fracturæ qualitatem, poterunt remanere: ait enim, ſi oſſa non in naturali extenſione, & directione reſtituta fue-

©BIU Santé

fuerint, ſed *immutata*; ſi ſcilicet vel ad angulum inſiſtant, vel unum os ſuper aliud elatum ſit, atque ita curatum; oportere tunc membrum, deforme, ac brevius fiat; nam quo longius a rectitudine oſſa deflectunt, vel ſuperponuntur, eo quoque magis de eorum naturali longitudine decedere debent. Hoc magni quidem refert Chirurgum prænoſcere; ut ſedulus nimirum ſit ad id vitandum: ſin minus id efficere poterit; ut ſaltem omnia mature ægroto, amiciſque prædicendo, ſuæ poſſit famæ conſulere; ideo Hippocrates dixit: *Noſſe quoque id convenit, neceſſe eſſe ibi corpora breviora fieri, ubi oſſa fracta, ac immutata curantur.*

(14) DISCESSIT. Non modo propter corruptionem, atque cariem, oſſa diſcedere debere, verum etiam ſi in fruſta diviſa, prorſuſque ſejuncta a reliquo oſſe fuerint, *not.*(12) *cap.*36. obſervavimus. At quandoque fruſtum oſſis, quod diſcedere debet, adeo craſſum eſt, ut integer oſſis circulus ſit; quare totum ſpatium, quod illud fruſtum occupat, inane, atque ſine oſſis fulcimento relinquitur. Hoc infortunium, ſi in his partibus acciderit, quæ a duobus oſſibus ſuſtentantur, ut in cubito, & tibia; aut a pluribus, ut in metacarpo, & metatarſo; tum, ſi in altero tantum oſſe id evenerit, aliud os, quamvis fractum fuerit, quoties in ſuam ſedem integrum reponatur, membrum in naturali longitudine, & figura ſuſtinebit; uti monet *Scultetus in explicatione fig.* 9. *tab.* 27. inquiens; *Os enim ſanum membrum conſervat diſtentum, donec natura defectum portionis abſciſſæ callo quodam compenſarit.* Sin vero id acciderit, ubi unicum eſt os, ut in digitis, humero, & femore: aut ſi ubi duo, vel plura ſunt, ſingula oſſa idem detrimentum paſſa fuerint; ablato tunc omni fulcimento, muſculorum contractione membrum decurtabitur: nam membrorum naturalis longitudo a ſolis oſſibus ſuſtinetur, uti dixit *Realdus Columbus in Proœmio lib.* 1. *de Re anatomica*: *Oſſa igitur fundamenta corporis optimo jure dixerimus, quæ fulciant, ſtabiliantque partes alias: neutiquam enim per ſe conſiſterent, firmarive poſſent, nullamque, aut certe imperfectam functionem obtinerent, niſi ſolidis hiſce partibus adnaſcerentur, atque adhæreſcerent.* Ablato igitur oſſium fulcimento, carnes inſita proprietate contrahuntur; atque membrum brevius evadit. Hoc ſecundum naturam corporis partium in ejuſmodi caſu accidere plerumque ſolet: at exempla non deſunt unde liquet, quod, ſi ars membrum in naturali longitudine conſervare potuerit, natura integrum os deperditum retexit, atque reſtituit, quin ulla ſuperſit decurtatio. Plurima, quæ ad hunc cenſum pertinent, exempla profert *de la Motte* in ſuis obſervationibus chirurgicis, aliique: neque abſimilis eſt hiſtoria, quam narrat *Fabricius ab Aquapendente lib. de Operat. Chirurg. pag.* 169. ubi ait; *Cum aliquando ad nobilem puerum eſſem advocatus, cui ex caſu magni ſaxi ſupra tibiam fractura inſignis, & multiplex facta in oſſe utroque eſſet, eaque cum maximo vulnere, quaſi per totius tibiæ longitudinem illato, e quo fracturæ oſſium fruſtula in terram deſiderent; dum ego digitis immiſſis fracturam tangens oſſis tibiæ latitudinem non invenirem, ſolum alterius oſſis repertum acumen cum altero adverſo ſimiliter acuto adjunxi, (nam alia oſſa, quæ deciderant, a rure poſtridie delata ſunt) & ita per acutiem oſſa conjuncta tam feliciter, & exacte mutuo agglutinata ſunt, ut in præſentia ita obambulat, ac ſi nil prorſus paſſus eſſet.* Quamvis igitur Hippocrates generatim dixerit, breviora fieri ea corpora, ex quibus oſſis circulus diſceſſit; experientia tamen conſtat, quod ſi debitis proviſionibus, artiſque auxiliis, mem-

©BIU Santé

membrum in naturali distentione, & longitudine servari poterit, natura novam ossis substantiam regenerare solet, qua omne deperditum integrum restituitur, quin decurtatum quidquam remaneat. Instrumentum ad hanc rem opportunum esset glossocomum, sed id hoc habet incommodi, quod partibus supra, & infra fracturam, ubi laquei deligantur, dolores, ingentesque tumores inducit (*).

(*) *Vid. Tab. V. Fig. I.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XXXVIII.

Os femoris, aut brachii extra eminens. Offis inferna pars eminens, minus ſuperna periculoſa.

AT vero quibus femoris, aut brachii os extra eminet; hi non valde ſuperſtites evadunt: nam & oſſa magna ſunt, & multum medullæ habent (1): & quæ ſimul vulnerantur, multa ſunt, & magni momenti, & nervi, & muſculi, & venæ (2). Et ſi quidem repo-

(1) HABENT. Inter omnes fracturas, ex quibus os eminet, periculoſiſſimæ potiſſimum eæ ſunt, in quibus majus vulnus, ingenſque carnium laceratio facta fuit, atque ſimul magnum eſt os, quod erupit. Quum autem femoris, & humeri oſſa præ aliis majora ſint, & multis carnibus undique occultentur; ideo de hujuſmodi fracturis in his offibus hanc funeſtam prognoſin Hippocrates pronunciavit, dicens: *At vero quibus femoris, aut brachii os extra eminet; hi non valde ſuperſtites evadunt.* Adeo ingens periculum in tali fractura, tam ratione qualitatis offium, quam ratione læſionis carnium provenire Hippocrates animadvertit. Ratione enim offium, ait: *Nam & oſſa magna ſunt; & multum medullæ habent.* Profecto, quo majus eſt os fractum, eo generatim ob ampliorem læſionis quantitatem, majus malum cenſendum; idque adeo verum eſt, ut etiam in fractura ſimplici majora oſſa tardius corroborantur, ut obſervavimus *not.* (11) *cap.* 27. Neque minus ob multam medullam, quæ in his offibus eſt, morbus augetur; nam offis fracti, atque extra eminentis medulla aeri expoſita putreſcit; ex quo peſſima, profundaque caries inducitur; uti docuit *Boerhaavius aphor.* 526., & *Van-ſwiet. in comment.* putreſcentis medullæ effectus perpendens, ait: *Semel ergo nata hic corruptela, oleum medullare in ſaniem acrem mutatum, erodet veſſiculas, quibus continetur, & vicinas adhuc ſanas deſtruet ſimiliter; dum illas alluit, ſicque in parva etiam medullæ parte natum tale malum propagabitur per omnia hæc loca.* Quum ergo ratione qualitatis horum offium, tot mala ſequi Hippocrates obſervaverit, dixit: *Non valde ſuperſtites evadunt; nam & oſſa magna ſunt, & multum medullæ habent.*

(2) VENÆ. Altera ratio, quare, quibus femoris, aut brachii os extra eminet, hi non valde ſuperſtites evadunt, eſt, quia *multa ſunt, & magni momenti*, quæ in his partibus vulnerantur. Nullus enim ignorat, quam craſſis muſculis humerus undique ſtipetur, & quam craſſiſſimis femur. Præ ceteris ad femoris latera, & partem anteriorem, qua, ut *not.* (2) *cap.* 24. adnotavimus, ejuſdem fractura ſolet diſtorqueri, muſculus Vaſtus externus, & Vaſtus internus, Rectus, & Cruralis, qui præ reliquis craſſitie conſpicui ſunt, diſponuntur. Quum igitur os erumpere nequeat, niſi horum muſculorum craſſitudo, quæ magni momenti nervis, venis, & arteriis referta eſt, dilaceretur; ideo prædixit Hippocrates, hos non valde ſuperſtites evaſuros, quia, *quæ ſimul vulnerantur multa ſunt, & magni*

©BIU Santé

posueris, convulsiones accidere solent (3). Si vero non reposita fuerint, febres acutæ (4), & bilioſæ (5), & ſingultuoſæ (6) oboriuntur, & deni-

gni momenti & nervi, & muſculi, & venæ.

(3) SOLENT. Poſtquam rationes expoſuit Hippocrates, quare, *quibus femoris, aut brachii os extra eminet, hi non valde ſuperſtites evadunt*; narrat modo, qualia ſymptomata ſupervenire ſoleant ejuſmodi fracturis, ſi reponantur, & qualia, ſi non reponantur. Si reponantur hæc, ait: *Si quidem repoſueris, convulſiones accidere ſolent*. Hoc ſymptoma frequenter accidit in graviſſimis hiſce fracturis; ſed fere ſemper, ſi erumpentia hæc majora oſſa in ſuam ſedem vi repulſa fuerint. Idem multoties nobis obſervare quoque contigit; neque hoc adeo libere Hippocrates dixiſſet, neque etiam *in lib. de Articulis* hoc pluries iteraſſet, niſi id doctus fuiſſet experientia. Concinnam rei hujus rationem Galenus profert *lib. de Artic. comment. 3. text. 16.* inquiens: *In ejuſmodi affectionibus, ſolet evenire, ut muſculorum alii quidem divellantur, alii vero continentes remaneant, & ſuam ſervent unionem; quibus retractis ad ſuam originem, univerſum membrum, dum ſequitur trahentes muſculos, fit brevius: unde ſi quis os extans extendendo reponat, tum ea extenſio non parum detrimenti muſculis inferet: tum vero membri longitudo ipſa etiam una extendens ingentem infliget dolorem; & proinde ſi magni ibi ſint muſculi, neceſſe erit, ut convulſio conſequatur. Si vero parvi, quemadmodum circa digitos reperiuntur, neque tunc quoque res periculo vacabit; qui tamen ſi evadant, plerunque ob diligentiam magnam in curatione adhibitam, id aſſequuntur.* Huc etiam referri poſſent ea ſymptomata, quæ nervis punctis, vel dimidiato diſciſſis ſupervenire oſtendit *Boerhaavius aphor. 163.*

(4) ACUTÆ. Quamvis femoris, aut brachii oſſa, quæ extra eminent, ob convulſionis metum non repoſuerimus, alia nihilominus tam dira ſymptomata his fracturis ſupervenire ſolent, ut etiam non repoſitis oſſibus, pauci tamen evadant. Ex iis ſymptomatis nunc primum ab Hippocrate recenſentur *febres acutæ*. Lata eſt ſignificatio acutorum morborum apud Veteres; quando tamen morbos abſolute acutos Hippocrates ponit, fere ſemper intelligit morbos breves, cito deſinentes in ſanitatem, vel in mortem, adjuncta febri; hinc *aphor. 14. ſect. 2.* ſcripſit: *Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur*. Quum igitur in hujuſmodi fracturis a craſſiorum muſculorum, qui ſenſilibus fibris nerveis conflati ſunt, dilaceratione, ac divulſione, magna, doloroſiſſimaque oriatur inflammatio; ſequitur, quod ex hac inflammatione, æque vehemens, atque magna febris excitetur; nam uti ait *Boerhaavius aphor. 558. Febris, frequentiſſimus morbus, inflammationis individuus comes*. Quoniam autem in hoc caſu non ſola tunica adipoſa, quæ communis ſedes inflammationis eſſe ſolet, ſed tota etiam carnium ſubſtantia, villique fibrarum muſcularium inflammatione obſidentur; ideo hujus generis inflammatio, non in ſuppurationem, aut gangrænam tunicæ adipoſæ tantummodo convertitur, ſed intercepto penitus, ſuffucatoque ſanguinis circuitu, in totius partis affectæ ſphacelum cito tranſit, qui morbus acutiſſimus eſt: hinc febres, quæ hujuſmodi inflammationem comitantur, acutas Hippocrates nominavit.

(5) BILIOSÆ. Febres ardentes, & in quibus humorum adeſt putrefactio, febres bilioſæ ab Hippocrate, uti & a Re-

©BIU Santé

denigrantur (7). Non minus autem ſuperſtites evadunt hi, quibus re-

po-

Recentioribus, nominari conſueverunt; cognoverat enim Hippocrates, quod bilis, quæ omnium humorum inquilinorum noſtri corporis natura acerrima eſt, in majorem ceteris acrimoniam accendi calore debet, atque in putredinem vergere; unde maximæ turbæ, calidiſſimæque febres excitantur. In gravibus igitur vulneribus, in quibus ob inflammationem ingens febris oritur, ſi bilis accenditur, atque exaſperatur, calore liquata, humorumque velocitate in communem fluidorum maſſam abrepta, ſtimulando, ac ulterius calefaciendo, febris vigorem intendit, totamque humorum maſſam in ſui calidiſſimam naturam convertit; unde *Caudanus comm. in Progn. Hipp. text.* 33. dixit: *Febris exurendo mutat humores in naturam bilis*. Ex vulneribus tales bilis excalefactiones, *Hippocrates lib.* 1. *de Morbis* ſic expoſuit: *Caleſcit autem bilis, & pituita, intrinſecus quidem a cibis, & potibus, a quibus etiam nutritur, ac augetur; extrinſecus autem a laboribus, ac ulceribus* &c. atque eadem etiam ſcripſit *lib. de Affection.* Hippocrates ergo in hoc textu febrem bilioſam dixit, ut talem acutam febrem, qua bilis, aliique humores ob nimium æſtum, atque calorem in putredinem vergunt, atque liquantur, ſignificaret. In vulneribus, quæ magna profundaque ſunt, hæc acerba ſymptomata advenire docuit *Franciſcus Perla* in ſuis commentariis *in lib. de locis in Homine text.* 21. inquiens: *Inflammatio, febris, dolor, vigiliæ, a quibus omnibus adaucto præternaturaliter calore, aduruntur, atque exaſſantur humores, tenerrimæque liquantur partes, ex quo aut plurima gignitur cholera; aut ulterius procedente uſtione, atra bilis fit, abſumpta tenui ichoroſa parte &c.* atque hæc omnia expoſuit *Franciſcus Perla*, ut Hippocratis textum illuſtraret, qui ait: *Ex quacunque cauſa male affligente, quis atram bilem evomuerit, moritur, qui vulnus habet*.

(6) SINGULTUOSÆ. De ſingultu aliquid attigimus *not.* (22) *cap.* 12., hic vero adnotandum, quod excalefacto, irritatoque ſtomacho ab acerrima bile, talis convulſio excitatur; atque tum hæc febris (ſi quidem ſingultus perſeveraverit) *febris ſingultuoſa* dicitur; *Galenus* enim *comment.* 4. *in lib. de Victus ratione in Morb. Acut. text.* 69. ait. *Fuerunt ex febrientibus, qui in ſingultu rodentem, acerrimumque vomuerunt humorem, a quo tandem ſymptomate ſunt liberati. Verum febris hujuſmodi, nequaquam ſingultuoſa appellatur; nempe ut ſingultuoſa vocitetur, permanere amplius debet ſingultus, vel etiam per totum morbum ſimul cum febre exacérbare*. Quod ob irritationem ſtomachi in hujuſmodi acutis febribus ſingultus ſuperveniat, his verbis ibidem *Galenus* explicat: *Videtur autem & nunc morſus is fieri propter acrimoniam ſtomachum mordentem, ut cum quiſpiam piperis plus, vel ſimile quippiam devoraverit*.

(7) DENIGRANTUR. Quando magnis vulneribus ingens inflammatio ſupervenit, tum facile in ea parte omnis humorum circuitus, ex quo vita pendet, penitus intercipitur, atque ſuffocatur; nam in vaſis partim vulnere diſciſſis, partim obſtructione inflammatoria occluſis, omnis circulatio ceſſat; unde tota pars inflammata, immeabili turgens ſanguine, livet prius, ac tandem denigreſcit. De hujuſmodi nigritudine hanc prognoſin dedit *Boerhaavius aphor.* 432. *Lividitas, nigritudo, ariditas circa ulcera, gangrænam, ſphacelum, mortem, adeſſe nunciant*. Vid. quæ paullo ante *not.* (4) adnotavimus. Omnia au-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 286 sur 355

©BIU Santé

posita non sunt, neque tentatum est, ut reponerentur (8). Adhuc vero magis evadunt, quibus inferna ossis pars eminet extra, quam quibus superna (9). Evadunt etiam quibus reposita fuerint, attamen raro:

tem hæc symptomata febrium, & denigrationis, etiam si os reponeretur oriri solent; neque alia ratione convulsiones tantummodo in eo casu recensuit Hippocrates, quam ut præcipuum symptoma, quod tunc excitari consuescit, ostenderet, quo ægrotus cito jugulatur; sic enim animadvertit *Palladius in Schol. sect.* 3. inquiens: *Operæ pretium quærere cur dicat solam convulsionem supervenire, non autem febrem, quando quis reponit, curque deterius esse dixerit reponere, quam non reponere propter dolores, & fluxiones? Respondemus illum majoris facta mentione, & minus comprehendisse. Ubi enim convulsio; ibi & febris.*

(8) REPONERENTUR. Dixit Hippocrates, quod in eo luctuoso casu, in quo femoris, aut humeri os extra eminet, pauci superstites evadunt; nam si id os reponatur, convulsio supervenit, quæ cito hominem jugulat; si non reponatur, ingens oritur inflammatio, quæ tandem in sphacelum conversa, æque de medio ægrotum tollet. Verum ex his non putandum omnino est fore, ut nullatenus ejusmodi ægrotantes superstites evadere unquam possint, neque penitus de eorum sanitate desperandum; nam, quæ docere prosequitur, id quoque genus fracturarum curationem aliquando admittere, satis ostendunt. In hoc enim textu experientia doctus declarat, eos ex his ægris facilius mortem effugere, quibus ossa reposita non sunt, atque etiam multo facilius illos, in qnibus neque tentatum est, ut reponerentur; quoniam, ut alias ipse monuit, si his fracturis, quæ reponi non debent, nimia extensione, aut vecte, repositionem tentando, molestiam exhibuerimus, etiamsi non reponamus, major tamen inflammatio excitatur, morbusque semper intensior fit; quamobrem in tam ancipiti casu prænotionem hanc nobis in mentem revocat, ut sciamus, eos facilius evadere consuevisse, *quibus reposita non sunt, neque tentatum est, ut reponerentur*. Ad hunc locum apprime convenit illud distichon, quod cecinit *Ovidius de Ponto lib.* 3. *Epist.* 7.

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

(9) SUPERNA. Omnes musculi, venæ, arteriæ, atque nervi circa os, quod extra eminet, siti, erumpentis ossis impulsu distrahuntur, atque a naturali eorum positione, & directione declinare coguntur; ex quo ingens dolor, atque inflammatio procedunt: proinde si superna ossis pars eruperit, malum multo majus erit, quam si inferna. Nam tunc inflammatio magis ad divulsam superiorem membri partem intendit, ubi musculi crassiores sunt, & vasorum, nervorumque rami majores semper reperiuntur; unde occlusis, compressisque majoribus vasorum truncis, qui sanguinem devehunt, in reliquis membri partibus circulatio cessat, ut tandem sphacelus exoriatur. Quanto enim magis versus inferiores membrorum partes orietur inflammatio, tanto minus sideralionis erit periculum, ob minorem vasorum amplitudinem, multiplicesque eorum ramos, qui sane efficient, ne prorsus ubique intercidat circulatio; & hac ratione Hippocrates dixit: *Adhuc vero magis evadunt, quibus inferna ossis pars eminet extra, quam quibus superna.*

©BIU Santé

raro: nam & curationes a curationibus multum differunt, & naturæ corporum a naturis, ad facile tolerandum (10). Multum etiam differt, an in interna brachii, ac femoris parte ossa extra promineant (11).

(10) TOLERANDUM. Quamvis prædixerit Hippocrates, eos cito esse morituros, quibus femoris, aut brachii os, quod extra eminet, repositum fuit; nunc tamen monet, quod *evadunt etiam quibus reposita fuerint, attamen raro*. Rationes, quare aliqui, etiamsi ipsis ossa erumpentia reposita fuerint, evadant, neque convulsionibus corripiantur, recensetHippocrates, dum ait: *Curationes a curationibus, & naturæ corporum a naturis multum differunt*. Equidem non omnes curationes similes sunt, quippe non omnia ossa similiter eminent; nam alia ex amplo laceratoque vulnere plurimum prominent, atque denudata sunt, membrumque admodum decurtatum est; alia autem parum, atque ex parvo vulnere erumpunt, & non multo brevius membrum efficitur. In his igitur, in quibus non multa, neque violentissima extensione opus est, ut reponantur, neque musculi admodum contracti sunt, major erit spes, ut curentur, quamvis ossa reponantur; quod in contrario casu difficillime eveniret, nam ob rationes superius *not.*(3)allatas, convulsiones consequerentur; hinc Hippocrates ait: *Curationes a curationibus multum differunt*. Neque minus differunt ægrorum *naturæ* ad tolerandam ossium repositionem; etenim si ægrotus gracilis sit, laxisque febris donatus, distentionem facile sustinebit, neque ex nervis nimis contractis dolor, & convulsio; neque ex distractis, angustatisque vasis inflammatio, & necrosis suscitabuntur. Maximopere conferre quoque ad curationem poterunt ætas juvenilis, virium robur, optimaque corporis crasis, sive temperies: quæ omnia quum Hippocrates probe animadverterit, ideo in hoc textu scripsit: *Curationes a curationibus multum differunt, & naturæ corporum a naturis ad facile tolerandum*.

(11) PROMINEANT. Rationem, quare in brachio, aut femore, multum differat, an fracta ossa in interna, aut externa parte promineant, mox ostendit Hippocrates.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 288 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XXXIX.

Venarum in interna brachii parte multæ, & periculoſæ extenſiones. Oſſium diſceſſus diuturnus eſt.

MUltæ enim, & periculoſæ venarum extenſiones in interna parte ſunt, quarum aliquæ ſi vulnerentur, lethales (1) ſunt. Sunt autem & in externa parte, verum minus. In talibus igitur vulneribus

(1) LETHALES. Nullus vel leviter in anatomicis verſatus, ignorabit, quod trunci majores arteriarum, venarum, & nervorum, qui ramos minores tam ſuperioribus, quam inferioribus artubus impertiuntur, omnes per brachii, atque femoris partem interiorem conjunctim excurrunt. Quamvis autem in hoc textu venas tantummodo Hippocrates deſignarit; attamen non modo de vaſis ſanguiferis in genere, ſed ſpeciatim de arteriis eum locutum eſſe intelligendum; nam apud Hippocratem, alioſque vetuſtiſſimos Medicos, omnia vaſa ſanguifera venarum nomine indigitata fuiſſe conſtat ex his, quæ affert *Galenus comment. 6. lib. 6. text. 2. de Morb. Vulgaribus*, ubi, ut Hippocratis textum illuſtraret, qui ait: *Calidior vena ſanguinis multitudine &c.* ita commentatus eſt: *Per venam calidiorem, arteria intelligenda eſt, omnes enim, qui Hippocraticos libros interpretati ſunt, in hoc conſentiunt, non ab ipſo ſolum; ſed ab aliis etiam priſcis quampluribus arterias venas fuiſſe vocatas.* Sic etiam *Celſus* in Procœmio ſcripſit: *Tum requirunt etiam, quare venæ noſtræ modo ſubmittant ſe, modo attollant; Ovidius lib. 6. Metamorphoſ.*, ut eburneam *Pygmalionis* ſtatuam in virginem mutatam elegantiſſime pingeret, ita cecinit. *Corpus erat, ſaliunt tentatæ pollice venæ.* Plurima de hac voce, optimaque eruditione referta legi poſſunt in *Œconomica Foeſii* ad vocabulum φλέβες *pag.* 395. Quod de arteriis ſpeciatim hic Hippocrates loquatur, clariſſime mihi patere videtur; nam de venis, quæ in hujuſmodi eruptione oſſis ex interna humeri, atque femoris parte diſcindi poſſunt, dixit: *Quarum aliquæ ſi vulnerentur, lethales ſunt*, adeout non omnia ſanguifera vaſa, quæ in his partibus ſunt, comprehendat, ſed aliqua tantum; ea videlicet, quæ nos hodie proprio nomine venas nuncupamus, excipiendo: venarum nanque vulnera, ipſæ licet ampliores ſint, magiſque conſpicuæ, lethalia tamen non eſſe compererat. Quum igitur in brahio truncus arteriæ axillaris, poſtquam tendinem muſculi Pectoralis majoris præteriit, per longitudinem internam humeri, juxta marginem muſculi Bicipitis unico trunco uſque ad flexuram cubiti deſcendat, ubi arteria brachialis vocatur: & in femore arteria cruralis ex arteriæ iliacæ trunco procedat, quæ ex inguine per totam internam femoris partem inter muſculos Satorium, Tricipitem, & Vaſtum internum, uſque ad condylum femoris ejuſdem lateris excurrit, ubi ad poſteriorem partem vergit, & popliteæ nomen nanciſcitur; ejuſque curſus a muſculi Sartorii ſede, ac progreſſu non multum aberret: ſequitur, quod hæ arteriæ in interna parte principes cum ſint,

©BIU Santé

bus, qualia pericula emineant, ignorare non oportet, & ad temporum occasiones prædicere. Si vero reponere hæc ossa cogaris, & reponendi aliqua tibi spes sit, & non multa ossis immutatio fuerit, & musculi non concurrerint (solent enim concurrere) vectis molitio etiam his cum extensione, opem bene ferre poterit (2). Ubi vero reponis, veratrum molle bibendum dare oportet eadem die, si eadem die reposita fuerint, sin minus ne aggredi quidem oportet (3). Verum ulcus

sint, ex eis omnis sanguis ad inferiores partes procedat? quamobrem his in ossium eruptione abscissis, lethalis hæmorrhagia oritur, quæ quamvis possit compressione, deligatione, aliove modo cohiberi, nihilominus, ob penitus interceptum ibi sanguinis circulum, superstes membri pars in lethalem sphacelum convertetur. Hinc Hippocrates superius dixerat: *Multum etiam differt, an in interna brachii, ac femoris parte ossa promineant.* Verum quamquam hæ arteriæ secundum naturam ita sint dispositæ, non desunt tamen exempla, ex quibus constat, harum arteriarum distributionem interdum variare posse, tum quia tales arteriæ non in unicum truncum, sed duos in ramos divisæ descendant, uti se vidisse narrat *Heisterus Compend. Anatom. not.* (66**) inquiens: *In cadavere fœminino, in quo arterias totius corporis cera rubra repleveram, hoc inprimis notatu dignum judicavi, quod arteria axillaris dextra, statim ubi axillam deseruerat, atque ad brachium pervenerat, mox in duos ejusdem magnitudinis insignes ramos brachiales divisa esset, quorum alter per internum brachii latus versus cubitum, uti alias ex consueta naturæ lege fieri solet, pergebat, ibique &c. Alter vero mox infra articulum humeri super musculum bicipitem transibat, & in externo brachii latere, juxta bicipitem usque ad os radii &c.* tum quia mutari etiam posset arteriæ distributio, quoad anastomoses, quæ superiorem trunci partem cum inferiore conjungendo, sanguinis circuitum, etsi truncus primarius discissus sit, provehere possunt; uti ostendit clarissimus Chirurgus Pontificius, amicus noster colendus, quem nuper mors nobis abripuit, *Carolus Guattani, in lib. Histor. duæ Aneurysmatum observat.* 1. Ex quibus noscere debemus, quod in his casibus, non gravissimum ex ipsius arteriæ vulnere vitæ discrimen adiret æger: quæ sane exempla, etsi perrara sint, possunt tamen accidere, neque optimum Chirurgum debent latere.

(2) POTERIT. Docet Hippocrates in hoc textu, quod si ob os præter modum carnes vexans id genus fracturam reponere cogamur; vel si restituere voluerimus, quia facile restituendi spes sit, nec insignis acciderit ossium immutatio, neque musculi, ut solent, plurimum retracti sint, vel ob rationes *not.* (10) *cap.* 38. commemoratas, id efficere opportunum esse decreverimus; tunc extensione, ac vecte hæc operatio confici debet, quæ, si quidem omnes cautiones, ac provisiones attendantur, quas *cap.* 34. Hippocrates monuit, validum auxilium præstabit, ut probe in suam sedem ossa restituantur.

(3) OPORTET. De veratro, & quare id veteres propinare consueverint, jam satis *not.* (33) *cap.* 12. perpendimus; hic tamen considerandum, cur dixerit Hippocrates, quod eadem die molle veratrum potandum exhibebimus, si eadem die ossa reposita fuerint, alias ne qui-

©BIU Santé

cus curare oportet, velut in capitis (4) offibus fractis. & frigidi nihil adhi-

quidem tentandum. Hujus ſententiæ ratio eſſe videtur, quod ſicuti vomitus excitari a veratro ſolet, valida cum totius corporis, humorumque commotione, calore, atque perturbatione; hujus iccirco uſus prima tantummodo die tentari poterit, quando nondum in parte affecta inflammatio, neque febris acceſſerit; ubi enim, dum ſymptomata hæc præſto ſunt, exhiberetur, aucto in humoribus calore, & motu, omnia ingraveſcerent; eapropter hoc in caſu monuerat Hippocrates *cap.* 13. *Si quidem febre careat, ſurſum medicamentum dandum eſt*. Quoniam vero, ut ſuperius adnotavimus, aliquæ fracturæ ſunt, quæ neque prima, neque ſecunda die reponi poſſunt, & ne morbus exaſperetur, non ante ſeptimum diem, & etiam ſerius reponi debent; tunc veratrum non dandum eſſe cenſet Hippocrates, quia non urget amplius evacuationis indicatio, revulſioniſque humorum de parte affecta ad præcavendam inflammationem; nam dies tertius, quartus, quintus, plureſve, in quibus vulnera inflammatione, atque ſuppuratione tentantur, præteriere; atque jam omnia ſymptomata, ut his diebus reſtitutio fieri poſſit, ſolent ſubſediſſe; quemadmodum *not.* (16) *cap.* 35. adnotavimus; hinc ubi dixit Hippocrates offibus reſtitutis, *veratrum dare oportet eadem die*, ſubjunxit: *Si eadem die repoſita fuerint; ſin minus, ne aggredi quidem oportet*. Quare autem Hippocrates in hoc textu *veratrum molle* dixerit, ignoramus, uti ipſe *Galenus* ſe ignorare fatetur in commentariis; qui tamen concludit, quod epithero (*molle*) peculiarem quandam veratri præparationem, illis temporibus notam, indicare intellexerit, cujus præparationis ratio ad ſua tempora non devenerat; quamobrem varias etiam alias nonnullorum Medicorum veratrum parandi formulas olim extitiſſe narrat, dum *comment.* 3. *text.* 48. ait: *Non ignoramus enim, plures modos id exhibendi a Medicis veteribus, ac junioribus, nec non ab aliis, qui medii inter hos ætate fuere, litteris proditos fuiſſe*. Verum quamvis univerſus tantorum virorum conſenſus in exhibendo veratro, de ejuſdem utilitate in morbis nos certos reddere debeat: attamen, vel quia ejus præparandi modos ignoramus, vel ob diverſitatem cæli, nominumque conſtitutionum, vel alias ob cauſas, id nos hodie noſtris ægris exhibere non audemus; ſed humorum evacuationes, ac revulſiones, phlebotomia, diæta, lenibuſque purgationibus, abſque ulla corporis perturbatione, noxæque periculo, obtinere ſtudemus.

(4) CAPITIS. Quomodo vulnera cum fractura oſſium curari debeant, generatim docuit Hippocrates *cap.* 31., atque ibi præ reliquis animadvertimus, quod vino nigro auſtero lintea madefacere juſſit; nunc vero in hac humeri, aut femoris fractura vulnus curandum eſſe ait, *veluti in capitis offibus fractis*. Quum autem *lib. de Capitis Vulneribus num.* 18., ubi agit de curatione vulneris cum cranii fractura, dixerit: *Ulcus in capite nullo humore humectare convenit, ac ne vino quidem, neque cataplaſmate integere, neque linamento curationem facere. Neque vero comprimere oportet ulcus in capite*, conſequens eſt, quod in hujuſmodi humeri, aut femoris vulneribus, juxta mentem Hippocratis, ſplenia vino frequenter madefacere, uti ſuperius præceperat, & *not.* (15) & (16) *cap.* 31. obſervavimus, non oportet; neque cataplaſmate integere,

©BIU Santé

adhibere (5), & cibos penitus auferre (6). Et ſi quidem amara bile præditus natura fuerit, favorum cremorem odoratum coctum aut acetum mulſum dulce, in aquam inſtillato, eoque pro victu utatur (7). Si

tegere, quod alias etiam monuerat, & *not.* (15) *cap.* 28. ſignificavimus; neque linamentis curare, neque comprimere. Profecto quum ejuſmodi vulnera inflammationi, ac lethali ſphacelo maxime ſint obnoxia, neque earum curatio ſperari poſſit, niſi ab optima ſuppuratione, qua omnia ſymptomata remittant, finitimæque partes contuſæ, atque inflammatæ detumeſcant, vinum in hoc adeo gravi vulnere, ſolidorum elaſticitatem augendo, nocere poſſet. In præfatum textum Hippocratis *de Vuln. Cap.* has rationes affert *Jul. Cæſar Arantius in commentariis. Quamvis enim vinum ulceri capitis convenire videatur, ut ſiccandi facultate eſt præditum, in calvariæ tamen fractura circa initia nullus eſt ejus uſus: nam agglutinatio, donec purgatum ulcus fuerit, ac repletum, oſſiſque nudati partes abſceſſerint, prohibetur.* Plurima quoque, ſed ad veram praxim minus pertinentia in hunc Hippocratis textum *de Vuln. Cap.* commentati ſunt *Vidius*, & *Corteſius*. Neque abſque ratione linamentis curationem facere, uti & comprimere Hippocrates vetat: nam linamenta, ſive in turundas, ſive in pulvillos redacta ſint, & in vulnus indita, ſemper nocere conſueverunt; quoniam non modo vulneris ora deducunt, verum etiam, ut monet *Magatus lib.* 1. *de Vulner. in gener. cap.* 45.: *Partem comprimunt, ac diſtendunt, eidemque ſunt oneri, unde & ad commovendam fluxionem non parvam vim habent. Præter naturale etiam eſt, ac moleſtum parti vulneratæ a re externa tangi, cum prius non alia niſi naturalis partis communione frueretur.* Compreſſio autem inflammatam partem vexando humorumque circuitum magis, magiſque intercipiendo, dolores augebit, faciliuſque gangræna, aut ſphacelo affectam partem obnoxiam reddet; hinc ejuſmodi vulnera curanda eſſe dixit Hippocrates, *velut in capitis oſſibus fractis*. In his igitur adeo periculoſis vulneribus neque vino, neque ponderoſis cataplaſmatis, neque linamentis, neque compreſſione uti jubet Hippocrates; ſed ceratum picatum, vel aliud remedium cruentis vulneribus idoneum, & ſuppurationem promovens, adhibere convenit, parteſque circumpoſitas cerato albo, vel ut nos conſueſcimus, unguento roſaceo illinire, ſpleniaque poſca madefacere; quibus remediis tenſionem relaxare, inflammationem refrigerare, ſuppurationem inducere, ſtudebimus; quod unica erit via, qua tantum diſcrimen ejuſmodi ægrotantes poſſint evadere.

(5) ADHIBERE. Frigida quantum his vulneribus nocere ſoleant, *not.* (9) (10) (11) (12) *cap.* 37. monuimus.

(6) AUFERRE. De rigidiſſimo Veterum regimine, quo omnis generis cibos, etiam potabiles, ægrotis, gravi vulnere, vel gravi contuſione, affectis auferre conſueverunt, jam expoſitum fuit *not.* (5) *cap.* 13.

(7) UTATUR. Veteres Medici ex quatuor elementis, igne, aere, aqua, & terra, quæ a *Platone*, atque *Ariſtotele* in phyſicis ſtatuta fuere, quatuor temperamentorum genera in humana natura deſignarunt; calidum ſcilicet, frigidum, humidum, & ſiccum, quæ ſuis qualitatibus cum elementis Phyſicorum congruere cenſuerunt; veluti etiam quatuor humorum ſpecies in corporibus diſtinxerunt, quas elementorum qualitatibus compararunt, bilem

©BIU Santé

lem nempe, ſanguinem, pituitam, & melancholiam, quos humores & elementis ſimiles, & temperamentorum cauſſas eſſe tradiderunt. Ex alicujus enim horum humorum exſuperantia, peculiare, & proprium cujuſvis hominis temperamentum, quod *Craſis* a Græcis dicitur, proficiſci autumarunt: nam a bile, quæ calida eſt, atque ignis locum tenet, temperamentum calidum; a ſanguine, qui aeri comparatur, frigidum; a pituita, quæ aquæ, humidum; a melancholia, quæ terræ, ſiccum temperamentum deduxerunt; ex horum autem humorum unione, compoſitas alias eruerunt qualitates, ut humidi, & frigidi; calidi, & ſicci &c. atque etiam his quatuor humoribus ſuos peculiares ſapores, ut amarum, dulce, inſipidum, & acre; nec non colores, ut croceum, rubrum, album, & viride adſcripſerunt, de quibus omnibus Hippocrates pluribus in locis, & ſpeciatim in *lib. de Natura Humana*, & *Galenus lib. de Temperamentis*, & alibi, ſatis diffuſe diſputarunt. Hanc Veterum de temperamentis doctrinam aliqui recentiores Medici rejecerunt, veluti Chemici, qui juxta eorum dogmata his qualitatibus aquam, ſalem, oleum, & terram ſubſtituerunt, & Phyſico-mechanici, qui ex ſolidorum rigiditate, aut laxitate; fluidorum viſciditate, fluiditate, aciditate, aliiſque qualitatibus, varias temperamentorum ſpecies deduxere. Iſti tamen eorum theoreticis expoſitionibus, Veterum ſyſtema non prorſus contrarium eſſe pronunciarunt; quemadmodum expreſſe docuit *Boerhaavius Inſtit. Medic.* §. 889. inquiens: *Sed ſanitas eſt conditio hærens in tota compage ſimul totius corporis, conſtantis ex ſolidis, & fluidis .... ſed tamen propoſita ab Antiquis diviſio in temperiem calidam, frigidam, humidam, ſiccam, biliоſam, ſanguineam, phlegmaticam, atrabiliariam, aliquem in Medicina uſum habent*. Hippocrates igitur, qui in periculoſis adeo morbis cibos penitus ægrotantibus abſtulit, & juſſit ſola aqua uti, eos ab hac ſimplicis aquæ potione excipiendos eſſe prohibet, qui *amara bile præditi natura fuerint*. Hæc biliоſa temperies a nigris pilis, gracilitate carnis, colore fuſco, venis magnis, pulſu magno, & celeri deducitur, &, ut ait *De Gorter comment. aphor.* 12. *ſect.* 3. *Biliоſi facile generant humorem tenuem, acrem, calorem inducentem*. Quoniam autem talis humor calore febris acrior efficeretur; nam ut docuit *Galenus comment.* 2. *text.* 31. *de Vict. Ration. in Morb. Acut. Bilis humor in ipſis inediis amarior redditur. Pituita vero temporis proceſſu coquitur, ſanguiſque efficitur, neutra bile in ſanguinis ſubſtantiam redire valente: cum ex ſanguine quidem plus calefacto flava bilis generetur; ex eodem vero aſſato, aduſtoque, atque etiam ex craſſo atra*; ideo Hippocrates biliоſis non ſolam aquam præbere, ſed aliquid in ea commiſcere præcipit, quod refrigerans ſit, atque bilis acrimoniam retundat. Ad hanc rem *favorum cremorem odoratum coctum, aut acetum mulſum dulce*, in aquam inſtillari voluit, de quorum compoſitione, & uſu *not.* (3) & (8) *cap.* 13. diſſeruimus. Verum animadvertendum eſt, quod Hippocrates hunc favorum cremorem, aut acetum mulſum, ſi *amara bile* præditi fuerint, dare juſſit; quare eos, qui atra bile præditi ſunt, ab hujuſmodi potionibus excluſos voluit. Bilis enim cyſtica amara eſt, acris, ſaponacea: bilis vero atra, acida, vitriolica, corroſiva judicatur, quemadmodum ipſe *Galenus* declarat in *comment.* inquiens: *Altera, quæ atra aſpectu eſt, acida eſt: amara vero tum pallida, tum flava videtur*: unde non idem remedium utriſque convenire cenſuit Hippocrates. Hac ratione *Ludovicus Duretus in ſuis enarrationibus in lib. Holleri de Morb. intern. cap.* 37. *de Morbo Regio*, ad bilis acrimoniam demulcendam, hepatiſque æſtum tempe-

©BIU Santé

Si vero amara bile præditus non ſit, aquæ potione (8) utatur. Et ſi quidem continua febre laborarit, ad quatuordecim dies, ut minimum hoc victu (9) degat. Si vero ſine febre ſit, ſeptem diebus (10). Po-

perandum, oxymel dilutum laudat, inquiens: *Oxymel fermentationem humoris malancholici, ac delicatioribus inteſtinis, pungendo, & rodendo, contrarium eſt. Sed bilioſis hominibus in calidiore hepate, principatum obtinet inter omnia ſyruporum genera;* cujus compoſitio apud eum eſt mel, & ſaccharum aqua fontanæ dilutum, cum pauca aceti quantitate ad guſtum.

(8) POTIONE. In aliis temperamentis ſanguineis, pituitoſis, & melancholicis, omni cibo penitus ablato, ſola aquæ potione utendum eſſe præcipit. Quare, adeo ſevera victus ratione Hippocrates curaverit, ſatis eſt perſpicuum; quippe quum in graviſſimis hiſce vulneribus ad ingentes inflammationes, gangrænas, & convulſiones præcavendas, humores conſumere, corpuſque extenuare quam maxime oporteat, nullo alio modo id certius, ac magis tuto, quam ejuſmodi diæta, tenuiſſimaque alimonia, obtinebitur. Præterea quamvis aqua nihil per ſe, vel pauciſſime nutriat, ſed tantummodo ſit nutrimenti vehiculum; attamen præcipuum, vitæ, & ſanitatis eſt inſtrumentum, atque vaſa replendo, nutritionis vices ſupplere, atque corpus per aliquod tempus ſuſtentare poterit. Sic *Boerhaavius Element. Chemiæ Tom.* 1. *pag.* 309. ſcripſit; *Vita vero in animalibus nulla omnino, niſi ope aquæ; hæc humorum noſtrorum pars blandiſſima, fluidiſſima, tenuiſſima, maximeque penetrabilis per omnia, vel minima vaſcula corporis . . . . . Ipſa ſanitas, quæ ſumma vitæ perfectio, omneſque ad hanc deſideratæ actionum exercitationes, aquæ iterum magis, quam aliis rebus debentur, & perficiuntur.*

(9) VICTU. Febris calore omnes oleoſæ corporis partes, ut adeps, medulla oſſium, glandularumque humores, liquefiunt, in motum adiguntur, atque in ſanguinis maſſam a rapidiori ejus curſu abripiuntur; unde nova tunc materies præbetur ſanguini, qua vaſa, veluti a chylo fit, replentur, quæ materies vi vitæ digeri debet, ac tandem febris calore conſumi. Ex hac pinguedinis eliquatione, ac conſumptione, ſumma illa macies, quam poſt acutas febres obſervamus, oritur. Ubi ergo febri continua ægrotus laboraverit, præcipue ſi ſucciplenus fuerit, non minus quatuordecim diebus ſola aqua uti debet, cum, ut humores pinguedinei, alias ſtagnantes, nunc effuſi, & ſanguinis maſſam ingreſſi, ſubigantur, tum, ut inquilinorum humorum conſumptione, atque particularum craſſiorum ſanguinis extenuatione, ſtaſes inflammatoriæ, copioſioriſque humoris affluentia a parte affecta cohibeantur. Neque timendum, quod ob hanc tenuiſſimam diætam ægrotus deficiat; non enim hoc propoſuiſſet Hippocrates, niſi id tuto fieri poſſe experientia noviſſet: quin immo mihi videre olim contigit Nautam annorum vigintiquinque, qui ob cranii fracturam per undecim dies apopleticus decubuit; tunc vix aliquot aquæ cochlearia deglutivit; attamen is vitam protraxit. Duodecima tandem die aliquantum reſipuit, atque aliquid nutrimenti ſumere cepit, & re ſemper in melius cedente, tandem perfecte ſanus evaſit.

(10) DIEBUS. Diebus tertio, quarto, & quinto in vulneribus inflammatio excitari ſoler; atque ideo his diebus nullo cibo, ſed ſola aquæ potione

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 294 sur 355

©BIU Santé

Poſtea ſenſim progreſſu contingente ſecundum rationem, ad vulgarem victum adducatur (11). Et quibus oſſa non repoſita fuerint, eandem itidem medicamenti purgationem facere oportet, & ulcerum curationem, eundem item exhibere victum: & dependentem de corpore partem non extendere, ſed magis adducere, quo laxior ſit pars circa ulcus (12). At oſſium diſceſſus diuturnus eſt, velut etiam prius di-

ne uti debet ægrotus, ut corpore extenuato, inflammationes, quæ in graviſſimis his vulneribus periculoſiſſimæ ſunt, præcaveantur. Sin vero, neque inflammatio, neque febris aderit, tunc ſatis erit uſque ad diem ſeptimum tali regimine ægrotum curare; nam ubi non adeſt febris continua, ob rationes in nota præcedenti allatas, nequit ægrotus tantam inediam diutius ſuſtinere, ideo dixit Hippocrates: *Si vero ſine febre ſit, ſeptem diebus.*

(11) ADDUCATUR. Si febris acuta continua ex graviſſimorum talium vulnerum inflammatione excitata ad decimum quartum diem pervenerit, aut ad decimum ſeptimum, tunc ad victum vulgarem, ſcilicet ad conſuetam diætam, tenueque nutrimentum, quo vulgariter in morbis non parvi momenti uti ſolemus, ægrum adducere opus eſſe, Hippocrates ait; nam quoties ad hæc humeri, aut femoris vulnera cum eruptione oſſis, convulſiones, aut ſphacelus ante diem quintum, aut ſeptimum non acceſſerint, mortemque ægrotus evaſerit, & uſque ad diem decimum quartum inflammatio perſtiterit, tunc ſuppuratio neceſſario debet ſuccedere, quæ eſt, ut ait *Boerhaavius aphor.* 387. *Alter modus, quo terminatur inflammatio*. Hæc autem ſuppuratio via quidem erit, qua ſanitas ſperari poterit; ſed tamen hæc ſanitas non, niſi poſt diutinam, diligentiſſimamque curationem, obtinebitur; proinde ægrotus, qui nullo cibo, ſed ſola aquæ potione uſque ad decimum quartum diem uſus fuerit, & hac diæta, & febris calore omnes redundantes humores exhauſerit, non poſſet tunc ulterius, ſine omnimoda virium defectione hanc victus rationem ſuſtinere; quare poſt decimum quartum diem, aut paulo poſt, ut vires ſuſtineantur, neceſſe erit, ut *ſenſim*, hoc eſt gradatim, *ad vulgarem victum adducatur*.

(12) ULCUS. Vidimus paullo ante, quod erumpentia humeri, aut femoris oſſa in quibuſdam caſibus nequeunt recondi; in aliis ne quidem debent, ne, ſymptomatis exaſperatis, mors acceleretur. Hippocrates in his fracturis, ubi oſſa recondita non ſint, eandem medicamenti purgationem facere, eandem adhibere vulneri curationem, eundemque victum exhibere docet, qualem ſuperius propoſuit. In ejuſmodi vero fracturis non repoſitis, unum os ſuper aliud muſculorum contractione effertur, ex quo membrum brevius, deflexum, atque tumidum fiet; ideo in hoc textu ſpeciatim monuit, ne ejus figurationi ſtudentes, dependentem hanc partem extendamus, ſed potius adducamus, ut partes circa ulcus laxæ ſint; nam earum diſtentione, dolores, & inflammatio augeri, aut etiam convulſio excitari poſſent, ad quæ omnia periculoſiſſima ſymptomata præcavenda, jam antea horum oſſium repoſitionem non tentandam novimus. Neque in hoc caſu ea ratio ad membri decurtationem, depravationemque figurationis haberi po-

©BIU Santé

dictum est (13): maxime vero talia fugere oportet; si modo quis honestam fugam habeat; nam & spes paucæ sunt, & pericula multa: & si quis non reponat, artis expers esse videri poterit: & si reponat, propinquius ad mortem, quam ad salutem perduxerit (14).

potest, quam alias habendam esse observavimus; nam hic omnis Chirurgi cura in id incumbere debet, ut quomodocumque a periculosissimo morbo vindicetur ægrotans; ideo Hippocrates contra præcepta, quæ alias tradiderat, ad hanc rem dixit: *Dependentem de corpore partem non extendere, sed magis adducere.*

(13) DICTUM EST. Quare hæc ossa prorumpentia, & denudata corrumpantur, jam observavimus *not.* (1) & (2) *cap.* 36.: atque hæc humeri, & femoris ossa, quum durissima sint, ob rationes *not.* 10. ejusdem *capitis* 36. allatas, nonnisi longum post tempus, discedent.

(14) PERDUXERIT. Fracturæ ejusmodi, cum ossium proruptione, & quæ restitui nequeunt, adeo calamitosæ, ac infelicis curationis esse solent, ut quoad fieri honeste possit, rem tanti discriminis, atque laboris effugere monet nos Hippocrates. Equidem ob rationes, quas hic exponit, quamvis Chirirgus summa peritia, ac diligentia hos morbos curaverit, attamen ejus fama semper periclitabitur; ideo infelicem commiserans Chirurgi conditionem in his casibus, hunc prudentiæ canonem intertexuit, dicens: *Talia fugere oportet, si modo quis honestam fugam habeat.* Verum si honestam fugam non habebimus, omni studio, ac arte ægrotantis sanitati consulere, nostræque item famæ prospicere debemus: quare os extra eminens præsecare nitendum, uti docuerat Hippocrates *cap.* 37. hæc enim unica erit ratio, qua sine majoris damni periculo talium fracturarum coaptatio tentari poterit. Hoc maxime expedire monet *Scultetus in declaratione Tab.* 28. dicens: *Quod si ergo restitui nequit, e duobus malis minus eligendum, os (cum prædictione futuræ membri brevitatis, ne ea Chirurgi adscribatur errori) eminens, & nudum forfice præcidendum, & postea fractura per modicam factam extensionem, coaptanda. Melius enim est membrum paulo brevius reddere, quam ossa non coaptata relinquere, vel violenter extendere, quorum utrunque ægrotanti convulsionem, & mortem afferret.*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 296 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XL.

Luxationes ossium circa genua mitiores sunt iis, quæ circa cubiti flexuram.

CEterum luxationes, & emotiones ossium circa genua multo mitiores sunt emotionibus, ac luxationibus circa cubiti flexuram (1): nam femoris articulus pro magnitudine expeditior est, quam bra-

(1) FLEXURAM. *Galenus* in præfatione suorum commentariorum in librum *De Articulis*, ubi diversas variorum veterum Auctorum opiniones refert circa hos Hippocratis libros *De fracturis*, *& de Articulis*, præ ceteris narrat, quod nonnulli putaverint, non fuisse hos ab Hippocrate in duos libros divisos, sed ut unum editos; cujus unicam quoque fuisse inscriptionem, videlicet *de Officina Medici*, qui liber ob ejus magnitudinem ab aliquo in duos deinde libros fuerit dispertitus. Profecto consideranti, quod in his utrisque libris, ita promiscue tam de fracturis, quam de luxationibus scriptum est, ut non completa horum morborum doctrina haberi possit, nisi conjunctim legantur; a veritate non aliena esse illorum sententia videbitur, qui utrumque unum in librum ab Hippocrate colligatum fuisse judicarunt. Quamvis enim in præsenti libro absolutam methodum pro curatione fractorum ossium generatim (excepto cranii osse, de cujus fracturis amplissimam doctrinam seorsum exhibuit in *lib. de Vulneribus Capitis*) tradiderit; atque etiam speciatim de humero, cubito, crure, ac femore fracto disseruerit, deque illis quoque fracturis docuerit, quibus vulnus, ossium comminutio, denudatio, aut proruptio accesserit: singulares tamen reliquorum ossium fractorum curationes, uti de clavicula, coxis, maxilla, naso, digitis, aliisque in librum *De Articulis* rejectas cernimus; & e contra in hoc libro variorum ossium luxationes enarrantur, quæ ad eum librum *de Articulis* pertinerent; unde ex hoc fracturarum, & luxationum in utrisque libris contextu, tamquam unum posse hos considerari libros, non certe incongruum emergit argumentum. Mirum igitur videri non debebit, si hic iterum ad aliquot alias luxationes, ac emotiones ossium orationem Hippocrates converterit, dum dixit; *Cæterum luxationes, & emotiones ossium circa genu multo mitiores sunt emotionibus, ac luxationibus circa cubiti flexuram.* Quam variis modis de naturali sede articuli possint recedere *not.*(1) *cap.*17. innuimus, ubi Hippocrates dixerat, *Aliqua parum, aliqua multum luxantur.* Hic tamen animadvertendum, quod de luxationibus, & emotionibus ossium, veluti de duobus dissimilibus morbis, verba fecit Hippocrates, quorum differentiam, apud Hippocratem hanc esse ait *Galenus comment.*3. *text.*51. *Luxationes appellat, quum ossa penitus e sua sede excidunt, dimotiones vero quum parum moventur*: *Celsus* ubi de spinæ luxatione *lib.*8. *cap.*14. agit, hanc dimotionem persequitur, dicens; *Intus impellere, in his accipiendum est, quæ paulum excesserunt, non in his, quæ toto loco mutatæ sunt.* Nonnunquam enim nervorum

©BIU Santé

brachii (2), & juſtam naturam ſolum habet, eamque rotundam (3). Brachii vero articulus & magnus eſt, & ſinus plures habet (4). Ad hæc

vorum imbecillitas efficit, ut quamvis non exciderit vertebra, paulum tamen in priorem partem promineat. Quod autem horum morborum natura una, eademque ſit, atque eorum differentia, ut ait *Paulus Ægineta lib. 6. cap.* 111. ex majoris dumtaxat, minoriſque momenti ratione ſumatur; ſcilicet vel articulus ex toto excidit, quod a Græcis *exarthrema*, a Latinis luxatio; vel aliquatenus emotus eſt, aut elapſus, quod ab illis *perarthroma*, ab his ſubluxatio, prolapſus, vel dimotio dicitur; ideo prognoſim, quam modo affert, habito quantitatis reſpectu, in utroque caſu convenire intelligendum.

(2) BRACHII. Rationem quare luxationes, & emotiones oſſium circa genua, multo mitiores ſint emotionibus, ac luxationibus circa cubiti flexuram, hanc eſſe ait, videlicet, quia *femoris articulus pro magnitudine expeditior eſt* (ſive *magis ſuccinctus*, uti *Foeſius*; vel *tenuior*, uti *Vidius* interpretati ſunt) *quam brachii*. Articulus communiter vocatur naturalis duorum, vel plurium oſſium ſyntaxis, vel compoſitio, quod articulatio quoque, & articulamentum nominatur. Verum, ut adnotat *Galenus in comment.* ex oſſibus, quæ inter ſe articulatione conjunguntur, non illud, in quo ſinus exculptus eſt, & quod alterum excipit os, ſed condylus, ſive caput alterius oſſis, quod excipitur, ſpeciatim articulus ab Hippocrate appellatur. In hoc igitur textu extremitatem inferiorem femoris indigitare voluit Hippocrates, dum *femoris articulum* nominavit. Cum autem inferior femoris pars in duo magna capitula deſinat, & tibiæ ſuperior extremitas, ſuperficiales tantummodo duas habeat cavitates, glenoideas dictas, pro illorum capitulorum articulatione, quod non item cernimus circa cubiti flexuram; ſequitur, quod circa genua femoris articulatio in ſuperficie fere plana locata, prompta admodum, faciliſque ſit, ex quo dixit Hippocrates; *Femoris articulus pro magnitudine expeditior eſt, quam brachii.*

(3) ROTUNDAM. Altera differentia, qua luxationes circa genua mitiores ſunt, quam circa cubiti flexuram, ab æqualitate figuræ articuli genu oritur, quam juſtam naturam Hippocrates nominat. Hanc apprime explicat *Galenus comment. 3. text. 53.*, inquiens; *Nam femur ex hac parte in duo terminatur rotunda capita, magnitudine, ac figura æqualia, quæ in duos tibiæ ſinus, & ipſos æquales a natura factos, ſe inſinuant. Accedit ad hoc, quod capita utriuſque, videlicet tam femoris, quam tibiæ e directo totius oſſis ſita ſunt; hac ergo de cauſa, quiſque poterit affirmare, articulum iſtum juſtam tenere naturam.* Si quis autem ceteras aliorum oſſium articulationes circumſpexerit, multas ubique inæqualitates, ac aſperitates, figuraſque extra regulam poſitas, deprehendet; unde Hippocrates non ſine ratione dixit, quod hic femoris articulus *ſolus juſtam naturam habet, eamque rotundam.*

(4) HABET. De genu, & cubiti articulationum diſcrepantia, jam aliquid *not.* (5) *cap.* 22. attigimus; hic vero adnotandum, quod non in figuram æqualem, & rotundam, ut femoris inferior pars, brachii articulus conſtruitur; ſed in laram, & planam, atque, ut ait *Veſalius lib. 1. cap. 23. Inferior humeri pars, longe magis adhuc varia eſt, tum ſinuum, tum capitum, ac tuberum*

©BIU Santé

hæc vero, tibiæ ossa longitudine inter se similia sunt: & externum os paululum, ne memorabili quidem modo excedit, nullum magnum impedimentum afferens (5), a quo externus tendo circa poplitem enascitur (6). At cubiti ossa inæqualia (7) sunt, & quod brevius est, multo crassius (8) est: quod vero tenuius est, multum superat, & ex-

berum copia, & imagine. Tria enim habet diversæ magnitudinis, & figuræ capitula, uti & duas inæquales foveas, alteram majorem in posteriori facie, qua olecranon excipit, alteram in anteriori, qua processum coronoidem: duobus etiam condylis referta est, quorum unus, qui brevis atque prominens, in interna parte positus est, alter, in externa, qui oblongus est, asper, atque cristam referens; quemadmodum unicuique, qui satis fuerit in sceleti contemplatione versatus, hæc omnia clare innotescent. Hic præterea articulus in profundam ossis cubiti cavitatem, sigmoideam dictam, inseritur; hinc dixit Hippocrates; *Brachii articulus & magnus est, & sinus plures habet*.

(5) AFFERENS. Jam *not.* (1) *cap.* 14. adnotavimus, quod utraque cruris ossa a Veteribus Tibiæ nominabantur, uti adnotavit *Vesalius lib.* 1. *cap.* 31. dicens; *In tibia perinde ac in cubito bina reponuntur ossa, quæ Hippocrates perpetuo tibiæ ossa appellat*. Postea tamen recentiores Anatomici illorum alterum, ad clariorem intelligentiam, quod majus est, & in interna parte positum, tibiam proprie dixerunt; alterum, quod multo tenuius, & externam partem occupat, fibulam appellarunt. Hæc ossa longitudine fere sunt æqualia; sed fibula, quæ externum est os, in inferna parte tibiam aliquantum excedit, quare in superna parte articulationem cum femore non attingit, sed inferius locata, externo tibiæ lateri adjungitur; unde nullum articulationi impedimentum afferre potest.

(6) ENASCITUR. Tendo hic externus, qui a fibula circa polplitem enascitur, est tendo musculi bicipitis; nam hic musculus duo habet capita, quorum alterum ab ischii tubere oritur, alterum a parte media femoris, quæ capita prope poplitem in unum musculum coalescunt, ex quo tendo ille oritur, quem modo Hippocrates nominat; fibulæ enim superiori capitulo circa poplitem inseritur. Quoniam autem in articulis, quo profunditates, & prominentiæ ossium, nec non ligamentorum, tendinumque crassities, atque robur, majora sunt, eo plus impediunt, quominus luxationes facile fiant; & vicissim facta luxatione, ossium repositiones difficiliores reddunt; ideo hunc tendinem, qui laxus admodum est, parumque confert ad cohibendam articulationem, sed flexioni tantummodo inservit, luxationi, & repositioni ossium genu *nullum magnum impedimentum* afferre dixit Hippocrates.

(7) INÆQUALIA. Ea pars, quæ inter humerum, & carpum posita est, cubitus a Veteribus nominari consuevit, ut ait *Vesalius lib.* 1. *cap.* 24. *Universa pars inter brachium, & brachiale posita, Græcis πῆχυς, Latinis vero Cubitus appellatur. Hæc duobus constat ossibus, invicem incumbentibus, & dearticulatis*. Recentiores ad homonymiam cavendam, horum ossium alterum Cubitum, alterum radium nominarunt. Hæc ossa non æqualis sunt longitudinis, nam cubitus longior est radio, hinc *cubiti ossa inæqualia* esse dixit.

©BIU Santé

excedit articulum (9). Dependet tamen & hoc ex nervis juxta communem ossium connexionem (10). Majorem autem partem connexionis nervorum in brachio os tenue habet, quam crassum (11). Horum itaque articulorum, & ossium flexuræ cubiti natura hujusmodi est.

(8) CRASSIUS. Radius brevior est, sed crassior cubito, præcipue in inferiori parte, ubi sua latitudine fere solus totam carpi articulationem comprehendit.

(9) ARTICULUM. Cubitus tenuior, sed longior est radio; nam olecranon, sive processus anconæus multum superat articulum, atque excedit: ex quibus omnibus cum Hippocrate, ut in principio hujus capitis adnotavimus, concludendum est, quod *femoris articulus pro magnitudine expeditior est, quam brachii, & justam naturam solum habet, eamque rotundam.*

(10) CONNEXIONEM. Quod Veteres non modo funiculos illos a cerebro, & spinali medulla productos, qui motus, sensusque instrumenta sunt, nervos nominaverint; sed nervorum nomine tendines quoque, articulorumque ligamenta indigitaverint, jam *not.* (20) *cap.* 3. adnotavimus. In hoc igitur textu Hippocrates animadvertit, quod cubiti articulus juxta communem ossium connexionem pluribus ligamentis adnectitur, quæ ligamenta validissima sunt, & corroborantur etiam a plurimis stratis fibrarum tendinosarum, quæ a musculis humeri, proficiscuntur.

(11) CRASSUM. Cubitus, qui tenuius brachii est os, majores habet ligamentorum, atque tendinum connexiones, quam radius; velut est robustus ille tendo, qui e musculis Longo extensori, Brevi, & Brachiali interno oritur, & parti posteriori olecrani inseritur, quo cubitus validissime humero connectitur.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XLI.

Ossium circa genu luxatio frequens, sed repositio facilis. Ossium cubiti repositio molestior.

ET propter naturæ modum, ossa circa genu sæpe quidem luxantur, facile autem rursus incidunt, ac reponuntur (1). Inflammatio vero non magna accedit (2), neque vinculum articuli (3). Luxantur autem plerunque in internam partem, aliquando etiam ad poplitem (4). Horum omnium repositiones non sunt difficiles. Verum

(1) REPONUNTUR. Ex his, quæ de natura articulationis genu, & cubiti exposita sunt, patet, quod ossa circa genu facile luxari, atque item facile reponi possint: genu enim articulus laxus est, atque æqualem, rotundamque habet figurationem; cubitus vero inter variæ magnitudinis eminentias, ac inæqualitates articulatur, atque validioribus ligamentis, tendinibusque vincitur; unde & difficilius luxari solet, & non sine multis difficultatibus, si luxatus fuerit, restituitur.

(2) ACCEDIT. In illis articulis, in quibus ossa alte excipiuntur, & robustis ligamentis, tendinibusque una colligantur, luxatio non sine maxima vi, multaque earum partium distractione contingit; neque ejusmodi articulorum restitutio fieri potest absque validissima distentione; alias enim ossium eminentiæ in suas sedes nequeunt impelli; hinc ex ligamentis, tendinibus, musculis, nervisque ea vi vexatis magna inflammatio accedere solet. Genu vero articulus, qui ob superius enarratam structuram facile dimoveri, ac sine multa vi reponi potest, non magna inflammatione afficitur in luxationibus.

(3) ARTICULI. Quod in hoc textu *articuli vinculum* nominat Hippocrates, est ea articulos movendi difficultas, quæ ancyle, sive ancylosis nominatur, de qua *not.* (9) *cap.* 11. disseruimus. In hoc casu ancylosis oritur ex ligamentorum, ac tendinum inflammatione, qua in unum ipsa concrescere, atque coalescere solent, unde eorum rigiditate naturalis articulorum flexibilitas impeditur: sic *Actuarius lib.* 4. *cap.* 16. ait; *Articulorum contractiones; quas* ἀγκύλας, *&* ἀγκυλώσεις *nominant Græci, ob humorem impactum, aut nervi affectum quempiam in artubus oboriuntur: & laxante, mollientique vi præditis curari postulant.* Quum autem in luxationibus genu non magnæ inflammationes accedant, ideo neque ancyle, sive articuli vinculum, solet superesse.

(4) AD POPLITEM. Jam pluries summam Hippocratis diligentiam in morbis describendis adnotavimus, summamque ejusdem peritiam in rebus chirurgicis, atque anatomicis admirati sumus, quæ Hippocratis dotes, ut ubique in ejus operibus, sic etiam in hoc textu valde emicant. Experientia enim edoctus, atque ex articulationis fabricæ consideratione, in tres tantummodo partes, internam scilicet, externam, & posteriorem, genu luxari solitum esse narrat, dum reliquæ

©BIU Santé

rum ſi quidem foras, aut intro luxentur, hominem in humili aliquo ſedili ſedere oportet, ita ut crus altius, non tamen multo, habeat (5). Extenſio autem plerunque moderata ſufficit, ita ut ab altera

quæ fere omnes articulationes quaqua verſus luxantur. Præterea adnotandum, quod gradatim, quæ ex tribus his partibus facilius, quæque difficilius luxationem admittat, diſtinxit; nam dixit; *Luxantur plerumque in internam partem*; ut primum oſtenderet, hac parte os facilius excidere; poſtea luxationem in externam partem poſuit, dicens; *Aliquando etiam ad externam*; tertio tandem, ut de re minus freqnenti, dixit; *Quandoque etiam ad poplitem*. De luxatione vero in anteriorem partem, veluti de re non poſſibili, ne verbum quidem protulit, quod etiam *Celſus lib.* 8. *cap.* 21. confirmat, inquiens; *Genu quoque & in exteriorem, & in interiorem, & poſteriorem partem excidere notiſſimum eſt: in priorem non prolabi plerique ſcripſerunt: poteſtque id vero proximum eſſe: cum idem oppoſita patella, ipſa quoque caput tibiæ contineat*; quæ omnia experientia confirmata ſunt, atque etiam ex anatomica harum partium conſideratione hujus rei ratio clariſſime eluceſcit. Si enim extremitatem inferiorem femoris, ubi in duos magnos, rotundoſque condylos pro articulatione genu deſinit, in ſceleto conſideravimus, ratio apparebit, quare ad internam plerumque partem genu luxatio fiat. Horum enim condylorum internus, quamvis aliquanto grandior, magis extrorſum prominens, atque longior ſit; verumtamen in eodem plano horizontali cum altero condylo reperitur; quod evenit, quia femur non recta, ſed oblique ad internam partem ex iſchio ad genu deſcendit, ubi cum oſſe tibiæ obtuſiorem angulum conflat, unde genua ultro ad invicem accedere natura facile ſolent. Quum ergo ſecundum naturam ad internam partem genu deflectat, mirum non erit ſi in hanc partem plerumque luxetur. Ad externam quoque partem, ſed rarius quidem, luxatur genu; rariſſime tamen ad poplitem, ſive ad poſteriorem partem excidit. Nam poſteriores femoris, ac tibiæ facies colligantur a muſculis Popliteo, Gaſtrocnemio, & Plantari, qui muſculi eorum inſertionibus, quominus in hanc partem luxatio fiat, impediunt. Genu autem luxationem in partem anteriorem patella prohibet, quæ ad articulum arcte firmatur a validiſſimo illo tendine, qui a muſculis Recto, Crurali, Vaſto interno, & Vaſto externo oritur, & infra genu tuberculo anteriori tibiæ infigitur; *unde*, dixit *Galenus comment.* 3. *text.* 61., *anterior pars junctura genu, & a patella, & a tendone, quem modo tibiæ initio innecti diximus, firmiſſime continetur*. Attamen prorſus impoſſibilem eſſe hujuſmodi luxationem credendum non eſt; nam ab aliqua magna vi accidere aliquando poteſt; quemadmodum tradidit *Celſus lib.* 8. *cap.* 21. de Megete, cui ejuſmodi luxationem curare contigit, inquiens; *Meges tamen eum, cui in priorem partem excidiſſet, a ſe curatum eſſe memoriæ prodidit*; ſed talis luxatio peſſima eſſet, & graviſſima ſymptomata excitaret.

(5) Habeat. Luxationum genu non difficilem eſſe repoſitionem ait Hippocrates: docet autem, quod ſi oſſa in interiorem, aut exteriorem partem prolapſa fuerint; *hominem in humili aliquo ſedili ſedere oportet, ita ut crus altius, non tamen multo, habeat*, ſic enim in rectum extento crure, oſſa in ſuam ſe-

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 302 sur 355

©BIU Santé

tera parte tibia, ab altera femur in diverſum extendatur (6). At oſſa circa cubiti flexuram moleſtiora ſunt, quam quæ circa genu ſunt, & difficilius reponi poſſunt, etiam ob inflammationem, ſi quis non ſtatim reponat. Luxantur quidem minus, quam illa, verum difficilius reponuntur, ac coaptantur (7): inſuperque inflammantur, ac callum acquirunt (8). Sunt autem & horum plerunque parvæ inclinationes (9), aliquando ad partem ad coſtas, aliquando ad externam, non

ſedem facile dilabuntur. Adnotatione dignum eſt, quod ægrotos in hac poſitione collocandos eſſe præcipit, ſi foras, aut intro luxentur; non eandem collocationem convenire intelligens, quoties luxatio ad poplitem, ſive in poſteriorem partem facta fuerit: tunc enim ſi in rectum tantummodo crus extenderetur, ſummos dolores in muſculis, jam multum diſtractis, excitaremus, neque reſtitutio, uti decet, promoveretur, niſi genu aliquatenus in extenſione flectatur, & vis fiat in poplitem. Modum, quo hæc in poſteriorem partem luxatio reſtitui debet, paucis exponit *Celſus lib.* 8. *cap.*21. ubi ait; *Et id quidem, quod in poſteriorem partem excidit, eodem modo rotundo aliquo ſupra poplitem impoſito, adductoque eo crure reconditur.*

(6) EXTENDATUR. Adeo verum eſt, quod in hujus articuli luxationibus ad internam, aut externam partem, extenſio moderata ſufficit, ut non raro contigit, quod poſt caſum ab ipſis adſtantibus, ſine alicujus opera Chirurgi, tales luxationes ſola extenſione reponantur; quinimo ſine ullius auxilio ſponte in ſuam ſedem os quandoque delabitur, quemadmodum adnotavit *Guilelmus de Saliceto lib.*3. *cap.*27. inquiens; *Scias, quod faciliter hoc membrum diſſolvatur, & de facili reſtauretur. Nam multoties quum patiens erigitur violenter ſuper crus ſuum, & genu, optimeque extendit crus, per ſe redeunt oſſa ad loca ſua ſine medici auxilio.*

(7) COAPTANTUR. Genu ob articuli æqualitatem, rotundamque figuram, & facile excidere, & facili negotio recondi poſſe obſervavimus: cubiti vero articulus, qui ex tribus oſſibus, variis admodum, multumque præruptis conſtructus eſt, quemadmodum *not.* (4) *cap.* 40. adnotavimus, minus facile excidit, at difficilius reponitur. Accedit præterea, quod hunc articulum brevia, robuſtaque ligamenta devinciunt, plurimorumque muſculorum inſertiones circa ipſum reperiuntur, quorum omnium magna ſemper diſtractio, aut laceratio in emotione offium fit; unde dolores ingentes, atque tumores, inflammationeſque cito excitantur, ex quo, ut ait Hippocrates, *& difficilius reponi poſſunt, etiam ob inflammationem, ſi quis non ſtatim reponat.*

(8) Acquirunt. De prognoſi luxationis genu dixerat Hippocrates; *Inflammatio non magna accedit, neque vinculum articuli.* Nunc autem de luxationibus cubiti contrarium affirmat, dicens; *Inſuper inflammantur, ac callum acquirunt.* Qualis ſit callus, de quo hic loquitur Hippocrates, *vid.*, quæ de vinculo articuli adnotavimus *not.* (3) *cap.* 40.

(9) INCLINATIONES. Cubiti articulus propter ginglymoideam offium conjunctionem ſæpe non ex toto luxatur, ſed plerunque tantummodo aliquantum de ſua naturali ſede emovetur, cujuſmodi emotiones, *parvæ inclinationes*

©BIU Santé

non ut totus articulus ſit emotus (10); ſed manet quid juxta oſſis brachii cavitatem, qua parte cubiti os excedens habet (11). Talia igitur ſive hac, ſive illac luxentur, facile eſt reponere; & ſufficit extenſio in directum facta, ſecundum brachii rectitudinem, ita ut alter juxta manus junƈturam extendat, alter locum ſub alis amplectatur (12): Medicus vero altera ma-

nes in hoc textu dicuntur. Quam diverſe, varioque modo oſſa emoveri poſſint, *not.* (1) *cap.* 17. & *not.* (1) *cap.* 40. jam ſatis obſervavimus.

(10) EMOTUS. Quorſum hæ parvæ inclinationes fieri poſſint, Hippocrates indicat, dum ait *aliquando ad partem, ad coſtas, aliquando ad externam*. Profecto articulationis cubiti conſtruƈtio non ſinit, ut abſque perfeƈta luxatione in partem anteriorem, & poſteriorem oſſa dimoveantur, ut inferius patebit; ſed hæ parvæ inclinationes in partem tantum externam, & internam fiunt: nam capitulum humeri, quod cum radio articulatur, in cavitatem ſigmoideam cubiti excurrere poteſt ſine perfeƈta luxatione, & tunc erit inclinatio articuli ad coſtas, ſive emotio in internam partem: vel econtra, ſi magnus, & acutus trochleæ humeri margo, verſus cavitatem glenoideam radii fuerit impulſus, inclinatio ad externam partem fiet. Hæc omnia, ſi ad ſceletum conſiderentur, clariſſime patebunt, alioquin quæ hactenus dicta ſunt, quæque dicturi ſumus, non penitus intelligentur.

(11) HABET. Id quod efficit, ut cubiti articulus in internam, & externam partem dimoveri facilius poſſit, eſt ſuperficies cavitatis glenoideæ radii, ac ſuperficies illius portionis inferioris magnæ cavitatis ſigmoideæ cubiti ſupra apophyſim coronoideam poſita, quæ conjunƈtæ planum non multum inæquale formant, ſupra quod humeri extremitas extrorſum, & introrſum dimoveri facile poteſt. Tales articuli in has partes dimotiones, non luxationes, ſed parvas inclinationes nominat Hippocrates, quia tunc non prorſus articulo excidunt oſſa; nam proceſſus olecrani, qui a robuſtiſſima illa produƈtione tendinea, quæ a muſculis Longo, & Brevi extenſoribus, & Brachiali interno formatur, ad magnam foveam poſteriorem humeri validiſſime retinetur; quod non ſinit, ut totus articulus emoveatur, ſed tantummodo inclinet; unde dixit Hippocrates: *Sed manet quid juxta oſſis brachii cavitatem, qua parte cubiti os excedens habet*. Hoc idem adnotatum legimus ab *Oribaſio in Collectione Græcorum Chirurgorum Nicetæ* ubi *Artic.* 8. ſcriptum eſt; *Totum vero articulum non excidiſſe, indicio eſt ſi loco ſuo maneat poſterior extans cubiti vertex. Ubi enim hic ſubſiſtit, etſi reliquus articulus aliquatenus motus fuerit, nondum tamen plane excidiſſe dici poteſt*.

(12) AMPLECTATUR. Clariſſimis verbis hic exponit Hippocrates, quomodo ad has in externam, aut internam partem articulationis cubiti emotiones reponendas, brachium in directum debeat extendi, ut hac figuratione in ſuam ſedem dimota oſſa facile relabantur. Ex hujus articulationis conſtruƈtione ratio patet, quare hæc ſecundum brachii rectitudinem extenſio ad ptæfatas emotiones reſtituendas commoda ſit, atque opportuna; quæ figuratio minime conveniet, ſi de articulo oſſa prorſus exciderint, aut in anteriorem, aut poſteriorem partem luxari contigerit, ut inferius Hippocrates docet.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 304 sur 355

©BIU Santé

manu ad emotum articulum admota, volis impellat: altera prope ad articulum injecta retrudat (13). Obediunt autem tales luxationes, & non tarde reponuntur, ſi quis antea, quam inflammentur, reponat (14). Luxantur autem plerunque magis ad internam (15) partem: luxantur etiam ad externam. Innoteſcit id ex figura (16); & talia ſæpe etiam abſque

(13) RETRUDAT. Præter extenſionem in directum, quæ aut per miniſtros, aut pet aliquod machinamentum fieri debet, oportet etiam ut manibus dimotum os in ſuam ſedem Chirurgus impellat; quam rem optime exequemur, ſi altera manu ad prolapſum offium cubiti articulum admota, eum volis impulerimus; altera vero *prope ad articulum*, ſcilicet ad humerum, & ex oppoſita parte, unde os diſceſſit, repellendo, retruſerimus; ſic enim oppoſitis viribus in priſtinum delabi locum cogitur articulus. Machinamentum, atque ſchema, ubi brachium extentum eſt, ut hic docet Hippocrates, in directum, manibuſque Chirurgi dimota oſſa reconduntur, expoſuit *Oribaſius lib. de Machinamentis cap.* 24.

(14) REPONAT. Si inflammatio ſupervenerit, quæ affectam partem, tumore rigidam, dolentem, atque extenſioni non obſequentem efficit, tunc oſſa difficulter reponi poſſunt, quia articulus non obtemperat diſtentioni: & ſi major vis adhiberetur, prava illa ſymptomata excitarentur, de quibus Hippocrates, ſatis ſupra locutus eſt; ideo luxationes cito reponendæ ſunt, antequam inflammentur.

(15) INTERNAM. Hippocrates diligentiſſimus morborum obſervator, periti ſſimuſque Anatomicus nunc monet, quod articulationis cubiti oſſa *luxantur plerunque magis ad internam partem*, quod eſt a nobis ſpeciatim in hoc textu animadvertendum. Quiſquis autem horum offium optime noverit figuras, atque compagem, id veriſſimum eſſe, apprimeque veritati conſentaneum judicabit. Ad ſceletum igitur accedamus, & clariſſime apparebit, quod capitulum extremitatis humeri, quod cum radio articulatur, multo facilius in cavitatem ſygmoideam cubiti dilabi, & ad internam partem luxari poterit, quam ut magnus, acutuſque margo trochleæ oſſis humeri totam apophyſim coronoideam cubiti aſcendat, & ad externam partem luxetur; quoniam id difficilius, & non ſine maxima vi efficeretur. Ex hac igitur offium conſtructione evenit, ut cubitus plerumque magis ad internam partem luxetur.

(16) EX FIGURA. An cubiti luxatio ad externam, aut internam partem tendat, ex figura brachii innotefcet; nam tunc cubiti articulus extentus remanet, & tumor, atque recurvatio in eo latere exoritur, in quod os delapſum eſt; veluti monuit *Celſus lib.* 8. *cap.* 16. inquiens; *Si in exteriorem, interioremve* (cubiti partem luxatio ſit), *brachium porrectum eſt, ſed paulum in eam partem, a qua os receſſit, recurvatum.* Ceteræ enim cubiti luxationes diverſam figuram nanciſcuntur; nam ſi in poſteriorem partem fuerit luxatio, brachium curvum, atque altero brevius evadit, & nequit extendi: ſi in partem anteriorem, id extentum ultra conſuetudinem eſt, neque recurvari poteſt. Aliud inſuper ſignum recenſetur in *Collection. Nicetæ artic.* 82., ubi ſcriptum eſt. *Dignoſcitur vero eo quod rugoſior locus appareat, a quo proceſſus receſſit, & qui &c.*

©BIU Santé

absque vehementi tensione rursus incidunt (17). Oportet autem in his, quæ intro luxantur, articulum quidem ad naturam suam repellere, cubitum vero magis in pronam partem vergentem circumducere (18). Et plerunque sane cubiti luxationes hujusmodi sunt.

(17) INCIDUNT. Quoniam in his ad externam, aut ad internam partem emotionibus, ossa non penitus de articulatione solent decedere, veluti paullo ante *not.* (11) observavimus; ideo sæpe sine vehementi tensione tales emotiones in suam sedem rursus incidunt.

(18) CIRCUMDUCERE. In luxationibus ad internam partem, humeri capitulum, quod cum radio articulatur, in cavitatem sygmoideam cubiti delabi observavimus; atque ideo tunc brachium extentum remanet, atque ad supinum vergens. Quoniam autem in prona brachii versatione, os radii versus humeri trochleam impellitur; hinc, ut processus coracoides cubiti in depressionem mediam trochleæ, in suam scilicet sedem, impellatur, cubitum magis in pronam figurationem circumagere jubet Hippocrates. De extensionis quantitate, & de reponendi modo in omnibus luxationibus generatim, sic paucis monet *Celsus lib. 8. cap. 27. Utrumque membrum in diversas partes oportet extendere, donec spatium inter ossa liberum sit: tum id os, quod excidit ab ea parte in quam prolapsum est, in contrariam impellere.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XLII.

Articulus ſupra cubiti os tranſgreſſus.

SI vero tranſgreſſus fuerit articulus, aut hac, aut illac, ſupra cubiti os, quod ad brachii cavitatem excedit (1): fit quidem raro (2) hoc: ſi vero fiat, non amplius ſimiliter extenſio in directum contingens, talibus luxationibus idonea eſt: in tali enim extenſione, os a cubito excedens, brachii tranſgreſſionem prohibet (3). Oportet autem

(1) EXCEDIT. Dixerat Hippocrates in capite præcedenti, quod quando cubiti luxatio fit in interiorem, aut exteriorem partem, plerunque non penitus oſſa de articulatione abſcedunt, ſed tantummodo emoventur, & *parvæ inclinationes ſunt*, uti *not.* (9) *cap.* 41. adnotavimus, atque ibidem *not.* (11) id evenire cognovimus, quia proceſſus olecrani, qui validiſſimo tendine ad foveam poſteriorem humeri colligatur, difficulter de ſua ſede depellitur. Docet autem in hoc textu, quod fieri etiam quandoque poteſt, ut perfectæ luxationes in internam, aut externam partem accidant: quando nempe humeri articulus, aut hac, aut illac, totum olecrani proceſſum tranſgreſſus fuerit.

(2) RARO. Perfecta in has utraſque partes luxatio raro ſolet contingere, quia trochlea, & capitulum extremitatis humeri, quæ cum cubito, & radio articulantur, adeo oblongam, complexamque articulationem conſtituunt, ut oſſa penitus egredi non facile poſſint. Præterea aliæ plurimæ difficultates ſuperandæ ſunt; nanque ligamenti capſularis, tendineique olecrani vinculi robur expugnetur oportet; nec non muſculorum Pronatoris rotundi, Radiei, & Cubitalis interni, & Palmaris, qui a condylo humeri interno oriuntur; aut eorum, qui a condylo externo; videlicet Supinatorum, Radiei externi, ſive Bicornis, aut Cubitalis externi, reſiſtentiæ debent ſuperari, ut hac, aut illac totus articulus tranſgrediatur: quæ omnia, quum difficulter, neque ſine multa vi accidant, ideo dixit Hippocrates; *Fit quidem raro hoc.*

(3) PROHIBET. Dixerat Hippocrates, quod ad reponendas articulationis cubiti emotiones, quæ in internam, aut externam partem vergunt, brachium in directum extendi debet, uti *not.* (12) *cap.* 41. obſervavimns. In hoc autem textu, in quo, non de ſimplici articulationis cubiti emotione, ſive inclinatione, ſed de completa oſſium tranſgreſſione agitur, abſolutaque luxatione, animadvertit, quod *non amplius ſimiliter extenſio in directum contingens, talibus luxationibus idonea eſt.* Sapientiſſime, atque ex anatomica hujus articuli contemplatione, quare extenſio in directum, dum hujuſmodi luxatio accidit, non ſit idonea, oſtendit Hippocrates, dicens; *In tali enim extenſione, os a cubito excedens, brachii tranſgreſſionem prohibet.* Etenim os a cubito excedens, ſive olecranon, quod articulo prorſus delapſum fuerit, ſi luxatio ad internam partem ſit, extenſione brachii in directum, ad externam, concavamque faciem marginis

©BIU Santé

Oportet itaque ſic emotis extenſionem talem facere, qualis prius deſcripta eſt, ubi quis oſſa brachii fracta deligat, ut ab alia quidem in ſupernam partem tenſio fiat, ab ipſa vero cubiti flexura, ad infernam cogatur (4): ſic enim brachium ſupra ſuum ſinum maxime elevabitur (5). Si vero elevatum fuerit, facilis eſt reſtitutio cum volis

nis majoris trochleæ humeri infra condylum internum appelleret, ubi, veluti ad ſcopulum impingens, ibi hæreret infixum, & brachii reſtitutionem prohiberet. Si vero ad externam partem erit luxatio, tunc in latus illius capituli, quod cum radio articulatur incurreret olecranon; ex quo clariſſime perſpicitur, quod ad has luxationes reſtituendas, extenſio in directum adminiſtrata non congruit.

(4) COGATUR. Poſteaquam Hippocrates monuit, quod in hiſce luxationibus extenſio brachii in directum non eſt idonea, nunc docet, quo artificio inſtituenda extenſio ſit, ut commode oſſa in ſuam ſedem poſſint reduci; ait enim. *Oportet ſic emotis extenſionem talem facere, qualis prius deſcripta eſt, ubi quis oſſa brachii fracta deligat;* brachium ſcilicet ad angulum flectendum eſt, eo ipſo modo, eademque ratione, quam ipſe ſatis luculenter deſcripſit *cap.* 8., ubi de oſſis humeri fractura loquutus fuit. In hanc ſententiam deſcendit *Oribaſius*, uti videre eſt in *Collect. Nicetæ artic.* 82., ubi ſcriptum eſt; *Sed quibus humerus cubiti os omnino tranſcenderit, ut oblique illi ab exteriori parte adjaceat, extendere non oportet brachio toto porrecto, ſed ad habitum, quem angularem vocant compoſito.* Sic apud eundem *Oribaſium* in libro *de machinamentis titul. de Cubito pag.* 491. quem librum *Vidius Vidius* e Græco in Latinum tranſtulit, ſchema cernimus, quod exponit hominem ſcalæ applicitum, cui per organum extenſio luxationis cubiti patratur, dum brachium ad angularem figuram deflexum, atque retinaculis ad ſcalæ gradum devinctum eſt.

(5) ELEVABITUR. Utilitatem hujus deflexæ figurationis brachii exponit Hippocrates; dum ait; *Sic enim brachium ſupra ſuum ſinum maxime elevabitur.* Non poſſumus ſine admiratione contemplari, quantum feliciter Hippocrates doctrinam ſummam cum brevitate dicendi conjunxerit. Dum enim in hoc textu dixit; *Sic brachium ſupra ſuum ſinum elevabitur*; rationem expoſuit, qua hæret humerus prorſus elapſus de articulo, & quomodo is debeat in ſuam ſedem reverti. Nam extremitas inferior humeri, quæ naturaliter in ſinu cubiti, ſive cavitate ſygmoidea articulatur, ubi de eo ſuo ſinu elapſa, hac, aut illac tranſgreditur, infra ſinum ſuæ articulationis deſcendit; quoniam muſculorum extenſorum, & flexorum contractione, oſſa cubiti ſurſum trahuntur, & ſupra brachii articulationem efferuntur, unde membrum brevius quoque efficitur. Ut igitur hæc oſſa in ſuam ſedem iterum coaptentur, oportet, humerum, qui deſcendit, elevari ſupra ſuum ſinum ſygmoideum cubiti, ubi articulabatur. Hæc humeri elevatio nequit commodius obtineri, quam extendendo brachium in ea figuratione ad angulum, qualem Hippocrates propoſuit. Nam ſi brachium, hoc modo luxatum, extenderetur in directum, eæ difficultates inſurgerent, quæ

©BIU Santé

volis manuum (6), ita ut emotam quidem brachii partem apprehendentes impellamus : os vero cubiti juxta articulum retrudamus (7), utraque eodem modo (8), minus tamen (9). Atque talis extenſio hujuſmodi luxationis juſtiſſima eſt. Poterit etiam reponi per extenſionem in directum, verum minus, quam hoc (10) modo.

quæ mox *not.* (3) expoſitæ ſunt; ſed id flectendo in angulum, via ad repoſitionem expeditior fit; quia in hac brachii figuratione os cubiti tranſverſe ſub humero collocatur, ex qua cubiti poſitione, neque in proceſſum olecrani, neque in proceſſum coracoydem humerus impinget, dum reſtitutio fit; atque etiam cavitas ſygmodea cubiti ſic tranſverſim poſita, ad humeri articulum excipiendum optime erit accommodata. Hunc Hippocratis textum ſic perſpicue interpretatus eſt *Vidius pag.* 212. *Humerus enim hac ratione diductus e regione ſui receſſus collocabitur ſic, ut nou hæreat.*

(6) MANUUM. Extento brachio in hac figuratione, facile volis manuum horum oſſium reſtitutionem fieri poſſe ait; hac tamen conditione, *Si vero elevatum fuerit*; ſcilicet ſi extenſioſionem brachii moliamur ſic, ut humeri articulus ſatis ſupra ſuum ſinum ſit elevatus : alioquin, ſi non ſatis elevatus fuerit, in cubiti oſſa humerus impinget, & fruſtra tunc volis manuum reſtitutionem tentare conabimur.

(7) RETRUDAMUS. Clariſſimis verbis hic docet, Hippocrates, quomodo manibus Chirurgus articulum luxatum in ſuam ſedem impellere debeat; quod idem jam ſuperius docuerat, uti *not.* (13) *cap.* 41. obſervavimus.

(8) MODO. Utrobique eundem recondendi modum ſervandum eſſe ait, ſcilicet, tam ſi in internam, quam ſi in eternam partem humerus prolapſus ſit; manuum nempe volis, ſive palmis, ubi os extat, impellere debebimus, a contraria vero parte, prope ad articulum, retrudere; quod, utra in parte luxatio ſit, *eodem modo*.

(9) TAMEN. Hæc duo verba, *minus tamen*, valde obſcura ſunt; atque in interpretationibus *Fabii Calvi*, *& Vidii Vidii* talis particula deficit. Verum in hac interpretatione *Cornarii*, uti apud *Galeni* interpretes, *Trincavellum*, & *Felicianum*, hæc particula reperitur. *Foeſius* inſuper, qui eam pariter in ſua interpretatione retulit, ſe hanc particulam, *minus tamen*, in omnibus membranis legiſſe affirmat: ideo tum quia in pluribus membranis reperitur, tum quia non deficit apud *Galenum*, hanc eſſe Hippocratis genuinam lectionem, cenſendum. Ob horum verborum obſcuritatem, hanc particulam in hoc textu ab aliis interpretibus prætermiſſam fuiſſe, exiſtimat *Foeſius* in ſuis adnotationibus, ubi præterea hujus particulæ ſenſum explicat, dicens; *Poteſt (minus tamen;) ad illud referri, ut in contrariam partem minor vis adhibenda ſit, in qua reniti, ac tantum contra tendere ſatis eſſe videatur*. Hæc *Foeſii* explanatio Hippocratis præceptis maxime conſentanea eſt, & apprime hujus particulæ ſenſum illuſtrat.

(10) QUAM HOC. Pro hac luxationis cubiti ſpecie, de qua egit in hoc capite, juſtiſſima atque ad oſſium repoſitionem opportuniſſimam eſſe hujuſmodi extenſionem, qua brachium deflexum trahitur, Hippocrates iterum aſſeverat; non tamen negat reponi

©BIU Santé

poni etiam posse per extensionem in directum; sed monet, quod multo difficilius, *quam hoc modo*; atque ea ratione non sine maximo labore Chirurgus, dolore ægrotus, horum delapsorum ossium restitutionem obtinebunt; quod plerique Scriptores Chirurgici non animadvertisse in eorum libris legimus, dum indiscriminatim pro omnibus cubiti luxationibus brachium in directum intendere præcipiunt.



In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 310 sur 355

©BIU Santé

CAPUT XLIII.

Brachium in anteriorem partem rariſſime luxatur.

AT ſi in anteriorem partem brachium luxetur : rariſſime autem hoc contingit. Sed quid repentina eluctatio non ejecerit (1)? Multa enim etiam præter naturam ſuam excidunt ; etiam magnum quid ſit, quod prohibeat. Huic autem eluctationi magnum quoddam obſtaculum eſt, & os craſſius, quod ſuperexcedit, & multa nervorum extenſio ; attamen quidam ſane eluctantur (2). Signum autem his,

(1) EJECERIT ? Ad aliam luxationis cubiti ſpeciem, qua in anteriorem partem brachium luxatur, orationem convertit Hippocrates, quæ luxatio rariſſime contingit ; ſed tamen quandoque, adeo violentæ brachii diſtortiones accidunt, ut hujuſmodi luxatio fiat ; quemadmodum monet Hippocrates, dicens : *Sed quid repentina eluctatio non ejecerit* ? Apud veteres Græcos, & Romanos ob gymnaſticas artes, quæ tunc maxime in uſu erant, hujus generis luxationes frequentius, quam noſtra ætate, accidiſſe reor ; nam ſi conſiderentur luctæ, pancratia, aliæque athleticæ exercitationes, quibus Veteres operam dare conſueverant, eos hujuſmodi luxationibus non raro affici potuiſſe apparebit. Quantum periculi in ludis hiſce, qui ad ſanitatem tuendam, & ad corporis robur augendum a veteribus celebrabantur, ineſſet, diſertiſſime, eruditiſſimeque exponit *Hyeronimus Mercurialis* in egregio *de Arte Gymnaſtica* opere, ubi *lib. 2. cap. 8.* concludit his verbis : *Robur quidem augetur, at luxationis, ac fractionis oſſium, nec non ſuffocationis periculum imminet.* Uno intuitu id periculum cerni poteſt in ea, quam hic appoſuit, tabula *Mercurialis*, in qua inconcinnæ aliquot luctatorum aggreſſiones expreſſæ ſunt, quæ tabula id luctæ genus ſpeciatim exponit, quod *Pancratium Volutatorium* nominabatur ; unde patet, non ſine ratione Hippocratem dixiſſe : *Sed quid repentina eluctatio non ejecerit* ?

(2) ELUCTANTUR. Nonnulli recentiores Chirurgi, hanc cubiti luxationem in anteriorem partem fieri non poſſe ſcripſerunt, niſi ſimul proceſſus olecrani frangatur ; quoniam impoſſibile putarunt, poſſe olecranon humeri trochleam integrum ſubire, & ad anteriorem partem tranſgredi. Veriſſimum quidem eſt, quod plerumque hujuſmodi luxatio cum olecrani fractura conjungitur ; non tamen ſemper impoſſibile erit, ut talis luxatio, etiam integro olecrano, fieri aliquando poſſit, præſertim ſi eo modo brachium violenter diſtortum fuerit, quemadmodum in ludis gymnaſticis Veteres conſueviſſe adnotavimus. Has difficultates Hippocrates non ignorabat, & ideo dixit : *Multa enim etiam præter naturam ſuam excidunt, etiamſi magnum quid ſit, quod prohibeat.* Duo eſſe refert Hippocrates obſtacula, ob quæ potiſſimum hæc luxatio prohibetur ; unum eſt *os craſſius, quod ſuperexcedit*, ſive proceſſus olecrani, quod craſſum, & longum os eſt, ſimulque ad poſteriorem humeri partem adeo ſuperexcedit articulum, ut

©BIU Santé

his, qui ita eluctati sunt. Nihil enim de cubito flectere possunt (3). Manifestus est etiam articulus ad contactum (4). Si quidem igitur non statim repositus fuerit; vehementes, ac violentæ inflammationes, itemque febriles fiunt. Si vero statim quis occurrat, facile reponi potest

ut integrum, & absque fractura in anteriorem partem nequeat transferri, nisi articulationis ossa ad duos saltem digitos deducantur, quæ res difficilis admodum est factu: alterum obstaculum est *multa nervorum extensio*, tendinum videlicet retinacula, ligamentorumque articuli vincturæ; nam has omnes partes nervorum nomine comprehendere veteres Græcos consuevisse adnotavimus *not.* (20) *cap.* 3. Profecto ab his ligamentis articularibus, atque adnexis tendinibus, adeo hæc ossa fatiscere, ut olecranon transgredi possit, prohibentur; nam capsulare ligamentum articuli, quod ossa colligat, validissimum est, plurimisque aponeuroticis expansionibus corroboratur, neque distendi facile sinit; atque tendines musculorum, Longi scilicet, Brevisque extensoris, & Brachialis externi, qui processui anconeo inseruntur, simulque tendines musculorum Bicipitis, qui radii tuberculo, & Brachialis interni, qui tuberculo cubiti inhærent, tanto horum ossium secessui reniuntur. Repagula hæc validissima impedimento sunt, ne articulus in tantam deducatur amplitudinem, ut citra olecrani fracturam cubitus in anteriorem transgredi partem possit. Has omnes difficultates quamvis clarissime novisset Hippocrates, nihilominus ita concluſit orationem: *Attamen quidam sane eluctantur*; quod quidem ipse affirmare non ausus esset, nisi, ut fuit semper suus scribendi mos, id propria observatione satis sibi compertum non fuisset. Castigatissima hæc divini Senis consuetudo in suis ubique scriptis elucet; quin etiam, si quando deceptus est, satius duxit errorem fateri suum, quam tegere, ut is posteris exemplo esset, ne eodem modo, quo ipse deceptus fuit, & ipsi deciperentur, uti *not.* (5) *cap.* 19. adnotavimus: atque omnino credendum est, quod si ipse hanc luxationem in anteriorem partem nunquam vidisset, atque curasset, de ea tunc saltem dubitanter scripsisset, quemadmodum legimus *in lib. de Articulis*, *cap.* 1., ubi ita scripsit Hippocrates: *Humeri vero articulum uno modo luxari novi, ad locum sub alis: sursum autem nunquam, neque ad externam partem. Non tamen adfirmaverim; an luxetur, aut non, etiamsi habeam, quod dicam de ipso. Sed neque in anteriorem partem unquam vidi, neque videtur mihi unquam excidisse. Medicis tamen videtur valde in anteriorem partem luxari.*

(3) POSSUNT. Signa nunc affert Hippocrates, quibus cubitum in anteriorem partem luxatum esse cognoscemus; quorum unum erit si brachium distentum, atque etiam expansum ultra naturam sit, & nihil flecti possit; quam rem ab olecrano, quod ad anteriorem humeri partem transgressum est, ibique infixum hæret, & flexionis cubiti est remora, oriri, quisquis clarissime intelligit.

(4) AD CONTACTUM. Manifestum etiam alterum hujus luxationis signum contactus ipse præbebit; locus enim in posteriori cubiti parte, ubi olecranon prominet, inanis reperietur, & in foveam depressus, in anteriori vero parte locus, ubi sinus flexuræ cubiti esse solet, extuberabit in duram prominentiam: quæ signa illuc transgressum olecranum esse indicabunt.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 312 sur 355

©BIU Santé

teſt (5). Oportet autem linteum durum convolutum (ſuffecerit non magnum) imponere obliquum in cubiti flexuram, & de repente cubitum inflectere, & manum quam maxime ad humerum adducere (6). Suffi-

(5) POTEST. Hanc cubiti luxationem in anteriorem partem, ſine maxima ligamentorum, tendinum, muſculorum diſtractione, ex his, quæ innuimus, fieri non poſſe, patet; unde niſi repoſita ſtatim fuerint, non diutius in eo ſtatu partes illæ poterunt permanere, quin inflammatione, atque inde febri corripiantur. Symptomata hæc reſtitutioni oſſium impedimentum afferrent; nam ſi quis dolentibus illis, & inflammatis partibus vim facere vellet, intenderentur ſymptomata, & convulſiones, aut gangræna arceſſeretur; dum interim difficile admodum, vel forſan impoſſibile tunc eſſet, oſſa in ſuum locum, ob partium tumorem, & rigiditatem, coaptare: ideo dixit Hippocrates: *Si ſtatim quis occurrat, facile reponi poteſt*. Clariſſimis verbis hoc idem præceptum tradidit *Celſus lib.* 8. *cap.* 22. inquiens: *Quicquid autem loco ſuo motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt. Si illa occupavit, dum conquieſcat, laceſſendum non eſt: ubi finita eſt, tentandum eſt in his membris, quæ id patiuntur.*

(6) ADDUCERE. In hac luxationis ſpecie brachium extentum eſt, & flecti nequit, quia proceſſus olecrani, in anteriorem partem tranſgreſſus, cubiti flexionem impedit: oportebit igitur tali modo repoſitionem inſtituere, ut is proceſſus trochleam humeri ſubire, atque in poſteriorem partem, in ſuam ſcilicet ſedem, regredi cogatur. Opportuniorem, atque magis expeditam rationem, qua id aſsequi poterimus, in hoc textu docet Hippocrates, dum ait: *Oportet linteum durum convolutum (ſuffecerit non magnum) imponere obliquum;* vel, ut alii Expoſitores interpretati ſunt, *tranſverſum, in cubiti flexuram, & de repente cubitum inflectere, & manum quammaxime ad humerum adducere*. Ut hoc modo reſtitutio optime fiat, recte aſsequi mentem Hippocratis Chirurgus debet: multos enim Auctores legimus, qui, licet eis Medicinæ Parens præfulſerit, de hiſce tamen operationibus perfunctorie admodum locuti ſunt. *Sculletus tab.* 24. *fig.* 1. hanc Hippocratis operationem adumbrat; ſed Hippocratis verba referendo, nimis ſimpliciter reſtituendi rationem proponit, dum ait: *Expedit autem faſciam glomeratam, ſeu linteum durum implicitum, non magnum, qua parte cubitus curvatur, tranſverſum injicere, tum repente cubitum flectere, & quantum maxime poteſt, manum ad humeri caput porrigere: hæc enim reponendi ratio iis, quæ ſic in priorem, & poſteriorem partem luxata ſunt, reſtituendis, ſufficit. Sculletus* igitur, ex Hippocratis mente, ait faſciam glomeratam in cubiti flexura admotam, & flexionem cubiti repente factam, ad hujus luxationis reſtitutionem ſufficere. Res tamen ejuſmodi eſt, ut multam operam, induſtriamque requirat; atque *Sculteto* ſummopere inviderem, ſi adeo ſimplici modo, tantaque felicitate hujuſmodi luxationes reſtituerit. Adnotandum etiam hic eſt, quod *Sculletus* luxationem quoque in poſteriorem partem, hoc eodem modo reponit, quod Hippocratis auctoritati, & rationi maxime adverſatur, ut inferius patebit. Hæc operatio ab extenſione debet omnino exordiri, quæ quamvis in hoc textu ab Hippocrate ſilentio prætermiſſa videatur, ea tamen ſubintelligenda eſt; nam is ab extenſione in reponendis omnibus fracturis, & luxationibus exordiendum perpetuo eſſe, jam gene-

©BIU Santé

Sufficiens igitur fuerit hæc repoſitio his, qui ita eluctati ſunt (7). Sed & extenſio in directum, hunc repoſitionis modum coaptare poteſt: volis tamen manus in eminentem brachii partem injectis, juxta flexuram retro impellere oportet, ita ut aliquis inferne iiſdem in cubiti

generatim docuerat. Si ergo linteum convolutum durum, & non nimis magnum ad cubiti flexuram tranſverſim, ſupra luxatum olecranon impoſuerimus & duobus capitibus, veluti habenis, utrinque ad poſteriorem cubiti partem adduxerimus, factaque brachii debita extenſione per miniſtros, qui in diverſa contendant, repente, uno ipſo, eodemque tempore & Chirurgus linteo convoluto olecranon ad poſteriora trahat, & miniſter, qui deorſum extendit, cubitum flectat, & manum quam maxime ad humerum adducat, tunc oſſa luxata multa vi, optimaque ratione in ſuam ſedem impellentur: quod maxime erit ſecundum mentem Hippocratis. Idem ſenſiſſe *Celſus* videtur, qui *lib.* 8. *cap.* 16. ait: *Ergo ſi in priorem partem cubitus prolapſus eſt, extendi per duas manus, interdum etiam habenis injectis ſatis eſt. Deinde rotundum aliquid a lacerti parte ponendum eſt, & ſuper id repente cubitus ad humerum impellendus eſt.* Eandem extenſionis, & repoſitionis rationem docet *Paræus lib.* 15. *cap.* 33. Linteum illud convolutum in hac operatione utiliſſimum omnino eſt, quia hoc modo multa vi olecranon comprimi, atque in ſuam ſedem repelli poterit. Non abſimilis admodum eſt illius operationis ratio, quam pro hac luxatione tradit *Fabricius ab Aquapendente lib.* 5. *cap.* 5. *Pentateuth.*, ubi ſcripſit. *Tertio duo miniſtri ſimiliter extendant; habena vero ponetur ad cubitum luxatum, & infra tam longa ligabitur, ut pes Chirurgi poſſit ei tamquam ſtapedis inniti: facta igitur extenſione, & habena deorſum tracta a pede Chirurgi, poſtea Chirurgus manus apponet ad ipſum cubitum, & retro comprimens hunc inflectet: ſic enim reponetur.* Hic reponendi modus apud *Guidonem de Cauliaco* reperitur, ex quo *Fabricius* deſumpſiſſe videtur, nullam quamvis de eo mentionem is fecerit. *Nicetas* tamen Hippocratis mentem perbelle illuſtrat, ubi de hac luxatione in *Græcorum Chirurgorum Collectione lib.* 83. *ex Oribaſio* refert: *Hoc igitur ubi fieri poteſt, manus noſtræ perficiunt, os reponendum propellentes, ubi id fieri nequit, manuum vice quiddam aliud molimen, ut faſcia nunc tranſverſa, adhibetur. Cum enim noſtræ manus dum flectunt, humerum una retrorſum impellere nequeant, flexionem ipſam impediremus illis humero, cubitoque interjectis, ideo faſciæ illa molitio, & impulſio excogitata fuit. . . . Neque faſciæ dumtaxat capita ex utraque parte continere præcipio, ſed retrorſum ſimul, quam maxime compellere, dum brachium homo flectit.* Ex quibus omnibus, quomodo linteum convolutum ad cubiti flexuram imponi debeat, & qua ratione repente cubitus inflectendus ſit, clariſſime intelligimus, totuſque Hippocratis textus illuſtratur.

(7) ELUCTATI SUNT. Hæc luxatio in in anteriorem partem præfata ratione reſtitui facile poterit, dummodo, ut Hippocrates dixit, ſtatim quis accurrerit; atque non aliter in ludis gymnaſticis, ubi hujuſmodi luxationes frequentiſſime accidere ſolebant, niſi hac ratione, veteres illos Chirurgos, atque ipſos etiam Jatraliptas, hanc luxationem ſtatim, ac feliciter reponere conſueviſſe credendum eſt, unde Hippocrates experientia doctus dixerit; *Sufficiéns igitur fuerit hæc repoſitio his, qui ità eluctati ſunt.*

©BIU Santé

biti gibbum injectis, ad cubiti rectitudinem retrudat (8). Efficax est etiam in hoc luxationis modo illa extensio, quæ prius scripta est, quomodo ossa brachii fracta extendere oportet, ubi sunt deliganda. Postquam vero extenta fuerint; sic cum manuum volis injectis coaptationes facere, velut etiam prius scriptum est (9).

(8) RETRUDAT. Quoties autem præfato modo nequeat hæc luxatio in suam sedem restitui, extensione in directum uti possumus; sed tunc oportet, ut quis palmis suarum manuum eam humeri extremitatem, quæ tunc præter naturam in cubiti curvatura extat, retro impellat, alter vero, pariter palmis supra emotum olecranon injectis, ad cubiti rectitudinem id retrudat: sic enim elevato humero, atque cubito depresso, spatium, quodammodo angulare, in articulo fiet, quo olecrani regressus facilior redditur.

(9) SCRIPTUM EST. Qualis sit ille modus, quem prius descripsit Hippocrates ad brachium fractum extendendum, jam vidimus *cap.* 8; eodem quoque artificio hanc luxationem extendi posse ait; & tunc manuum volis, ut antea scripsit, offium coaptationem faciendam esse monet. Aliis etiam, variisque modis luxationem hanc plures Chirurgiæ scriptores reponere docuerunt. *Guido a Cauliaco Tract. 6. Doctrin. 1. cap. 5.* ait: *Ego autem reduco anteriorem cum genu, posteriorem, ut Avicenna ponit. Et eodem modo faciebat Romanus, & Boemus restauratores fortunati. Modus autem cum scaffa, & cum calcaneo, & cum genu appropriantur ad anteriorem dislocationem.* Modus cum scaffa ille est, quem superius descripsimus *not.* (6) ex *Fabricio ab Aquapendente*; de reliquis autem modis sic ibidem narrat *Guido*. *Modus cum pede. Brachium per planum extenditur: & dum trahitur eminentia cum calcaneo premitur: & brachium ad humerum applicatur. Modus cum genu. Brachium extenditur, & dum trahitur eminentia, cum genu impellitur: & brachium ad humerum applicatur.* Ex his omnibus facile eruimus, doctrinam Hippocratis omnino esse ceteris præferendam.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XLIV.

Brachium in posteriorem partem luxatum.

CEterum, si in posteriorem partem brachium exciderit (1); (raro autem hoc contingit (2)) hæc luxatio omnium maxime dolorosa (3) existit, & febres continuas meracæ bilis paucorum dierum, ac maxime

(1) EXCIDERIT. Omnes luxationis cubiti species, quemadmodum differunt inter se, essentia, & symptomatis; sic etiam unaquæque differentem curationem requirit, uti ex his luxationibus ab Hippocrate hucusque expositis, cognovimus; quod etiam hoc in capite, ubi de cubiti luxatione in posteriorem partem docere instituit, perspicuum erit. In hac enim luxatione, quæ posterius fit, & præcedenti opponitur, omnia contrario eveniunt; hoc quippe in casu processus coronoides cubiti, trochleam humeri subit, & in posteriorem partem, ubi processus olecrani sedes est, transgreditur; ex quo, ut ait *Celsus lib.* 8. *cap.* 16. *Brachium curvum est, neque extenditur, breviusque altero est.* Præterea in flexura cubiti, locus, unde processus recessit, magis concavus, &, ut ait *Oribasius*, *rugosior* apparebit; locus contra, qui in parte posteriori est, tumorem habebit; signa hæc iis omnino adversantur, quæ in luxatione ad anteriorem partem accidunt: unde harum luxationum varietates signis hisce dilucide patefiunt.

(2) CONTINGIT. Hæc luxationis cubiti species, in qua ad posteriorem partem articulus transgreditur, aliarum omnium cubiti luxationum rarissima est; quia in deflexione brachii fieri debet; nam si vis in brachium extentum facta fuerit, radii extremitates, & cubiti cavitas sygmoidea in trochleam humeri recta impingent, & si vis magis urgeret, tunc luxatio non in posteriorem partem, sed in lateralem potius, aut anteriorem fieri posset. Naturalis enim articulationis cubiti ad omnimodam flexionem constitutio finit, ut in his casibus magnopere, & violentissime flecti possit, quin luxetur; quo fit, ut violentæ illæ causæ, quæ brachio luxationem inferre solent, si ita incidant, ut brachium ad flexionem impellant, eludantur, & nulla luxatio fiat; ideo dixit Hippocrates; *Raro autem hoc contingit.*

(3) DOLOROSA. A duabus potissimum causis intensior in hac luxationis cubiti specie, quam in aliis, excitatur dolor: a valentiori scilicet musculorum, qui brachium flectunt, distractione, & a nervorum brachii vexatione, quorum majores propagines circa cubiti flexuram prorepunt. Equidem primo intuitu, & rem perfunctorie consideranti, hoc secus debere contingere videretur; nam, quum in luxatione ad anteriorem partem, longus ille olecrani processus, in posteriori cubiti parte extans, in anteriorem partem transgrediatur, major proinde ossium segregatio, articulique amplior prolapsio fit, quam in hac luxatione in posteriorem partem, in qua processus coronoides qui multo tenuior olecrano est, emovetur, unde major etiam musculorum, nervorumque distractio in luxatione illa sequi, ut videtur, deberet; atque inde luxatio in anterio-

©BIU Santé

xime lethales inducit, & tales extendere brachium non poſſunt (4). Si igitur ſtatim affueris; extenſio cubiti gibbo cogere oportet, & ſponte

teriorem partem ceterarum cubiti luxationum maxime doloroſa effici. At Hippocrates, qui nihil ſine ſumma animadverſione, & experientia propoſuit, contrarium affirmat, dicens: *Si in poſteriorem partem brachium exciderit, hæc luxatio omnium maxime doloroſa exiſtit*. Brachii autem fabricam anatomica diſquiſitione ſedulo contemplari oportet, ut hujus ſymptomatis rationem facile eruamus: conſiderandum enim eſt, quod brachium ſecundum naturam ad anteriorem partem ſummopere flecti poteſt, minime vero ad poſteriorem: quoniam, extento brachio in directum, proceſſus olecrani ad poſteriorem humeri foveam impingit, & cubiti flexionem ad poſteriora impedit; hinc maximopere cubitum ad anteriorem partem flectere poſſumus; ſed quum extendimus, eum ultra rectitudinem ad poſteriora deflectere nequimus. Illos propterea muſculos, qui extenſioni brachii inſerviunt, Longum videlicet, & Brevem extenſorem, & Brachialem externum, qui proceſſui olecrani inſeruntur, laxos admodum Natura debuit concinnare, ut in cubiti flexione minime reniterentur, ſed amplam proceſſus olecrani volutationem libere ſequerentur; quorum muſculorum laxo contextu fit, ut, quamvis in luxationibus cubiti ad anteriorem partem oſsa maxime diſparata ſint, attamen non adeo ingentem diſtractionem hi muſculi extenſores, qui olecrano adhærent, perpetiantur. Verum econtra muſculus Biceps, & Brachialis internus, qui cubiti flexioni inſerviunt, ita conſtituti ſunt, ut ipſa ſola extenſione brachii in directum, tenuiſſimi ſint, neque ſine eorum diſtractione, ac dolore, brachium ad poſteriorem partem quivis inclinare poſſit. Quum ergo in luxatione ad poſteriorem partem, oſsa cubiti, & radii, in quibus horum muſculorum inſertiones ſunt, longius de naturali ſede decedant, violentiſſima, maximeque doloroſa muſculorum flexorum diſtentio fieri debet. Nervi præterea Muſculo-cutaneus dictus, & Cubitalis, aliæque nervorum cervicalium propagines, quæ ad univerſum brachium deſcendunt, uti & arteria brachialis, per internam flexuræ cubiti partem tranſeunt; quare in hac luxatione ad poſteriorem partem ea omnia ſummopere vexantur, ac comprimuntur, quæ ſane occaſionem effato Hippocratis præbuerunt: *Hæc luxatio omnium maxime doloroſa eſt*.

(4) NON POSSUNT. Hoc idem ſcripſit *Celſus lib. cap. 16.* inquiens: *Si in poſteriorem partem brachium curvum eſt, neque extenditur, breviuſque altero eſt: Interdum febrem, vomitumque bilis movet*. Muſculi enim ſic violentiſſime diſtracti, nervique compreſſi, inflammantur, unde acutiſſimi dolores, febres continuæ, atque convulſiones excitantur; ex quo bilis etiam vomitus quandoque commovetur; & niſi opportunis remediis conſulatur, paucorum dierum ſpatio, vel ſphacelo, vel convulſione ægrotus perire poterit. In tali luxatione hæc graviſſima mala contingere, confirmat *Theodoricus lib. 2. cap. 48.* ubi ait: *Et cave, ne tardetur ejus curatio quouſque ſupervéniat calidum apoſtema: imo feſtinetur ſtatim, antequam apoſtema properet propter vehementiam doloris: quia poſtquam accidit, fit ejus reductio difficilis valde: & fortaſſe non recipit ſanitatem omnino, & præcipue ſi fuerit diſlocatio ad poſteriora, & fortaſſe moritur infirmus propter*

©BIU Santé

ſponte incidit (5). Si vero febris prævenerit, non amplius reponere oportet: dolor enim in cogendo augeſcet (6). Ut autem in ſumma dicam, neque alium articulum febrienti reponere oportet, minime vero cubiti gibbum (7). Sunt autem & aliæ (8) læſiones, ac moleſtiæ circa

pter gravitàtem doloris. Animadvertendum etiam eſt, quod præter generalia ſigna, quibus ad contactum cognoſcimus, quorſum os proruperit, hoc ſpeciatim in hac luxatione evenire monet Hippocrates, quod ſcilicet tales *extendere brachium non poſſunt*, ſed flexum tenent; dum econtra de luxatione in anreriorem partem, dixerat: *Nihil enim de cubito ſtectere poſſunt*.

(5) INCIDIT. In *not.*(1) hujus capitis obſervavimus, quod in hac luxatione cubiti, proceſſus coronoides in poſteriorem trochleæ humeri partem tranſgreditur, ubi infixus hæret; unde brachium, a muſculis flexoribus contractum, nequit extendi. Ut igitur hæc luxatio reſtituatur, oportet, proceſſus coronoides de poſteriori humeri parte excludatur; quod facile fit, ſi humerum, cubitumque in diverſa trahendo, & cubiti gibbum, ſive poſteriorem partem, in quam os erupit, impellendo, brachium extenderimus; nam hoc modo proceſſus coronoides a cubiti extenſione, veluti a vecte, in anteriorem partem emovebitur, & in ſuam ſedem, ut ait Hippocrates, *ſponte incidet*. Ut hanc luxationis ſpeciem reſtitueret, hoc machinamenti genere utebatur *Ambroſius Paræus*. Curabat nempe, ut brachium luxatum leviter inflexum, aliquam columellam, vel lecti fulcrum flexura amplecteretur, atque tunc extendendo, & manibus, vel habenis a poſteriori parte olecranum adducendo, in ſuam ſedem oſſa impellebat. Duabus elegantiſſimis figuris hujuſcemodi operationis moliendæ modum expreſſit idem *Paræus lib.* 15. *cap.* 32.

(6) AUGESCET. Hanc oſſium repoſitionem fieri debere monet Hippocrates, *ſi ſtatim affueris*, quoniam curationem quotieſcunque ſuſceperimus, quum jam inflammatio, atque febris ſupervenerit; tunc (quemadmodum pluries ſuperius docuit) repoſitio non eſt tentanda, niſi poſtquam ea ſymptomata ſubſederint; quod plerumque non ante diem ſeptimum ſperari poteſt. Si enim iis ſymptomatibus adhuc gliſcentibus vis oſſibus inferatur, morbus, dolore aucto, non ſine ægroti diſcrimine, exacerbabitur.

(7) GIBBUM. In quacunque luxatione, aut fractura, dum adeſt inflammatio, & febris, oſſa non reponenda eſſe Hippocrates præceperat; monet autem in hoc textu, quod præ ceteris, *minime cubiti gibbum febrienti reponere oportet*. Quum autem dixerit: *Hæc luxatio omnium maxime doloroſa exiſtit*; eadem ipſa ratione, graviora ſymptomata ſubſequi debere intelligimus: maxima enim muſculorum diſtractio, nervorumque vexatio in hac luxatione fit, veluti *not.*(3) adnotavimus.

(8) ALIÆ. Poſtquam Hippocrates omnes luxationum cubiti differentias ſedulo diſquiſivit, & aptam unicuique, accommodatamque curandi rationem tradidit; ne ad horum oſſium emotionem ſpectans quidquam prætermitteret; aliam hujus generis noxæ ſpeciem docere proſequitur, quæ non proprie luxatio, ſed diaſtaſis, vel diſtantia oſſium, nominatur, quemadmodum animadvertimus *not.* (1) *cap.* 17. ubi *Galenum comment.* 3. *text.* 31. *Chirurg Officin.* hanc oſſium diſtantiam, ſic a luxatione diſtinguere novimus: *Diſtantias autem vocat Hippocrates, quum oſſa, quæ ſeſe*

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 318 sur 355

©BIU Santé

circa cubiti gibbum: hoc enim os craſſius (9), ſi quando ab altero emotum eſt (10), neque flecti, neque extendi ſimiliter poteſt (11). Ma-

citra ullam articulationem contiugunt, ob aliquod incommodum reſiliunt, & ſeparantur: atque in libris de articulis, & de fracturis, de oſſibus ipſe mentionem fecit, quæ a ſeſe mutuo ſeparantur, & nominatim quidem in brachio de cubito, & radio &c. De hac igitur læſione circa cubiti gibbum nunc loquitur Hippocrates, in qua oſſa, quæ non per Arthroſim, ſed per Symphyſim conjuncta ſunt, ſeparantur.

(9) CRASSIUS. Os craſſius radium vocat Hippocrates, uti adnotavimus *not.* (7) *cap.* 40. ubi dixit: *At cubiti oſſa inæqualia ſunt, & quod brevius eſt, multo craſſius eſt.*

(10) EMOTUM EST. Duobus validiſſimis ligamentis os radii cum oſſe cubiti firmiter conjunctum eſt; quorum alterum *Interoſſeum*; alterum *Coronarium radii a Winſlovvio* nominatur. Ligamentum interoſleum e duobus potiſſimum fibrarum planis, robuſtis admodum, oblique ſeſe decuſſantibus, componitur, quod inter utrumque os per longitudinem extenſum, ea adnectit. Coronarium vero eſt circulus quidam ligamentoſus, adeoque robuſtus, ut ad ſoliditatem cartilaginis proxime accedat, qui marginem circularem capitis oſſis radii circumdat, & oſſi cubiti annexum tenet; de quibus accuratiſſimam dedit deſcriptionem *Winslovvius Tract. de Oſſibus recentibus*. Ab aliqua violenta cauſſa, ut lapſu, ictu, & ſimilibus, hoc os radii ab oſſe cubiti ſeparari poteſt; quod non ſine horum ligamentorum diſtractione, ac laceratione continget. De hac radii ob oſſe cubiti diſtractione ſcripſerunt *Oribaſius*, & *Galenus*, uti videre eſt in *Collection. Nicetæ pag.* 145., atque idem *Oribaſius lib. de Machinamentis titul. de Cubito*, ſic ait: *Læditur per ſe cubitus radio inviolato: dehiſcit ſeorſum radius, cubito in ſua ſede manente: vid. Chirurg. Græcor. Vidii pag.* 526. At *Petitus* hanc oſſis radii diaſtaſim non facile admittit; nam *lib. des Maladies des Os Tom.* 1. *Chapitr.* 8. ſcripſit: *Outre les luxations differantes dont nous aun parlè, on en compte encore une, d'une eſpece particuliere, qu'on nomme diaſtaſis, ou l'ecartement des os de l'avant-bras. Tout le mondè en parle comme d'une maladie aſſez ordinaire; cependant il me ſemble, qu'elle eſt egalement impoſſible, ſoit dans les luxantion de l'avant-bras ſur le cotè, ſoit dans la luxation, ou l'entorſe du poignet.* Plurimi quoque Auctores has oſſium emotiones, ſive diaſtaſes in eorum tractatu de luxationibus ſilentio præteriere, ex eo fortaſſe, quod ipſas nunquam curarint: ſed quamvis raro accidant, quandoque tamen hujuſmodi emotiones occurrunt; quemadmodum experientia conſtat, & graviſſimos Auctores non latuit. *Celſus lib.* 8. *cap.* 11. hæc inquit: *Moventur autem oſſa ſedibus ſuis, duobus modis. Nam modo quæ juncta ſunt inter ſe, dehiſcunt, ut cum latum ſcapularum os ab humero recedit, & in brachio radius a cubito: & in crure tibia a fura: interdum a ſaltu calcis os a talo, quod raro tamen fit. Modo articuli ſuis ſedibus excidunt.* Neque oculatiſſimus Hippocrates hanc radii a cubito emotionem nunc poſuiſſet, niſi id quandoque accidiſſe certiſſima experientia cognoviſſet. Quantus enim fracturarum, & luxationum indagator fuerit Hippocrates, quantaque accurata diſquiſitione de earum natura, & differentiis ſcripſerit, ex his omnibus, quæ hucuſque adnotavimus, luculentiſſime patet: atque in hoc caſu objicere iis poſſumus, qui talem diaſtaſim in dubium revocant, eadem illa

©BIU Santé

Manifeſtum autem fit ex contactu, juxta cubiti flexuram, circa venæ diſciſſionem ſupra muſculum tendentem (12). Quibus autem tale accidit, his non amplius facile eſt ad ſuam naturam reducere: neque enim aliam ullam communem duorum oſſium connexionem emotam, ad priſtinam naturam collocare facile eſt: ſed neceſſe eſt tumorem habere ipſam diſparationem (13). Quomodo vero deligare oportet in articulo, dictum eſt in deligatione circa malleolum (14).

illa verba, quæ ipſe protulit *cap.* 43., dum ait: *Sed quid repentina eluctatio non ejecerit?*

(11) POTEST. In radii a cubito emotione, quantum hæc oſſa a naturali mutua conjunctione receſſerint, articulationis integritas tantundem deturbabitur, & adnexi muſculi diſtrahentur: unde ob vitiatam articulationem, doloremque, brachium *neque flecti, neque extendi poteſt*.

(12) TENDENTEM. In *Collect. Nicetæ cap.* 83. *ex Oribaſio* ita ſcriptum eſt: *Ubi radius, qua cubito adjunctus eſt ab eo diſtrahitur, tanto latior totus locus apparet, quanto hæc oſſa mutuo receſſere*; ſed præter partis affectæ majorem latitudinem, id quoque palam contactu fit; nam ſi circa cubiti flexuram, ubi vena mediana (quæ ſupra tendinem muſculi bicipitis excurrere ſolet) a vena baſilica diſpertitur, manum admoverimus, hæc oſſium disjunctio manifeſto dignoſci poterit.

(13) DISPARATIONEM. Hujuſmodi oſſis radii diſparatio, ſive diaſtaſis, non ſine ligamentorum interoſſei, & coronarii laceratione fieri poteſt, quæ ligamenta, quum duræ, validæ, elaſticæque ſubſtantiæ ſint, ſemel violenter elongata, atque delacerata, nunquam, vel ſane admodum difficulter, priſtinum robur acquirunt, neque ita arcte, ut ante, oſſa deinde connectunt; ſed frequentiſſime alterum os ab altero, modo plus, modo minus, pro noxæ magnitudine, diſparatum relinquunt; ex quo neceſſe eſt, ut ea pars tumidior, atque deformis appareat. Hoc non modo in hac radii emotione, verum etiam in omnibus aliis oſſium per ſymphyſim conjunctorum emotionibus evenit: veluti animadvertit *Vidius lib.* 7. *de Curation. generatim cap.* 14. ubi ait: *Scire tamen licet, oſſa diducta nunquam ex toto reverti ad priorem nexum, ſed reddi ſemper locum tumidum, ac deformem, quamvis neque imminuatur uſus, neque impediatur motus*. Sic etiam *Franciſcus Rudius lib.* 4. *de Morbis externis cap.* 3; poſtquam dixerat, quod clavicula, quoties a proceſsus ſcapulæ conjunctione receſſerit, nunquam in naturalem, priſtinamque ſedem revertitur, ſed aut magis, aut minus e ſuperiori humeri parte ſemper prominet; de reliquorum oſſium disjunctionibus, hæc generatim protulit: *Neque enim aliud os ullum in priſtinam ſedem revertitur, quod receſſerit ab aliquo oſſe, cum quo naturaliter jungeretur*. In veris autem luxationibus hujuſmodi diſparationes articulos raro afficiunt, quia ligamenta capſularia, non ita ſunt tenſa, ſed articulos, qui mobiles, volubileſque ſunt, laxe nectunt; hinc neque in oſſium emotionibus lacerantur, ſed diſtenduntur: & reſtituta luxatione, hæc ligamenta iterum contrahuntur, atque, ut ante, articulum amplectuntur; quamobrem nulla ſolet diſparatio, aut tumor in hoc caſu ſupereſſe.

(14) MALLEOLUM. Has offium emotiones curare jubet Hippocrates eo modo,

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 320 sur 355

©BIU Santé

do, quem ipse docuit in deligatione circa malleolum, ubi dixit: *Verum linteis, & spleniis pluribus uti oportet: & in totum hinc, atque illinc deligare, comprimere item velut alia omnia, ea maxime parte, qua emota sunt, & primas quoque linteorum obvolutiones eodem modo facere. In unaquaque vero resolutione multa calida aqua uti oportet. Vid. cap. 11.*

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XLV.

Os cubiti brachio ſubjectum fractum. Oſſium fracturæ, venarum, aut nervorum in iis contuſione, minus noxiæ.

QUibuſdam autem os cubiti brachio ſubjectum frangitur (1), quandoque quidem cartilaginoſa ipſius pars, ex qua tendo retro brachium enaſcitur (2): & ubi hæc emota fuerit, febrile eſt, ac malignum (3). Articulus tamen manet in ſuo loco; æqualiter enim baſis ipſius hac parte excedit (4). Quum autem abdu-

(1) FRANGITUR. Alterum noxæ genus, quod in cubiti articulo accidere poteſt, fractura olecrani eſt; illius nempe apophyſeos, quæ multum prominet in parte poſteriori, & ut ait Hippocrates, humero ſubjecta eſt. Semilunarem ipſa cavitatem conſtituit, quæ ab olecrani vertice, ad apicem uſque coronoidis proceſſus duas in facies dividitur. Harum facierum inferior ſupra apophyſim coronoidem ſternitur, altera in olecrano inſculpta eſt. Hæc olecrani pars, ubi utræque cavitatis ſygmoideæ facies conjunguntur, eſt anguſtior, atque ejus extremitas, tuber aſperum, ab Anatomicis nuncupatur. In hac igitur parte olecranon, ubi tenuius reperitur, vehementi allato ictu, frangi poterit.

(2) ENASCITUR. Tendo, qui retro brachium enaſcitur, eſt robuſtus ille tendo, quem tres extenſores cubiti muſculi conflant, & in aſperam olecrani partem inſeritur. Hæc tuberoſa olecrani pars, oſſea eſt in adultis, in infantibus vero cartilaginea, uti oſtendit *Theodorus Kerikringius* in ſua *Oſteogenia*; atque retulit *Jacobus Mangeti Biblioth. Anatom. tab. 86.* Quum igitur dixerit Hippocrates; *Frangitur quandoque quidem cartilaginoſa ipſius pars, ex qua tendo retro brachium enaſcitur*; intelligendum, contingere hoc in infantibus, in quibus proceſſus olecrani in oſſeam naturam nondum converſus eſt, ſed adhuc cartilagineus deprehenditur.

(3) MALIGNUM. Nequit olecranum frangi, niſi maximo ictu percuſſum fuerit; quoniam duriſſima apophyſis eſt, atque etiam ab humeri trochlea, quam amplectitur, ſuſtentatur. Quoties autem ejuſdem fractura contigerit, id ictui vehementiſſimo tribuendum; proinde tendines, ligamenta, nervi, atque vaſa, quæ univerſum cubiti articulum circumveſtiunt, gravi contuſione afficientur; unde inflammationes, febres violentæ, aliaque Symptomata, quæ ſuperius in cubiti luxationibus Hippocrates recenſuit, ſubſequentur.

(4) EXCEDIT. In olecrani fractura articulationis oſſa non emoventur; ſed in ſua ſede manent. Olecranum enim, quamvis ejus facie concava dimidium cavitatis ſygmoideæ conſtituat, qua cum poſteriori trochleæ humeri parte articulatur; non proinde tamen ob ejuſdem fracturam articulus de ſua ſede emovetur: quo-

©BIU Santé

ctus fuerit ea parte, qua caput brachii excidit; vagabundus magis fit articulus, quam si penitus sit abruptus (5): nam, ut in summa dicam, omnia ossa, quæ franguntur, minus noxia sunt, quam si ossa quidem non frangantur, venæ autem, & nervi alicujus momenti in his locis contundantur: vicinius enim ad mortem accedunt hæc, quam illa, si febris continua accesserit (6). Paucæ tamen tales fracturæ (7) fiunt. Quandoque vero hoc brachii caput juxta appendicem (8) frangitur: atque hoc quum videatur multo magis no-

quoniam alterum dimidium cavitatis sygmoideæ, quod supra processum coronoidem est, & cavitas glenoidea radii, integram articulationem in suo loco cum trochlea humeri servant, atque sustentant; unde quamvis hoc os, quod hac parte excedit, frangatur; *articulus tamen manet in suo loco*.

(5) ABRUPTUS. Hic Hippocratis locus ex interpretatione *Cornarii* est valde obscurus; sed apud alios omnes interpretes clarius, atque diverso modo expositus est; *Vidius* nanque, a quo neque *Foesius*, neque *Calvus*, neque *Filicianus*, neque *Trincavellus* in lectione hujus textus multum discrepant; ita scripsit; *At quum ea pars comminuitur, quæ subjecta est humeri capiti, articulus huc, atque illuc movetur, si transversa penitus frangitur*. Equidem hujusmodi expositio magis est Hippocratis menti consentanea; dum effectum, qui debet olecrani fracturam sequi, declarat; etenim, quum brachium in directum extentum, ulterius, ad posteriorem scilicet partem, flecti nequeat, quia id remoratur olecranum, quod in posteriorem humeri foveam impingit, & hæret: ideo quotiescunque olecranum penitus transversim frangitur, articulus veluti abrupto freno, *vagabundus magis fit*.

(6) ACCESSERIT. Hucusque observavimus, quod omnia prava symptomata, ipsaque mors, quæ in fracturis, atque luxationibus obveniunt, non propter ossium læsionem, sed propter circumpositorum nervorum, vasorum, musculorum, tendinum, ligamentorumque contusiones, atque lacerationes, accidunt; ex his enim gravissimæ inflammationes, febres acutæ, gangrænæ, sphaceli, & convulsiones proficiscuntur; unde eadem in hoc textu commemorans Hippocrates, ait; *Omnia ossa, quæ franguntur, minus noxia sunt, quam si ossa quidem non frangantur, venæ autem, & nervi alicujus momenti in his locis contundantur*. Ex quibus concludendum est, quod ingens in articulatione cubiti contusio, etiamsi nulla facta fuerit fractura, omnia poterit enarrata symptota excitare.

(7) FRACTURÆ. Quare tales olecrani fracturæ paucæ sint, superius *not.* (3) consideravimus.

(8) APPENDICEM. Aliam fracturæ speciem, quæ circa cubiti articulum accidere potest, nunc commemorat Hippocrates; extremitatis scilicet humeri juxta appendicem, sive condili interni, fracturam indicat. Quod condilus internus extremitatis inferioris humeri, brachii caput ab Hippocrate vocitetur, jam superius observavimus *not.* (15) *cap.* 3.

©BIU Santé

noxium esse ; longe mitius noxis circa cubiti gibbum contingentibus existit (9).

(9) EXISTIT. Hujusmodi fractura, quamvis multo magis noxia videatur, quam fractura olecrani, quia in hoc casu articulus cum fragore nutat, in olecrani vero fractura articulus in sua sede manet; longe tamen mitius malum est. Nam in capitis brachii fractura juxta appendicem, major arteria, majores nervi, musculi, tendines, ligamenta non facile vexantur, ut in fractura olecrani contingere observavimus.

CAPUT

©BIU Santé

CAPUT XLVI.

Epilogus.

QUomodo igitur ſingulas luxationes reponere, & præſertim curare oportet, ſcriptum eſt: & quod ſtatim reponere articulum maxime confert, propter celeritatem inflammationis nervorum: nam etiamſi elapſa ſtatim repoſita fuerint, ſimiliter tamen nervi diſtentionem facere ſolent, & ad tempus aliquot tum extenſionem, quam facere ſolent, tum inflexionem impedire (1). Confert autem omnia hæc ſimiliter curare, & quæ franguntur, & quæ diſparantur, & quæ luxantur: omnia enim multis linteis, & ſpleniis, & cerato curare oportet, velut etiam alias fracturas (2), At figuram cubiti gibbi in his etiam omnino talem facere oportet, qualem in his, quibus brachium fractum, & cubitus deligabatur; communiſſima enim omnibus luxationibus, & emotionibus, & fracturis, hæc figura (3) eſt. Communiſſima item ad diſtentionem poſtea

(1) IMPEDIRE. In hac textus particula a *Cornarii* lectione deſcivi; quippe apud eum, non *inflexionem*, ſed *influxionem impedire*, ſcriptum inveni; atque ſimiliter ſcriptum comperi in variis aliis Cornarii editionibus, quas conſului, ut, an erroris eſſet typographicus, cognoſcerem. Sed quum ea lectio doctrinæ ſenſui non congruat, & *Foeſius*, *Galenique* omnes interpretes *inflexionem* ſcripſerint, hanc lectionem, utpote magis conſentaneam adhibui, omnino reputans, quod typographorum oſcitantia talis error in iis *Cornarii* editionibus, quas ego pervolvi, irrepſerit. Senſus enim textus eſt, quod in omnibus luxationibus, eæ quamvis ſtatim, & convenienti ratione repoſitæ fuerint; ſemper tamen muſculi, tendines, & ligamenta, quæ diſtractionem ſuſtinuere, aliquatenus rigeſcunt; unde poſt repoſitionem, ad aliquod tempus, quouſque ſcilicet hæ partes priſtinam recuperaverint flexibilitatem, libera articuli extenſio, atque flexio ſolet eſſe impedita.

(2) FRACTURAS, Quoniam Hippocrates de olecrani, & extremitatis humeri fracturarum, & emotionis radii curatione nihil docuerat; ideo ut omnia in unum comprehenderet, nunc iterum generatim monet, quod *omnia multis linteis, & ſpleniis, & cerato curare oportet, velut etiam alias fracturas.*

(3) FIGURA. In omnibus fracturis, luxationibus, atque emotionibus oſſium cubiti articulationem conſtituentium, brachium in eadem figuratione ad angulum deligare oportet, quam docuit in fracturis humeri, & cubiti; atque adeo ſecundum naturam hujuſmodi figuratio eſt, ut non modo in fracturis, & luxationibus, ſed etiam in contuſionibus, vulneribus, aliiſque brachii morbis, hæc figuratio præ quacunque alia figuratione ſit convenientiſſima.

©BIU Santé

ſtea faciendam, & ad ſingula extendenda, ac inflectenda: hinc enim viæ ſunt ad utraſque partes conſimiles (4). Commodiſſima eſt etiam hæc figura ipſi ægroto, ut ipſum & geſtet, & appenſum excipiat (5). His adde, ſi a callo apprehenſus fuerit, ſi quidem extenta minus apprehendatur; melius fuerit, ſi non adſit; multis enim impedimento erit, paucis adjumento: ſi vero inflexa, magis quidem commoda fuerit. Verum longe commodior, ſi mediam figuram obtinens callo apprehendatur (6). Et hæc quidem de figura. Deligare vero oportet, primum lintei initio ſuper ipſam læſam partem injecto, ſive fracta fuerit, ſive emota, ſive diſparata: primas etiam obvolutiones ſuper ipſam facere, ita ut maxime hac parte innitantur, minus vero hinc, atque

(4) CONSIMILES. Hæc angularis figuratio commodiſſima etiam eſt ad eas brachii inflexiones peragendas, quas ad ancyloſim præcavendam, ubi inflammatio, & dolor ſubſederint, fieri debere, jam plures ſuperius adnotavimus. Sic enim brachium neque extentum, neque prorſus deflexum, ad utraſque contrarias motiones obeundas, æque diſpoſitum reperitur.

(5) EXCIPIAT. Alia utilitas, quæ ex hac figuratione cubiti eruitur, eſt commodum, quod percipit æger; nam tali modo brachium ad collum appenſum geſtare poterit; de qua re vid. quæ adnotavimus *not.* (4) *cap.* 4.

(6) APPREHENDATUR. Ut omnes commoditates, quas angularis figura afferre poteſt, recenſeret; animadvertit Hippocrates, quod hujuſmodi figura etiam utilis erit, ſi articulus poſt articulationem callo ſive ancyloſi, apprehenſus fuerit. A noxis enim circa articulos facile ligamenta, & tendines, nec non ipſa ſynovia, & glandulæ mucilaginoſæ articulares, tumere ſolent, atque indureſcere, ex quo ancyloſis oritur; quemadmodum *not.* (9) *cap.* 11. obſervavimus. Hoc in diſtractione radii accidere adnotavit *Oribaſius*, ut ex *Collect. Nicetæ cap.* 83.; ubi etiam curationem protulit, inquiens; *Oportet autem in his caſibus deligandi eadem ratione uti, quæ fracturis adhibetur, cubitum exterius, & ab interiori parte ipſius articuli flexum comprehendendo. Idcirco & ab eodem deligandi modo partes ad cubitum ægre mobiles ſæpe fiunt, atque malum patiuntur, quod ancyle vocatur, niſi quis eas continua perfuſione ex aqua, & oleo molliat, & poſtquam tempus inflammationis præteriit, aſſidue moveat tum in perfundendo, tum in labris, quando æger lavatur.* Quoties igitur tale etiam evenerit infortunium, minori ab eo ægrum incommodo affectum iri, Hippocrates aſſeverat, ſi brachium, mediam obtinens figuram; ſcilicet ſi ad angulum fere rectum figuratum; callo apprehendatur; nam ſi brachium extentum fuerit, & in ea figuratione callo ſit apprehenſum, id ita perpetuo gerere incommodiſſimum erit, & ad res agendas nullius eſſe poterit adjumenti; vel ſaltem pauci quidem illi erunt homines, quibus peculiari cuidam eorum muneri brachium extentum accommodet. Inflexum autem brachium minus recto erit incommodum: verum longe commodius omnino erit, ſi mediam figuram obtinuerit; ut unicuique facile patebit.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 326 sur 355

©BIU Santé

atque illinc (7). Deligationem autem communem facere oportet, & cubiti, & brachii, utriuſque multo plus, quam plerique faciunt; quo quam remotiſſime a læſa parte tumor hinc, atque illinc exprimatur (8). Circumdetur inſuper etiam acuta cubiti pars, ſive læſio in hac fuerit, ſive non; ut ne tumor ibi circa ipſam colligatur (9). Fugiendum vero eſt in deligatione, quantum ejus fieri poteſt, ut ne circa flexuram multa lintea coacervata (10) ſint. Compreſſio autem quamquam maxime circa læſam partem facienda eſt (11). Sed & reliqua com-

(7) ILLINC. Hæc omnia ſatis diffuſe docuit Hippocrates in *cap.* 5.

(8) EXPRIMATUR. Sive fractura, ſive luxatio in articulo cubiti contigerit, faſcias multum ad utraſque articuli partes producere jubet; ita, ut multam humeri, & cubiti partem comprehendant, quo tumores, qui ſolent ubi faſciæ deſinunt, oriri, quam remotiſſime a læſa parte exprimantur.

(9) COLLIGATUR. Dixerat Hippocrates, quod *deligare oportet primum lintei initio ſuper ipſam læſam partem injecto*; unde ſi læſio in olecrano, ſive acuta cubiti parte fuerit, ibi primum lintei initio erit deligandum: nunc autem monet, quod, quamvis in acuta cubiti parte læſio non fuerit, ſed prope, ut in fractura extremitatis humeri juxta appendicem, de qua loquuti fuimus *not.* (8) *cap.* 45. vel in diſparatione radii, ut *not.* (10) *cap.* 44., tunc acutam inſuper cubiti partem faſciis circumdare quoque oportet, ne tumor circa ipſam colligatur.

(10) COACERVATA. Quotieſcunque brachium deflexum deligatur, ſi multa lintea circa flexuram appoſita fuerint, hæc in deligatione acervatim, & inplexus inæquales cumularentur; quod cavere monet Hippocrates, nam id maxime incommodum erit, atque doloroſum; nec non ulcerationis, vel alius noxæ cauſa eſſe poſſet.

(11) FACIENDA EST. Quam diligenter Hippocrates omnes cautiones, quæ in faſciarum deligatione, tam in fractis, quam in luxatis, attendendæ ſunt, expoſuerit, jam pluries adnotavimus. Eadem tamen nunc iterum commemorare non ſupervacaneum duxit: tanti enim momenti ad felicem curationem conſequendam, faſciarum probe inſtitutam deligationem eſſe putavit, ut id nunquam ſatis inculcatum crediderit. Profecto omnes illos Chirurgos, qui optimis imbuti fuere præceptis ſeduloque edocti obſervatione, haud latent damna, aut utilitates, quæ non modo in fracturis, & luxationibus, verum etiam in contuſionibus, vulneribus, ulceribus, tumoribus, fiſtulis, aneuryſmatibus, aliiſque quamplurimis morbis, a faſciarum diſpoſitione proficiſcuntur. Plurima quandoque ſymptomata excitantur, quorum cauſa a ſola deligatione eſſet petenda; non advertentes tamen aliunde exquirunt, atque in eundem errorem incidunt, a quo ſuperius cavere eos monuit Hippocrates, qui fracturas cum vulnere hinc, & illinc deligabant, ubi dixit; *Non enim deligationem hinc, atque illinc factam, & ulceris perfrigerationem in cauſa eſſe putant, ſed aliud quoddam infortunium. Vid. not.* (16*) *cap.* 28. Læſam itaque partem quam maxime comprimendam eſſe nunc iterum monet; alioquin oſſa de ſua ſede facile excidere poſſent, & humorum influxiones circa locum affectum colligerentur, quod maximopere cavendum; quemadmodum obſervavimus *not.* (44) *cap.* 5.

©BIU Santé

compreſſio, ac laxatio eadem adhibeatur, & iiſdem temporibus ſingula, quemadmodum in oſſium fractorum curatione antea ſcriptum eſt. Et religationes poſtea per diem tertium fiant. Videatur autem laxa eſſe deligatio tertia die, velut etiam tunc. Et ferulæ conveniente tempore adhibeantur: neque enim alienum hoc eſt, & in his, quibus oſſa fracta, & quibus non fracta ſunt, ſi non febriant. Sint autem quam laxiſſimæ (12) partim a brachio extentæ, partim ad cubitum poſitæ, (13) & non ſint craſſæ. Neceſſe eſt etiam, inæquales ipſas eſſe inter ſe, ut viciſſim permutentur, qua parte conducit, conjectura juxta inflexionem (14) facta. Quin & ſpleniorum appoſitionem ejuſmodi facere oportet, velut de ferulis dictum eſt, ita tamen, ut paulo tumidiora ſuper læſam partem apponantur (15). Tempora

(12) LAXISSIMÆ. Varias luxationum ſpecies in hoc *de Fracturis* libro interpoſuit Hippocrates, cujus rei rationem perpendimus *not.* (1) *cap.* 40. De ſingulis autem iis luxationibus, oſſiumque emotionibus diagnoſtica ſigna, ſymptomata, prognoſin, atque curationem elegantiſſime protulit. Verum inter plurima, quæ tradidit, ad curationem pertinentia, minime ferulas adhibere propoſuit; ſed tantummodo ſcripſit; *Hos curare oportet cerato, & ſpleniis, & linteis, & aqua plurima, & linteis pluribus*. Nunc tamen in cubiti articulo non alienum eſſe docet, ferulas convenienti tempore adhibere, ſi quidem æger non febriat. Febris enim tumorem, atque inflammationem in parte affecta argueret, quæ ferulis vexare noxium eſſet, ut jam pluries Hippocratem monuiſſe adnotavimus. Ferulas igitur tam quibus articulationis cubiti oſſa fracta ſunt, quam quibus non fracta, conferet apponere, ut ſtabilius in ſua ſede retineantur. Hujuſmodi enim articulus, ob varias, multipliceſque brachii, manuſque volutationes, plus ceteris undequaque delabi poteſt; quare ſolis ſpleniis, & faſciis non ſatis tuto retineretur. Ne autem nervi, tendines, atque ligamenta, quæ circa excarnem articulum inhærent, ferularum inſeſſu lædantur, quam laxiſſimas eas eſſe debere monet.

(13) POSITÆ. Tum ad humerum, tum ad cubitum in his articuli noxis ferulas adhibere convenit. In hanc rem peculiaris ferula ex aſſere, vel ex craſſiori charta ad angularem figuram conſtructa, ſolet adhiberi, qua humerus, & cubitus una comprehenduntur, atque cum ea ferula brachium deflexum faſciis deligatur.

(14) INFLEXIONEM. Non omnes ferulæ, quibus humerus, vel cubitus circumdatur, æquales eſſe debent, ſed aliæ longiores, aliæ breviores, quemadmodum id expedire videbitur, ſumpta conjectura a partis inflexione. De hac ferularum diverſa longitudine, dictum fuit *not.* (16) *cap.* 8. ubi de humeri agebatur fractura.

(15) APPONANTUR. Cubiti articulus excarnis eſt, atque huc, illuc oſſibus in acutum abeuntibus exaſperatus, unde quotieſcunque ferulas in ejuſmodi parte apponere cogimur, omnes prominentias ſpleniis prius æquare convenit, ne dolores, atque exulcerationes ab ferularum inſeſſu excitentur. Hoc jam apprime monuerat

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 328 sur 355

©BIU Santé

pora vero ab inflammatione, & ab his, quæ prius ſcripta ſunt, conjectare (16) oportet.

in *cap.* 5., ubi generatim dixerat; *Extremitates autem ſubaridas, & in acutum abeuntes, ſpleniis obvolutis curare oportet, ita ut copia opertoriorum non totum acervatim, ſed particulatim corrigat. Vid. not.* (24) (25) *&* (26) *cap.* 5. Quoniam autem plus comprimere convenit ubi os excidit, ibique craſſiorem ferulam adhibere; ut locus affectus a compreſſionis moleſtia defendatur, tumidiora ſplenia ſupra læſam partem apponere Hippocrates monet.

(16) CONIECTARE. Quæ in hoc capite 46. Medicinæ Parens expoſuit, clariſſime quiſquis intelliget; ſiquidem ea omnia in memoria habuerit, quæ ipſe ſuperius in curatione generali fracturarum docuerat; eorumque præcipue meminerit, quæ ſcripta ſunt in *cap.* 5. *&* 6.

F I N I S.

©BIU Santé

INDEX AUCTORUM

Quorum nomina in notis citantur.

A

ACt. Medic. Berolinen. 162.
Aetius. 101. 105.
Actuarius. 264.
Albucaſſis. 36. 81. 140. 158.
Alexander Tralianus. 100.
Andreas. 161.
Andromachus. 203.
Anicetus. 178.
Antidotar. Bononien. 29. 178.
Apellides. 119. 225.
Apollonius Citenſis. 100. 160. 161.
Arantius. 255.
Arbuthenot. 148.
Archimedes. 119. 225.
Aretæus. 98. 104. 229.
Ariſtoteles. 28. 255.
Ariſton. 36.
Aſcenſus. 6.
Aſclepiades. 203.
Avicennas. 36. 81. 99. 158. 187.

B

Baglivius. 135. 220.
Baceius. 85:
Barker. 220.
Bellinus. 196. 219.
Bilguerus. 211.
Billi. 224.
Boerhaavius. 12. 62. 89. 96. 105. 175. 183. 196. 198. 201. 219. 228. 236. 239. 240. 247. 248. 249. 256. 257. 258.
Borellus. 18.
Belloſte. 233.

C

Cælius Aurelianus. 16. 104. 228.
Calvus. 42. 79. 92. 99. 103. 115. 120. 173. 196. 207. 218. 272. 286.
Cato. 117.
Cardanus. 16. 249.
Cecchinus. 233.
Celſus. 1. 2. 4. 11. 21. 23. 24. 26. 27. 28. 29. 31. 32. 33. 34. 35. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 47. 48. 50. 52. 57. 59. 61. 64. 65. 70. 77. 80. 81. 86. 90. 99. 100. 108. 121. 125. 126. 128. 134. 135. 136. 146. 148. 153. 157. 159. 160. 161. 171. 178. 179. 188. 189. 190. 191. 202. 203. 206. 208. 209. 212. 228. 242. 252. 260. 265. 266. 268. 269. 276. 277. 279. 280. 282.
Charletonus. 53.
Cicero. 6. 7. 14. 32. 74. 140.
Cignozzus. 128.
Clopton Havers. 85. 235. 237. 238.
Cocchius. 113. 160. 161.
Columbus. 11. 28. 76. 162. 245.

Con-

©BIU Santé

Constantinus Aphricanus. 91.
Comment. Acad. Reg. Chir. Parisien. 212.
Comment. Lipsien. de rebus in Scient. Nat. & Med. gestis. 55.
Col de Vilars. 25.70.79.125.143. 144.158.188.
Cornarius. 173. 196. 272.
Cortesius. 255.
Coupperus. 89.
Crito. 203.
Ctesias Gnidicus. 99. 161.

D

De Felici. 148.
De Gorter. 46. 99. 139. 180 188. 219. 243 244 256.
De la Motte. 56. 92.174. 195.245.
De Sauages. 183. 229.
Diocles. 161, 207.
Dionis. 87. 89.
Dioscorides. 29. 98. 168.
Dromeus. 91.
Duretus. 265.
Duverneyus. 125.

E

Erasistratus. 26.
Erasmus. 108.
Euriphon. 36.
Eustachius. 9. 20. 152.

F

Faber. 119. 161.
Fabricius ab Aquapendente. 36. 37. 45. 188. 234. 245. 277. 278.
Falloppius 11. 85. 238.
Faurus. 212.
Felicianus. 139. 173. 196. 272. 286.
Fernelius. 21. 28 58. 95. 183.
Foesius. 32. 77. 115. 120. 139. 152. 173 196. 227. 228. 252. 261. 272. 286. 288.
Forestus. 36.
Fournier. 236.
Freke. 55.

G

Galenus. 3. 5. 11. 13. 15. 25. 26. 28. 30. 31. 32. 34. 35. 36. 37. 41. 43. 52. 53. 54. 56. 57. 62. 64. 65. 67. 68. 69. 70. 76. 77. 84. 85. 91. 93. 94. 96. 97. 98. 100. 101. 103. 105. 107. 108. 109. 115. 116. 117. 118. 120. 123. 126. 132. 133. 134. 136. 138. 139. 143. 151. 156. 161. 163. 166. 168. 173. 177. 178. 179. 180. 182. 189. 194. 195. 197 199. 203. 205. 206. 207. 208. 209. 214. 218. 220. 222. 230. 232. 233. 234. 236 243. 248. 249. 252. 254. 256. 260. 261. 265. 281. 282. 288.
Gagliardus. 53. 235. 237.
Gallus. 178.
Garengeotus. 213. 223. 241.
Glaucius. 207.
Guattanus. 253.
Guido a Cauliaco. 2. 36. 81. 89. 136. 158. 166. 187. 214. 234. 277. 278.
Guilelmus de Saliceto. 158. 266.

H

Hallerus. 212. 216. 219.
Haliabbas. 36.
Hamel. 175.
Heisterus. 11. 28. 36. 46. 81. 94. 134. 136. 140. 150. 163. 164. 188. 205. 206. 208. 212. 213. 234. 241. 253.
Heliodorus. 113.
Helmontius. 219.
Heracletus. 58.
Heracles. 207.
Heraclides Tarentinus. 161.

Hero-

©BIU Santé

Herophilus. 160. 161.
Hertodus. 54.
Heurnius. 16. 91. 101. 120.
Hildanus. 54. 55. 119. 125. 160. 214.
Hippocrates. 6. 19. 22. 23. 26. 30. 31. 33. 34. 35. 42. 44. 45. 48. 49. 56. 60. 61. 62. 65. 68. 69. 70. 77. 79. 80. 85. 90. 96. 101. 103. 104. 105. 108. 113. 118. 119. 120. 122. 123. 128. 130. 132. 133. 135. 138. 141. 143. 147. 148. 152. 156. 162. 177. 178. 180. 182. 183. 191. 192. 193. 196. 198. 207. 211. 216. 220. 228. 229. 234. 235. 236. 240. 243. 244. 249. 254. 256. 275.
Hoffmannus. 95.
Hollerus. 15, 29. 104. 180.
Homerus. 2. 3.
Horatius. 6. 49. 182.
Hugo De Luca. 193.

I

Jacobus Forolivienſis. 91.
Julius Capitolinus. 139.
Julianus. 178.
Junckerus. 46. 140. 159. 163. 188. 212. 239.

K

Kerckringius. 285.
Kiſnerus. 89.

L

Lamzweerdus. 119.
Lanfrancus. 139. 187.
Laperonye. 235.
Laurembergius. 152.
Le Clerc. 36. 143. 144.
Le Dran. 85. 111.
Lelius. 233.

M

Magatus. 53. 188. 189. 192. 194. 202. 203. 207. 233. 255.
Mangetus. 285.
Meges, 265.
Menecrates. 207.
Meraviglia. 233.
Mercurialis. 100. 274.
Metaſtaſius. 49.
Miſcellan. Natur. Curioſ. German. 54. 55.
Morgagnus. 54. 55. 59. 109. 160. 162. 175.
Munniks. 46. 139. 188.
Muys. 59. 125.

N

Niceta. 64. 113. 189. 193. 267. 268. 271. 277. 282. 283. 289.
Nileus. 119. 161.
Nymphodorus. 119. 161.

O

Oribaſius. 46. 58. 64. 77. 99. 113. 114. 118. 119. 136. 147. 153. 188. 189. 193. 194. 225. 267. 268. 271. 277. 279. 282. 283. 289.
Ovidius. 6. 215. 250. 252.

P

Paawv. 73.
Palatius. 208.
Palladius. 8. 9. 43. 48. 50. 52. 66. 68. 78. 94. 97. 101. 203. 130. 164. 179. 190. 193. 194. 197. 207. 214. 216. 250.
Palphinus. 28. 125.
Paracelſus. 219.
Paræus. 21. 45. 64. 67. 80. 94. 119. 134. 136. 138. 159. 164. 186. 207. 213. 235. 277. 281.
Paulus Ægineta. 21. 26. 29. 35. 40. 43. 44. 46. 50. 52. 57. 58. 69. 79.

©BIU Santé

79. 81. 117. 120. 138. 140. 171. 186. 190. 206. 222. 227. 234. 261.
Pecettus. 36. 52. 58. 135. 188.
Perla. 20. 77. 249.
Perigenes. 207.
Petit. 36. 50. 85. 88. 89. 111. 134. 136. 138. 140. 143. 144. 158. 160. 162. 164. 188. 206. 208. 213. 282.
Phaon. 36.
Philotimus. 161.
Pireus. 187. 188. 207.
Plato. 75. 255.
Platnerus. 46. 53. 58. 162. 188. 206.
Plinius. 6. 45. 99. 139. 201. 228.
Polybus. 100.
Poupartius. 162.
Protarchus. 161.

R

Rhasis. 36. 187.
Riolanus. 77.
Rogerius. 187.
Rolfincius. 175.
Rubeus. 16.
Rudius. 283.
Rufus Ephesius. 77.
Ruyschius. 175. 235.

S

Saltzmannus. 125. 160. 175.
Sancassanus. 233.
Santalbinus. 9.
Schenckius. 58. 99. 154.
Scultetus. 33. 36. 37. 45. 46. 68. 79. 118. 119. 134. 136. 134. 145. 173. 188. 205. 206. 223. 234. 241. 245. 259. 276.
Sennertus. 233.
Severinus. 236. 239.
Silvius. 219.
Solingen. 212.
Soranus. 70. 207.
Sostratus. 207.
Svetonius. 2.
Sydenamius. 96. 220.

T

Tagaultius. 31. 35. 59. 136. 158. 186.
Taliacotius. 91.
Tarin. 235.
Theodoricus. 140. 188. 192. 209. 214. 234. 280.
Theophrastus. 100. 139.
Thibautius. 89.
Tissottus. 211.
Trillerus. 152.
Trincavellus. 68. 114. 116. 120. 173. 196. 214. 272. 286.
Turnebus. 117.
Turtura. 233.

V

Vallesius. 6. 104.
Vander Linden. 91.
Van-Swietenus. 22. 23. 51. 53. 58. 84. 89. 182. 183. 187. 202. 236. 239. 243. 247.
Varandæus. 101.
Verheyenus. 109.
Vesalius. 19. 24. 29. 65. 75. 76. 109. 145. 148. 150. 156. 260. 262.
Vidius. 36. 37. 39. 52. 58. 111. 114. 216. 119. 120. 173. 188. 196. 214. 255. 261. 271. 272. 282. 283. 286.
Virgilius. 19. 20.
Vitruvius. 17 117. 119.
Vvaltherus. 162.
Vvinslovvius. 11. 17. 24. 28. 75. 87. 94. 109. 145. 159. 162. 240. 282.

IN-

©BIU Santé

INDEX

Rerum notabilium, quæ in Notis continentur,

Primus Numerus ( ) ſignatus Notam, alter Caput, indicat.

A

ACetum mulſum dulce quid ſit. (8) 13.
Amputationes membrorum qua ratione Hippocrates proponat. (1) 32.
Anatomiam optime didiciſſe debet, qui hos Hippocratis libros legere aggreditur. (4) 22.
Ancyloſis curatio per ſtillicidium. (8) 11. & (3) 41.
Aphoriſm. 19. Sect. 6. explanatio. (6) 12.
Apophiſium evulſiones. (5) 24.
Aqua pro victu in febribus continuis. (9) 39.
Aqua ſimplici vulnera curantur. (13) 31.
Aqua calida fracturis ſuperfundenda. (15) 6.
Aquam calidam multam in pedum noxis ſuperfundere oportet. (7) 11.
Arterias Hippocrates venas nominavit. (1) 39.
Arteria Brachialis quandoque duplex. (1) 39.
Articulatio Analoga quid ſit. (7) 17.
Articulationis pedis ab articulatione carpi differentia. (5) 22.
Articulorum variæ noxæ. (1) 17.
Articulus quid ſit. (2) 40.
Aſelli genus machinamenti ſunt apud Hippocratem. (23) 15.
Aſtragali fractura. (4) 11.
Aſtragali, & oſſis Navicularis pedis fracturæ quot diebus ſanentur. (9) 11.
Atrophia ex motus diminutione. (10) 17.

B

Bilioſum temperamentum. (7) 39.
Brachium fractum ſi poſt deligationem inflectatur, quæ mala ſequantur. (21) 2.
Brachium fractum mitella excipiendum. (4) 4.
Brachii variæ ſignificationes. (13) 2.
Brachii oſſa fracta, quo deflectant. (5) 6.

C

Calcaneum quot diebus conſolidetur. (13) 13.
Calcaneum ex figuræ neglectu corrumpi poteſt. (15) 12.
Calcaneum fractum quomodo deligari debeat. (30)(31) 12.
Calcanei disjunctio. (1) 12.
Calli generatio in fracturis oſſium. (11) 6.
Callus in fracturis exuperans quomodo curetur. (16) 6.
Canalis ad fracturas. (5) 19.
Canalis quomodo adhibendus. (7) 19.
Canales ex tiliæ ligno Veteres conficiebant. (10) 19.
Canalis utilitates. (8)(9) 19.
Canalis in fractura femoris uſque ad pedem pertingere debet. (10) 25.
Caries oſſis quando abſcedat. (8) 36.
Carnis eſu abſtinere debent, quibus oſſa fracta ſunt. (5) 7.
Carpi fractura. (6) 10.
Carpi luxatio. (6) 10.
Cataplaſmata quando vulneribus noceant. (15) 28.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 334 sur 355

©BIU Santé

Cecchinus pro Magati methodo ſcripſit. (20) 35.
Ceratum Picatum. (5) 27.
Ceratum Picatum quando adhibendum. (2) 29.
Ceratum pro fracturis. (3) 5.
Chirurgus pro ægrotantium ſanitate humanos reſpectus, vulgique dicteria debet deſpicere. (9) 6.
Chirurgus ſuæ famæ debet proſpicere. (11) 19.
Chirurgus & docilis, & perſpicax eſſe debet. (16) 28.
Chirurgi, qui fracturas complicatas male deligare conſueverunt. (18) 28.
Chirurgorum variæ fracturas cum vulnere deligandi methodi. (1) 29.
Cibus in fractura Cubiti qualis. (1) 7.
Cibus in humeri fractura exquiſitior, & ad longius tempus. (3) 9.
Cingula ad deligationem ferularum. (55) 5.
Claudicatio celari non poteſt. (4) 21.
Colli capitis femoris fracturam qui deſcripſerint. (5) 24.
Columna querna quadrata pro curatione fracturarum, & luxationum, qualis eſſe debeat. (3) 16.
Contuſiones an recrudeſcant quibus ſignis cognoſcatur. (1) 13.
Continua febris. (20) 12.
Convulſio quid ſit. (10) 35.
Convulſiones, quæ vulneribus ſuperveniunt, cujus generis eſſe ſoleant. (10) 35.
Convulſio vulneri ſuperveniens lethale. (11) 35.
Corpora extranea, quibus diebus e vulneribus detrahi non debeant. (8) 35.
Cruris fracti qualis poſitio ſit ſecundum naturam. (3) 19.
Crus fractum extenſum collocandum. (8) 18.
Crus fractum ſuper planum, & molle ponendum eſt. (2) 19.
Crus latiores faſcias exigit, quam brachium. (1) 19.
Crus ex mala collocatione repandum, vel gibbum fieri poteſt. (2) 19.
Cubitus in naturali poſitura ſemper ad flexionem vergit. (8) 2.
Cubiti oſſa fracta quot diebus corroborantur. (11) 6.
Cubitus non facile luxatur. (9) 41.
Cubitus luxatus in internam partem, quomodo reſtitui debeat. (18) 41.
Cubiti perfecta luxatio in internam, aut externam partem raro fit. (2) 42.
Cubitus difficulter in anteriorem partem luxatur. (1) (2) 43.
Cubiti luxatio in anteriorem partem, quomodo reſtituatur. (6) 43.
Cubitus luxatus in poſteriorem partem, quomodo reponi debeat. (6) 44.
Cubiti diverſæ luxationes, quomodo cognoſcantur. (16) 41.
Curationes quædam honeſta fuga vitandæ. (14) 39.

D

Decubitus neceſſario requiritur in fracturis, & luxationibus crurum. (9) (10) 11.
Deligatio in articulis nimis arcta eſſe non debet. (8) 10.
Deligationes fracturarum complicatarum varii Auctores male docuerunt. (1) 29.
Deligationis ratio in vulneribus. (9) 29.
Deligationes fracturarum quando reſolvere oportet. (41) 5.
Deligatio nimis arcta, ulcerationis cauſſa eſſe poteſt. (2) 30.
Deligatio qualis eſſe debeat, ubi majoris oſſis diſceſſus expectatur. (4) (5) (6) (7) 31.
Deligare Aſciatim, quid ſignificet. (10) 31.
Deligatio ita facienda, ut contulerit ad fracturæ figuram. (19) 5.
Denigrationes ex decubitu. (16) 12.
Diaſtaſis oſſium. (12) 14.
Diaſtaſis raro reſtituitur. (13) 44.
Diæta exquiſita per quatuordecim dies ſervari poteſt. (11) 39.
Dies, in quibus vulnera irritare non convenit. (5) (6) 33.
Digitorum luxatio. (6) 10.

Di-

©BIU Santé

Digitorum fractura. (6) 10.
Dolor, ulcerationis signum. (5) 30.

E

Emprostotoni signa. (10) 35.
Errores, qui temporibus Hippocratis apud aliquos Medicos vigebant, adhuc vigentes. (4) 32.
Extensiones directe, & secundum naturam fieri debent. (3) 18.
Extensiones fracturarum quibus diebus non tentandæ. (6) 21.
Extensionis terminus. (21) 4.
Extensionum fracturarum, & luxationum tria genera. (3) 15.
Extranea corpora quando de vulneribus extrahi non debeant. (8) 35.
Extremitates subaridæ, & prominentes. (24) 5.
Exulceratio quid apud Hippocratem quandoque significet. (1) 18.

F

Famæ suæ Chirurgus prospicere debet. (11) 19.
Fascia octodecim capitum. (1) 29., & (11) 31.
Fasciarum constrictio in fracturis quanta esse debeat. (10) 5.
Fascias quando solvere oporteat. (41) 5.
Fasciæ multis, ac variis modis circumduci possunt. (10) 31.
Fasciæ quales requirantur. (8) 5.
Fasciæ quomodo deligari debeant in fracturis. (19) 5.
Favorum cremor quid sit. (7) 13.
Febres acutæ. (4) 38.
Febres biliosæ. (5) 38.
Febres tremulæ. (21) 12.
Febri continua laborantes cibum sumere non debent. (9) 39.
Febris continua. (20) 12.
Febris in putrefactione calcanei, quibus Symptomatis stipari soleat. (19) 12.
Febris localis. (14) 28.
Femur fractum quinquaginta diebus corroboratur. (11) 23.
Femur ubi magis excarne sit. (3) 24.
Femori oblique facto quomodo ferulæ apponendæ. (4) 24.
Femoris caput decollari potest. (5) 24.
Fenestrata deligatio in fracturis cum vulnere quam noxia sit. (18) 28.
Ferulæ quales esse debeant. (54) 5.
Ferulæ ubi crassiores requirantur. (2) 6.
Ferulæ quando adhibendæ sint. (21) (52) 5.
Ferulæ ad brachii fracturam quomodo debeant apponi. (5) 6.
Ferularum appositio ad cruris fracturam. (1) 21.
Ferulæ ad fracturam colli capitis femoris quomodo adhibendæ. (8) 24.
Ferulæ ad humeri fracturam quales esse debeant. (16) 8.
Ferulæ ulcerationis caussa esse possunt. (3) 30.
Fibula. (2) 14.
Fibula articulationem genu non attingit. (6) 14.
Foesii interpretatio. (16) 35.
Fracta ossa extenta deligare oportet. (8) 16.
Fracta in planum æquale collocanda. (2) 19.
Fracta ossa quando post ferruminationem in eodem loco iterum frangi soleant. (13) 26.
Fractura incompleta quæ sit. (9) 4.
Fracturæ ob malam curationem quandoque non consolidantur. (7) 17.
Fracturæ coaptari possunt etiam post aliquot dies. (19) 6.
Fracturæ, si non secundum naturam repositæ fuerint, tardius corroborantur. (11) 26.
Fracturæ vel in prima deligatione, vel quam citissime, extendi debent. (5) (6) 21.
Fractura colli femoris. (5) 24.
Fractura colli femoris Hippocrati non ignota. (6) 24.
Fracturæ male coaptatæ in posterum dolere solent. (11) 21.
Fracturæ complicatæ quando simplici modo curari possint. (1) 27.
Fracturæ nonnullæ, ne ipsa quidem prima die, possunt reponi. (7) 35.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 336 sur 355

©BIU Santé

Fracturæ quando membrum brevius efficiunt. (13)(14) 37.
Fractura femoris in quas partes distorqueri soleat. (2) 24.
Fractura non bene coaptata laxius deliganda. (7) 21.
Fracturis cum vulnere quando ferulæ apponi possint. (21) 29.
Fracturis cum vulnere qualis victus conveniat. (23) 29.
Fracturis, quæ in eadem figura non quiescunt, calli debiliores obducuntur. (13) 26.
Fracturarum differentiæ. (14) 26.
Frigida in ossibus denudatis rigores febriles inducunt. (10) 37.
Frigidum ulceribus nocet. (9) 37.

G

Galeni errores anatomici excusantur. (2) 10.
Galenus quomodo ossa conglutinari putaverit. (11) 6.
Genu, & cubiti articulationum differentiæ. (5) 22.
Genu in quas partes facilius luxetur. (4) 41.
Genu luxationes quomodo restitui debeant. (5) 41.
Glossocomium. (5) 19.
Gluten, quo ossa fracta conferruminantur. (11) 6.
Gravidarum fracturæ ægre confervent. (13) 6.

H

Habenæ ad ferulas deligandas. (55) 5.
Hellebori usus apud Veteres. (33) 12.
Helleborum in eruptione ossium quando exhibendum. (3) 39.
Hippocrates diligentissimus Anatomicus. (5) 22.
Hippocrates suum errorem confitetur. (5) 19.
Hippocrates quando prolixe scripserit. (7) 28.
Humeri fractura. (1) 8.
Humeri fractura prope cubitum. (8) 45.
Humero extente deligato, & postea inflexo, quid sequi debeat. (3) 8.
Humerus fractus ad externam partem inclinare solet. (6) 9.
Humerus quomodo deligari potest, ne ad externam partem fractura deflectat. (8) 9.
Humores quomodo a loco fracturæ averti possint. (44) 5.

I

Indocti, quandoque sapientes reputantur. (15) 1.
Interfemineum neque fasciæ, neque ferulæ vexare debent. (11) 24.
Interpretatio Cornarii ubi deficere videtur. (6) 26.
Intertigines quomodo cavendæ. (18) 31

L

Lanæ succidæ usus. (2) 25.
Lectulus stramineus quid sit. (5) 19.
Libros de Fracturis, & de Articulis in unum ab Hippocrate editos fuisse putatur. (1) 40.
Linteorum qualitas ad fracturas cum vulnere. (10) 29.
Luxatio cubiti in posteriorem partem, omnium est maxime dolorosa. (3) 44.
Luxationum pedis diversitates. (10)(11)(12) 14.
Luxationibus diuturna immobilitas noceret, (7) 17.
Luxationum, & dimotionis differentia (1) 40.
Luxationum variæ species. (1) 17.

M

Machinamentorum ad extendendas fracturas, & luxationes varia genera. (1) 16.
Machinamentorum organicorum vis ingens. (1) 23.
Machinamentum, sive capsa Petiti pro cruris fractura. (3) 32.
Macies quare in febribus acutis. (9) 39.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 337 sur 355

©BIU Santé

Magati methodus. (20) 35.
Magatus ſuam methodum medendi vulnera per raram deligationem Romæ ſe didiciſſe fatetur. (35) 30.
Malleolorum variæ luxationes. (10)(11)(12) 14.
Manus collocatio in fracturis brachii. (6) 15.
Manus fractura quot diebus ſaneſcat. (9) 10.
Manus luxatio magis, quam pedis, eſt moleſta. (13) 14.
Manus oſſa cur raro frangantur. (3) 10.
Medicamenta ubique parari facile poſſunt. (15) 28.
Medicamentum purgatorium quid ſit. (4) 27.
Medici in ſcribendis morborum hiſtoriis ſinceritatem Hippocratis raro imitantur. (5) 19.
Medici veteres morbos chirurgicos domi ſuæ curare conſueverunt. (2) 16.
Medici veteres in re Anatomica plus præſtiterunt, quam nonnulli Recentiores opinati ſunt (5) 22.
Medicorum variæ ſectæ, atque Scholæ temporibus Hippocratis. (1) 3.
Membra non temere amputanda. (1) 32.
Membrum quo majus, eo pluribus linteis deligandum. (3) 20.
Metacarpi, & Metatarſi fractura. (6) 10.
Mitella ad fractum brachium excipiendum. (4) 4.
Morbi inter ſe cognati ſunt. (9) 33,
Muſculorum figuræ in articulorum flexione variant. (21) 2.

N

Natura hominis quid ſignificet. (13) 6.
Nervi quid quandoque ſignificent apud Veteres. (20) 3,
Nigredo in ulceribus quid præſagiat. (7) 38.

O

Obſervationes longe plus præſtant theoreticis ſpeculationibus. (7) 33.
Officina Medica Veterum, qualis fuerit. (2) 16,
Olecrani fractura. (1) 45.
Opiſtotoni ſigna. (10) 35.
Oſſa carioſa, quæ citius, quæ ſerius abſcedant (3)(4)(5) 36.
Oſſa fracta non ſemper ſtatis diebus conſervent. (12)(13)(14) 6.
Oſſa fracta, vel luxata reſtituendi tres modi numerantur. (3) 15.
Oſſa fracta, pro ætatum differentia, citius, vel ſerius confervent. (14) 6.
Oſſa fracta quam citiſſime extendenda ſunt. (16) 21.
Oſſa fracta, ſi non quieſcant, tarde corroborantur. (12) 16.
Oſſa fracta die ſeptimo facile ad correctionem ducuntur. (5) 5.
Oſſa fracta ſuperpoſita qua ratione impellenda. (10) 34.
Oſſa ſpongioſa quando citius diſcedant. (10) 36.
Oſſa diducta ægre revertuntur ad priorem nexum. (12) 14.
Oſſa male conglutinata, quando iterum frangenda, quando non. (19) 6.
Oſſa non bene repoſita tardius corroborantur. (11) 26.
Oſſa non repoſita, aut denudata abſcedere ſolent, (1)(2) 36.
Oſſibus non bene coaptatis, ſtrictæ deligationes dolores excitant. (7) 21.
Oſſis circuli diſceſſus decurtationem inducit. (13) 37.
Oſſium diſceſſiones ſimplici modo curari non reſpuunt. (3) 30.
Oſſium eruptiones in humero, & femore periculoſiſſimæ. (1)(2) 38.
Oſſium extra erumpentium, ſi non primo, aut ſecundo die facta fuerit repoſitio, hæc non ante diem ſeptimum tentanda. (16) 35.
Oſſium corruptorum diſceſſus optime fit quadraginta diebus. (9) 36.
Oſſium fragmenta, quæ diſcedere debent. (12) 36.
Oſſium prominentiis circa articulos non adhibendæ ſunt ferulæ. (6) 6.

In Hippocratis Coi medicorum omnium longe principis librum de Fracturis ... - page 338 sur 355

©BIU Santé

P

Parœus ſuum errorem confitetur. (5) 24.
Pedis oſsa. (1) 10.
Pedis oſſa, ut & manus cur raro frangantur. (3) 10.
Pedis fractura quot diebus ſaneſcat. (9) 10.
Pedis oſsa quomodo frangi ſoleant. (4) 10.
Pedis luxatio quadraginta diebus ſanari ſolet. (6) 17.
Pedis luxationes minus moleſtæ ſunt, quam manus. (13) 14.
Pes fractus cur paulo altius reliquo corpore collocandus. (12) 13.
Pes plerumque ad internam partem luxatur. (12) 17.
Pes labefactatus ultro extenſus tenetur. (10) 18.
Pes non eſt ad lectum alligandus in cruris fractura. (4) 32.
Plantæ pedis figura. (10) 12.
Polyſpaſton. (1) 16.
Porus fracturarum quomodo fiat. (11) 6.
Preſſiones recte facere, res maximi momenti eſt. (6) 28.
Pruritus circa ſubligationes quomodo curandus. (10) 30.
Pulvinar ab aliquibus pro canali adhibitum. (8) 19.
Purgans medicamentum quid ſit. (4) 27.
Puris optimi conditiones. (12) 28.
Puſtularum curatio. (20) 35.
Putrida materia in ulceribus retenta, quæ mala inducere poſſit. (35) 30.

R

Radii ab oſſe cubiti disjunctio. (10) 44.
Ratio raræ deligationis in curatione vulnerum a vetuſtiſſimis Medicis exculta fuit. (35) 30.
Recrudeſcere, quid ſignificet apud Hippocratem. (1) 13.
Remedia peregrina non facile amplectenda. (17) 1.
Remedia mordacia vulnera exaſperant. (25) 30.
Remedia facile parari poſſunt. (15) 28.
Remedia ſimpliciſſima magis ſunt ſecundum naturam. (28) 30.
Remediorum varia genera pro fracturis vulnere complicatis. (8) 31.
Repandum crus quando fiat. (2) 19.
Rigores febriles in vulneribus quid efficiant. (10) 37.

S

Sanies quid ſignificet. (43) 5.
Scamnum Hippocratis. (23) 15.
Signa bene curatæ, & terminus rectæ deligatæ fracturæ, quæ ſint: a not. (30) uſque ad (40) 5.
Signa futuri diſceſſus oſſium. (32) (33) 30.
Singultus, (22) 12.
Sorbitiones quid ſint. (5) 13.
Splenia cur cerato illiniat Hippocrates in fracturis. (21) 5.
Splenia plurima injicienda in pedis articulo. (8) 12.
Splenia ad colli capitis femoris fracturam. (7) 24.
Splenia circa malleolos quomodo adhibenda. (1) 21.
Splenia ſupra vulnus qualia eſſe debeant, (4) (5) (6) 31.
Suppuratio, eſt opus Naturæ. (24) 30.
Suppurationis ſigna, & effectus. (16) 35.

T

Tarſi fractura. (6) 10.
Temperamentum quid ſit. (7) 39.
Temporum viciſſitudines in fracturis non bene coaptatis dolores inducunt. (11) 21.
Tendinis Achillis ruptura. (6) 12.
Tetanus quid. (10) 35.
Tibiæ fracturis quomodo ferulæ apponi debeant. (1) 21.
Tibia quid ſignificet apud Hippocratem. (1) 14.
Tremulæ febres. (21) 12.
Trocanteris majoris evulſio. (5) 24.
Tumores, qui circa deligationes exurgunt, quomodo curentur. (1) (4) 25.

Vectes

©BIU Santé

V

Vectes ferrei pro reſtituendis oſſibus extra eminentibus quales eſſe debeant. (6)(7) 34.
Vectes oſsibus extra eminentibus quomodo adhibendi. (10) 34.
Venarum nauſeæ, quid ſignificent. (26)12.
Vena apud Hippocratem arteriam quoque ſignificat. (1) 39.
Veratri uſus apud Veteres. (34) 12.
Veratrum in eruptione oſsium quando exhibendum. (3) 39,
Veſalius immerito Galenum deſpexit. (2) 10.
Veteres in Anatomicis plus præſtiterunt, quam nonnulli recentiores opinati ſunt. (5) 22.
Veteres Medici optimas deligationum rationes tradiderunt. (10) 31.
Veteres pro anni temporibus diverſa remedia vulneribus adhibebant. (16)31.
Veterum opinio circa Hippocratis libros de Fracturis, & de Articulis. (1) 40.
Victus diverſitas pro oſsis affecti ratione. (3) 9. (3) 17.
Victus qualis in calcanei fractura. (5) 13.
Vincula ad ferulas deligandas. (55) 5.
Vino abſtinere debent, qui oſsa habent fracta. (4) 7.
Vinum laudatur pro ulceribus. (7) 27.
Vinum nigrum auſterum ad vulnera (8) 31.
Vinum ceratis præferendum in vulneribus, ac ulceribus. (8) 27.
Ulceratio, quales ſignificationes habere poſsit. (1) 18.
Ulceris latiſsima ſignificatio. (2) 30.
Ulcus lacrymoſum quid ſit. (12. 28.
Vulnera contuſa debent ſuppurare. (15) 29.
Vulnera æſtate frequenter madefacere oportet. (15) 31.
Vulneribus quæ convulſio ſupervenire ſoleat. (10) 35.
Vulnera raro detegi debent. (35) 30.
Vulnera tertia, ac quarta die non ſunt vellicanda. (6) 33.
Vulnerum labia adducenda ſunt. (20) 35.
Vulnerum diſſita labia quot modis adduci poſſint. (21) 35.
Vulnus quot ſignificationes habeat apud Hippocratem. (20) 2.
Vulnus ſimplex ſimpliciſsimis remediis ſanari poteſt. (13) 31.

FINIS.

©BIU Santé

ERRATA CORRIGE

In Hippocratis Textu.

Pag.	116.	Lin. 4.	mediolo	modiolo
	215.	9.	adhibeat	adhibeas
	242.	1.	oportet	oportet (5)
	253.	1.	emineat	immineant
	261.	1.	ſolum	ſolus
	264.	4.	aliquando etiam ad poplitem	aliquando etiam ad externam, quandoque etiam ad poplitem
	289.	5.	minus	manus
	290.	8.	quamquam	quam

In Notis.

Pag.	4.	Lin. 17.	duobus	duabus
	9.	6.	in quibuſdam	, in quibuſdam
	11.	ultim.	diverſas	diverſos
	26.	35.	perrurbantur	perturbantur
	42.	3.	actis	acer
	52.	4.	tectum	tectum,
	Ibid.	12.	harum	horum
	80.	30.	Contigit	Contingit
	99.	4.	*& pallido*	*ex pallido*
	100.	34.	opportunum	opportunam
	145.	1.	obſtrabit	obſtabit
	Ibid.	20.	recipiunt	reſpiciunt
	145.	20.	vaſis	varis
	153.	14.	Paleſtricam	Palæſtricam
	153.	33.	maſculorum	muſculorum
	185.	19.	canſſam	cauſſam
	194.	2.	quando	quomodo
	230.	20.	*injicere*	*ejicere*
	239.	3.	aliquarum	vel aliquarum
	241.	ultim.	ſuſpicienda	ſuſcipienda
	249.	18.	*Caudanus*	*Cardanus*
	251.	8.	febris	fibris
	252.	1.	OEconomica	OEconomia
	263.	14.	*ſolum*	*ſolus*
	272.	7.	coracoydem	coronoidem
	Ibid.	35.	juſtiſſima	juſtiſſimam
		ultim.	eternam	externam
	276.	14.	arcerſeretur	arceſſeretur
	288.	7.	erroris	error is

Alia, ſi qua irrepſerint, Lector benigne corrigat.

©BIU Santé

TABULA I.

Fig. 1.

A Lignum cubiti longitudinem exæquans.
B Habenæ, quibus id utrinque ſuſpenſum eſt.
C Sedes ſublimior.
D Brachium ſuper manubrium impoſitum.
E Aliud quidpiam ſtabile.
F Corteus pulvinus.
G Cubitus ad rectum angulum.
H Corium molle, aut lata habena.
I Pondus aliquod magnum.

Fig. 2.

A Rotæ modiolus.
B Lorum latum.
C Piſtillum.
D Manus extendentis ab humeris.
E Extendentis a poplite.


©BIU Santé

Fig: 1


Tab: 1



Fig: 2



©BIU Santé



©BIU Santé

TABULA II.

Fig. 1.

A. *Lignum rotundum, & læve.*
B. *Extendentes a pedibus.*
C. *Repellens clunem.*

Fig. 2.

A. *Ligna ad utranque alam.*
B. *Aliquis a genu prehendens.*

©BIU Santé

Tab: 11

Fig: 1.






Fig: 2.



©BIU Santé



©BIU Santé

TABULA III.

Fig. 1.

A. *Trabecula.*
B. *Ligna recurvata.*
C. *Lora.*

Fig. 2.

Extentionem per Aſellos hinc, atque illinc collocatos repræſentat.

©BIU Santé

Tab: III

Fig: I.






Fig: 2.



©BIU Santé



©BIU Santé

TABULA IV.

Fig. 1.

Columnam quernam quadrangulam pannis ſtratam, ſive lignum præparatum, oſtendit, in quo omnes neceſſitates inſunt, tum ad omnes fracturas, tum ad omnes articulorum repoſitiones, ex extenſione, ac vectium uſu.

Fig. 2.

A. *Lignum ad ſex cubitos longum, ad tres latum, ad novem digitos altum, Scamnum Hippocratis nuncupatum.*

B. *Ligna pedalis longitudinis, extremis partibus rotunda.*

C. *Axes habentes in medio clavos, & in capitibus manubria ductaria.*

D. *Foſſæ altitudinis trium digitorum.*

E. *Priapiſcus ſuperius teres, ad medium ligni infixus.*

F. *Duo poſtes.*

G. *Lignum tranſverſum in modum gradus.*

©BIU Santé

Tab: IV

Fig: J.






Fig: 2:



©BIU Santé



©BIU Santé

TABULA V.

Fig 1.

GLOSSOCOMION.

A. *Axis, cui alligantur laquei.*
B. *Laqueus ſuperior.*
C. *Inferior.*
D. *Inferior gloſſocomi pars.*
E. *Trochleæ.*
F. *Capita ſuperioris laquei ex exteriori parte gloſſocomi.*

Fig. 2.

A. *Orbis infra genu.*
B. *Orbis ſupra talos.*
C. *Anſæ utrinque.*
D. *Baculi cornei.*



Fig. 3.

Canalem oſtendit ad cruris fracturam, cum mora pro pedis planta, & fovea, in qua calcanei prominentia excipitur.

©BIU Santé

Tab: v

Fig: 1:




Fig: 2:




Fig: 3:

